Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

De seditionibus libri sex : rationibus et exemplis ex omni doctrinarum et authorum genere locupletati

https://hdl.handle.net/1874/402386



Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- **de rug van het boek**
- **de kopsnede**
- **de frontsnede**
- **de staartsnede**
- **het achterplat**

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- **the spine**
- **the head edge**
- **the fore edge**
- **the bottom edge**
- **the back board**

E. fo.
255


100.

100.
n.



Theologia

Theologia

XVI Eeuw
Middelnederl.
Sedeil.
c. 1553
Utrecht
bindw: Michael Harmensz.
Verg. Weale, Nº 438–440.

E. fo.
255

Efo 255-1

DE SEDITIONIBVS

LIBRI SEX, RATIONIBVS ET EXEMPLIS EX OMNI DOCTRINARVM ET AVTHORVM genere locupletati, Authore Clariſſ. & Doctiſſ. uiro, D. Conrado Bruno Iureconſulto.

Horst fürst Yora

IOANNIS COCHLAEI

THEOLOGI DE SEDITIOSIS APPENDIX TRIPLEX, CONTRA QVOSDAM REBELLES HVIVS TEMPORIS.

Ex donatione Buchelii

PROVERB. XXIIII.

Time Dominum, fili mi, & Regem. Et cum Detractoribus non commiſcearis: Quoniam repente conſurget perditio eorum.

H. 101. C.

LVCAE XXI.

Cum audieritis prælia & ſeditiones, nolite terreri: Oportet primum hæc fieri, ſed nondum ſtatim finis.

N.o 109. D.

Cum Gratia & Priuilegio Sacrarum Cæſaris & Regis Rom. Maieſtatum, Ad Septennium.

EX OFFICINA FRANCISCI BEHEM
Typographi, Moguntiæ apud S. Victorem.

M. D. L.

ACADEMIA RHENO TRAIECTINA

SERENISSIMO
ATQVE INVICTISSIMO PRINCIPI

ac Domino, Domino Ferdinando, Romanorum, Vngariæ, & Bohemiæ Regi, Archiduci Austriæ &c. Domino suo Clementissimo D. Conradus Brunus S. P. D.

MArcus Cicero in oratione, quam pro L. Murena habuit, Serenissime Rex, idemq; Clementissime Domine, duas artes esse docet, quæ homines in amplissimo gradu dignitatis locare possunt: Vnam Iurisperitorum, Oratorum, & Magistratuum ciuilium, qua pacis ornamenta retinentur. Alteram Ducum, atq; Imperatorum belli, & Magistratuum militarium, qua belli pericula repelluntur. Atq; illa quidem circa leges: hæc uero circa arma uersatur. Etsi autem legum atq; armorum tanta coniunctio sit, ut alterum alterius auxilio semper egeat, & tam militaris res in legibus collocetur, quám armorũ præsidio leges seruentur: Tamen in maiore semper honore fuerũt, qui bellica uirtute, quám qui forensi industria excelluerunt. Quod & uetustissimi Poetæ testantur, ut apud Platonem Tyrtæus. Nullam, inquit, illius ipse facio mentionem, nec omnino ullius precij existimandam censeo, etiamsi ditissimus omnium sit, etiamsi multa bona possideat, ac magnis etiam uirtutibus præditus sit, qui non semper optime se gerat in bello: Immo cæteræ uirtutes & studia, quantumlibet ipsa per se multum ualent, tamen simul atq; motus nouus bellicum canere cœperit, quasi de manibus nobis excutiũtur. Nam promulgatis præliis, ut ait Ennius Poeta,

Duæ præcipuæ artes in Repub.

C. de iust. cad. confir. l. unica in princip.

Præferuntur bellicæ uirtutes.

Pellitur é medio sapientia, ui geritur res.
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur,
Haud doctis dictis certantes, sed maledictis,
Miscent inter sese inimicitias agitantes.
Non ex iure manu consertum, sed mage ferro
Rem repetunt, regnumq; petunt, uadunt solida ui.

Gellius lib. 2. c. 9. noct. att.

Sed & in adipiscendis honoribus, plurimum semper fauoris Candidatis apud populum Romanum conciliarunt bellicæ uirtutes, plurimumq; semper authoritatis habuit suffragatio militaris. Nam ut pulchra sit, & honore etiam maximo digna commendatio, Vir iustus est, prudens, modestus, comis, omnibus æquus, nulli iniurius, multarum rerum

Laus militaris gratior populo, quàm aliarum uirtutum.

ſcientia clarus, doctus, iuris diuini & humani peritus, &c.

Laus boni Ducis à militibus.

Quæ quidem uirtutes in quibus enituerint, nemo negare poteſt, quin dignos eos reddant, ut ad maximos & ſplendidiſſimos honores euehantur: Tamen multo grauior & efficacior oratio apud populum ſemper fuit, quam ad hunc uel ſimilem modum miles quiſpiam in Comitijs enunciauit. Me ſaucium recreaunt, me præda donauit. Hoc Duce caſtra cœpimus, ſigna contulimus. Nunquám iſte plus militi laboris impoſuit, quám ſibi ſumpſit. Ipſe cum fortis, etiam fœlix, &c.

Plin. lib. 22. c. 23. & 24. 25 & 26.

A. Gellius lib. 5. c. 6. noc. att.

Corona obſidionalis aliis præfertur.

Dona militaria aliis clariora.

Iam & militaria dona, quæ militibus, fortem operam in bello nauantibus, data ſunt: Vt coronæ triumphales, ciuicæ, uallares, murales, nauales, caſtrenſes, gemmatæ, & aureæ, quas Imperatores militibus dederunt. Et inter omnes nobiliſſima in Maieſtate populi terrarum Principis, præmijſq; gloriæ graminea, quæ & Obſidionalis uocata eſt: quam ſolam miles Imperatori dedit, liberatus ab eo obſidione, abominandoq; exitio totis caſtris. Hæc, inquam, aliaq; his ſimilia dona, uel ab Imperatoribus data militibus, uel á Senatu Imperatoribus decreta, facile declarant, militarem uirtutem maximis ſemper honoribus fuiſſe decoratam.

Honores Imperatoribus bellorum decreti.

His addo uarios Triumphos, quos Imperatores rebus bene geſtis, ac bellis fœliciter confectis, maximo ſæpe apparatu ex Decreto Senatus egerunt. Statuas item & columnas cum Trophæis, & titulis, & magnificentiſſimis Decretis: quæ in memoriam poſteritatis, illis etiam poſt obitum erectæ fuerunt. Quibus & ipſis demonſtratur, Imperatores, & qui militaribus rebus præfecti ſunt, quorum uirtute hoſtes uicti, urbes & prouinciæ captæ, reſq; aliæ fortiter ac magnificè geſtæ, deniq; bella ipſa fœliciter confecta eſſent: Apud omnes ſemper gentes dignos fuiſſe iudicatos, ut ampliſſimos quoq; & maximos honores, tam uiuentes quàm mortui, conſequerentur. Quin & gentes quaſdam ferunt, deos omnes haſtatos, atq; adeo uenerem etiam ipſam armis indutam, finxiſſe. Id quod Plutarchus Lacedæmonijs in uſu fuiſſe ſcribit: Quo nimirum figmento non ſolum ab otio remotos eſſe deos, ſed tale etiam negocium, quod omnium eſſet honorificentiſſimum, tribuendum eis eſſe ſignificarint.

Plutarchus in Apoph. Lacedæmonicis.

Externa bella minus periculoſa ſunt, quam interna.

Cæterum, cum duo ſint bellorum genera: Externum, & Internum. Clari quidem ſunt, qui in Externis excellunt, & ob id magnis etiam honoribus afficiendi: At multo clariores, qui in Internis, quas ſeditiones appellamus, præſtant: ac propterea multo etiam maximis, excellentiſſimiſq; honoribus digni: quia interna multò

quàm

quám externa sunt maiora, maioribusq; periculis obnoxia. Cuius rei hospes Athenensis Theognim testem citat, qui ait. Fidelem uirum omni argento atq; auro in seditione meliorem, quod & ratione subinde optima confirmat. Hunc, inquit, dicimus in grauissimo bello, tanto illo, qui in externo bello claret, meliorem, quanto sola Fortitudine melior est Iustitia, Temperantia, Sapientia, Fortitudini coniuncta. Nemo enim integer & fidelis, sine omni uirtutum numero, in seditionibus reperiri poterit. Multi autem mercenarij reperiuntur, qui externo in bello intrepidè pugnant: quorum plurimi feroces, iniurij, contumelioſi, paucissimisq; exceptis, omnium amentissimi. Plato lib. 1. de legibus.

Quam equidem sententiam, ego non solum uetustate temporis commendabilem: sed re etiam ipsa uerissimam ac plane diuinam, esse puto. Primum enim periculosissima est perpetua illa carnis aduersus spiritum pugna, quam Monasticam seditionem appellare possumus. In qua quám laboriosum, ac sine gratia Christi etiam impossibile sit certare: quám glorioſum uincere, diuinum illud uas electionis Paulus Apostolus, in huiusmodi genere pugnæ uictor, quasi gloriabundus fortissimus, his uerbis declarat. Pugna carnis aduersus spiritū.

Nam etsi, inquit, uoluero gloriari, non ero insipiens: ueritatem enim dicam. Parco autem, ne quis me existimet supra id, quod uidet in me, aut audit aliquid ex me. Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Sathanæ, qui me colaphizet. Propter quod Dominum ter rogaui, ut discederet á me. Et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea: nam uirtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persequutionibus, in angustijs pro Christo: cum enim infirmor, tunc potens sum, &c. 2. Corint. 12. Victor glorioſus in hac pugna Paulus.

Deinde arte & industria opus est, ut domestica dissidia inter maritum & uxorem: parentes & liberos: dominum & seruos, componantur. Qua qui excellunt, & ipsi haud uulgarem apud bonos tum fauorem & gratiam sibi conciliant, tum honorem assequuntur. Domestica dissidia.

Postremo, summa cum laude ad cœlum etiam efferendi sunt, maximisq; & amplissimis honoribus decorandi, quorum sollicitudine, industria, & uirtute, Ciuiles seditiones atq; discordiæ sedantur atq; tolluntur: uitæ fortunæq; ciuium, á furore seditioſorum illæsæ, cu- Virtus eminentissima in sedandis seditionibus.

stodiuntur. Deniq, qui per uim oppressi, & in miseram seruitutem redacti fuerunt, in ueram libertatem asseruntur. Quo nomine Solon, alijq; apud Græcos summis laudibus celebrantur: Ac Thrasybulum ferunt, cum Athenienſium ciuitatem à Triginta Tyrannorum sæuitia liberasset, ac discordias ciuium obliuionis lata lege composuisset, pro tantis meritis præmij loco, coronam ex duabus urgulis oleaginis fuisse datam. Et apud Romanos Valerio Dictatori, quia paucis annis post Reges exactos, discordias ciuiles plebis aduersus Patres sedauit, honores amplissimi sunt habiti: propter quod & primus apud Romanos Maximus est appellatus. Sic Lucius Gellius, uir Censorius in Senatu Ciceronem Consulem Corona Ciuica donari è Republica censuit, quòd eius opera esset atrocissima illa Catilinæ coniuratio detecta, uindicataq;. Erat autem Ciuica Corona, quam ciuis ciui, á quo seruatus esset in prælio, testem uitæ salutisq; perceptæ dabat. Quin & uilioris abiectioris q; conditionis homines laudem etiam aliquam ex eo merentur, quòd ad conciliandas hominum amicitias & concordias idonei esse creduntur: Quod de muliere quadam in urbe, Precia nomine, narrat Plutarchus. Ea tametsi uita turpis, ut nec impurissimo scorto præstaret, tamen quia ex frequentissimo nobilissimorum iuuenum congressu gesta in Republica perdiscenda, ciuium discordias componere, amicitias confirmare, idonea fuit, & amplissimam sibi beneuolentiam in urbe conciliauit.

Cicero in Bruto. de clar. Oratorib.

A. Gellius lib. 5. noc. att. c. 6.

Quid Corona Ciuica.

Plut. in Lucullo.

Sed quorsum hæc tam multa de uirtutibus, præmijs, & honoribus militaribus? Nempe ut intelligamus, ijs, qui ad summos honores peruenire contendunt, in hoc maxime incumbendum esse, ut sint non solum prudentes, iusti, temperantes, modesti, uerborum item artifices & interpretes, tum Iuris, omniumq; adeo forensium rerum consulti & exercitati: sed etiam componendorum bellorum, siue externorum siue intestinorum, periti. Nam his rebus non solum amplissimos honores uiuentes, sed etiam uirtutum suarum mortui memoriam apud posteros consequuntur sempiternam.

Bellorum componendorum peritia.

Porro ad comparandam hanc facultatem, ut in cæteris quoq; fieri solet, arte opus est, quam ex ueterum institutis & præceptis petendam esse existimamus. Ac de arte & disciplina militari, multa quidem extant ueterum, tam Græcorum, quàm Latinorum scripta: quorum bona pars ad propulsanda pericula tam Externorum bellorum, quàm discordiarum ciuilium, communiter accommodari possunt.

Cæterum,

Cæterum, quod ad seditiones proprie attinet, aliquæ quidam Principum leges & Constitutiones, de pœnis seditiosorum promulgatæ sunt, in quas & Iureconsultorum Commentarij circumferuntur, & tractatus quidam, de seditiosis inscripti, qui & uice Commentariorum esse possunt. Verum, qui de seditionibus uel cognoscendis uel sanandis artem tradiderint, hactenus, quod equidem sciam, uidi neminem. Quæ res sæpe magnam mihi, ac fortasse multis etiam alijs, admirationem mouit. Quis enim non miretur, in tanta præclarissimorum ingeniorum copia, cum multa multorum, eorundemq; doctissimorum uirorum, in omni disciplinarum genere scripta, in lucem ædita cernantur: nullum tamen inter hæc de Seditionibus arte sanandis extinguendisq;, conceptum reperiri. Qua sane ratione motus ego, quod ab alijs hactenus neglectum est, & quasi pro derelicto habitum, id merito iure mihi occupandum, ac occupanti concedendum esse putaui. Itaq; in hanc quasi uacuam huius Argumenti possessionem ingressus, idipsum stylo meo, rudi quidem illo, sed facili tamen, ut puto, & plano excolendum suscepi, ac totam seditionum materiam in Sex libros digessi. In quorum Primo diffinitio, & natura seditionum & partium eius, explicatur. In Secundo causæ seditionum inuestigantur. In Tertio incõmoda & pericula seditionum enumerantur. In Quarto remedia subministrantur, quibus seditiones comprimuntur. In Quinto pœnæ in seditiosos constitutæ declarãtur. In Sexto remedia exhibentur, quibus seditiones prorsus tolluntur: tum etiam præcauetur, ne semel extinctæ, denuò renascantur. Omniaq; hæc eo omnino ordine, quem Methodus exigit: quam ut in cæteris meis scriptis, ita & in hoc Argumento obseruandam esse duxi. Neq; uero tantum ipse mihi sumo, ut his ipsis qualibuscunq; scriptis meis, uel rei, quam tractandam suscepi (quæ quidem & uaria est & ampla) uel doctorum hominum iudicio satis fecisse me putem: Sicut nec in hoc susceptus est à me hic labor, ut hinc fama, aut aliqua ad me ingenij gloria redeat, sed ut hæc utcunq; à me congesta, & uix rudissimè adumbrata, per artificum aliquando doctiorum manum absoluantur. Iam uero nec audiendi mihi uidentur, quos iam uidere uideor, hos libros meos eo nomine calumniaturos, quasi non sit hic meus partus, sed subditititius potius & alienus, ex aliorum uidelicet scriptis, quorum in his libris testimonijs utimur conflatus. Vulgaris quidem illa obiectio est, eorum maxime, qui scribendi ipsi imperiti, aduersus eos, qui scribendo in commune prodesse possunt & uolunt, hæc & similia in ore habent.

Ars sanandi ac sedandi seditiones, his traditur.

Sex libri de Seditionibus.

I.
II.
III.
IIII.
V.
VI.

Intentio Authoris.

Obiectio inuidorum ac detrahentium.

Terent. in Prologo Eunuchi.

Scribendorum librorum non est finis: Nihil est dictum, quod non dictum sit prius. Sed quæ neq; honorem Scriptoribus, neq; Scriptorum fructum lectoribus adimere debent. Primum enim non est continuo alienum, quod ex aliena materia factum est.

Responsio per similitudinem.

Neq; enim imaginem opus pictoris esse negabimus, domum fabri lignarij, cyphum aureum & argenteum aurifabri: quia colores, ligna, lapides, aurum, & argentum, ex quibus hæc ipsa constructa sunt, aliena esse dicuntur.

Et ad eundem modum nec Ciceronis opera, Homerus, Plato, Xenophon, Aristoteles, Panetius: nec insigne illud & diuinum, ac multis modis admirandum, naturalis Historiæ opus, quod Plinius composuit, Aristoteles, Theophrastus, Dioscorides, Hypocrates, Galenus, & innumeri alij, tam Græci quám Latini Authores. Nec Hieronymi & Augustini scripta, Origenes, Epiphanius, Cyprianus, Ambrosius, & quidam alij: Nec recentiorum opera ueteres, quorum scriptis recentiores illi adiuti sunt, uendicare sibi possunt. Quia ex scriptis authorum illorum ueterum, qui illis successerunt, quædam mutuati, in sua scripta transtulerunt.

Exempla ueterum, è quibus noua colliguntur.

Quid igitur obstat, cur non & hos meos libros de Seditionibus meos esse dicam? etiamsi in his multa diuinarum literarum testimonia, multa sacrarum constitutionum, tam Canonicarum quám ciuilium, Decreta, multa Philosophorum scita, multa deniq; uariaq; Historiarum exempla contineantur? Meus est hic, meus est (inquam) & legitimus partus: qui si deformis est, tamen turpem & deformem meum esse negare non possum. Si alienis plumis induta cornicula uidebitur, plumas equidem alienas esse fatebor: sed corniculam, etiamsi implumem, non erubescam quæ mea est, etiam nudam omnium obtutui præsentare, ut omnes uideant, quæ mea sint, quæ aliena. Scio enim uerum esse, quod ille dicit. Ingenui pudoris esse, fateri per quos profeceris.

Hi libri ex uarijs collecti.

Nomina Authorũ explicare, quorum dicta recitantur.

Ex qua sane causa omnium maxime semper conuenire putaui, ut quorum testimonijs in scriptis nostris utimur, eorum etiam mentionem aliquam expressis nominibus faciamus. Quod & ego diligentissime semper in scriptis meis hactenus obseruaui. In quibus sanctorum Patrum & Conciliorum, Constitutionum item Imperialium, Philosophorum & Historicorum, non solum sententias, sed etiam uerba, quibus nostra confirmamus, inserimus: tum nomina etiam authorum, atq; librorum titulos, & numeros in Marginibus paginarum consignamus:

ſignamus: eius memores, quod Seuerus Caſsius in eos iactabat, qui alie-nas ſententias paucis mutatis uocibus, pro ſuis uſurpabant. Nam ſimi-les eos eſſe dicebat furibus, qui poculis alienis mutarent anſas, ne poſſent agnoſci. Malo enim lectorem de his, quæ tum á nobis dicuntur, tum ad confirmanda noſtra ex alijs afferuntur, integrum iudicium relin-quere, quám ſuppreſsis authorum nominibus, ſententijs, ac uerbis, apud doctos in huiuſmodi furti aut plagij potius ſuſpitionem uenire.

Cautela in exemplis ueterum potius, quâm re-centium ſeditionũ.

Etſi autem neminem eſſe puto, qui ſe in his libris noſtris offen-ſum eſſe iure conqueri poſsit: ſiquidem ea modeſtia & cautione á me ſcripti ſunt, ut ueterum magis, quám noſtræ ætatis ſeditionum exemplis utar, tum quòd præſentium, uel paulô ante extinctarum ſe-ditionum obliuiſci magis, quám earum memoriam confirmari opor-teat: tum quòd idem á ueteribus quoq; obſeruatum eſſe animaduer-tam, qui & ipſi in ſcriptis odioſis ab ætatis ſuæ exemplis abſtinue-runt. Id quod Marcum Ciceronem quoq; in libris ſuis de Republica ſcriptis feciſse, ipſe in epiſtola ad Quintum fratrem teſtatur: Ta-men eiuſmodi argumentum eſt, quod in libris noſtris tractatur, quòd uel nomine ipſo, & Tituli inſcriptione, nonnullum ſui odium conci-taturum uidetur. Nam erunt procul dubio multi, qui tametſi nullo in his uerbo perſtringantur, tamen re ipſa ſe notatos eſſe ſuſpi-cabuntur.

Similitudo, ex libris Medicorum de morbis.

Quanquam non uideo, cur propter atrocitatem rerum, quæ in his libris tractantur, ipſi libri ſint faſtidiendi. Quemadmodum enim libros medicorum legimus, etiamſi in ijs omnis generis morbi comme-morantur, quia morborum non tantum natura, cauſæ, & pericula in his explicantur, ſed etiam remedia morborum exhibentur: Ita nec libri, qui de Seditionibus, alijſq; criminibus, ſcripti extant, repu-diandi erunt, quia in his ipſis uariæ cauſæ criminum & maleficio-rum tractantur: Sed legendi potius, & in omnibus Bibliothecis cuſtodiendi: quia & pœnas ſimul, quibus facinoroſorum conatus, conſilia, & facta coërcentur, conſtituunt, & quomodo irrogandæ ſint, demonſtrant.

Ratiõ dedicandi hoc opus Regi.

In hac igitur perplexitate, & periculorum difficultate, in quibus hos meos libros conſtitutos eſſe uideo: uſum eſt mihi, eos ipſos omnium maxime Maieſtati tuæ dedicare. Tum, ut eum Pa-tronum habeant, qui quæ in his ipſis docentur, ea ipſe re ipſa non paucis á ſe dudum ſeditionibus, ſumma prudentia, conſilio, & arte com-poſitis, uera eſſe demonſtrauit: Tum ut eius patrocinio & tutela adiuti,

tutius

tutius & securius in lucem prodire, & inter hominum manus uersari possint. Reliquum est, Rex Inuictissime, ut quos Maiestati tuæ dedimus, atq; dedicamus libros, eos quasi seditiosorum gladium, non minori benignitate defendendos & custodiendos suscipiat, quám seueriore antea animaduersione seditiosorum motus supprimendos curauit. Deus Opt. Maximus Sacram tuam Regiam Maiestatẽ pro tuenda atq; conseruanda, aduersus seditiosorum furores, patriæ salute, ad longissimos annos incolumem conseruet: Cui & me humillime commendo.

Bene ualeat Sacratissima Regia Maiestas tua, Rex omni uirtute Ornatissime, Domine omnium Clementissime. Ex Landeshuta Bauariæ, Octauo Calendas Martij, Anno salutis

M. D. L.

ELENCHVS

ELENCHVS CAPITVM LIBRORVM SEX, DE SEDITIONIBVS, D. BRVNI.

De Seditionibus Liber Primus: Qui est de diffinitione, & natura seditionis, & partium eius.

1 Quid sit seditio.
2 Prima diuisio seditionis in Monasticam, Oeconomicam, & Politicam.
3 Inter schisma & seditionem quid conueniat, & quid intersit.
4 De rebellione.
5 De rebellibus Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ.
6 De ditione Romani Imperij, & subditis eius.
7 De obedientia subditorum Romani Imperij, & in quibus rebus consistat.
8 Obedientiam Romanis Imperatoribus, alijsq; Potestatibus, tam iustis quàm iniustis, exhibendam esse.
9 De his, qui Romano Imperio rebelles sunt.
10 De rebellione, quæ aduersus inferiores Potestates, sacerdotio & Imperio subiectas, committitur.
11 De crimine læsæ Maiestatis.
12 Crimen læsæ Maiestatis, an aduersus eos, qui Romanorum Imperatori subiecti sunt, committitur.
13 De crimine proditionis.
14 De factionibus.

De Seditionibus Liber Secundus: Qui est de causis seditionum.

1 De causa seditionum in genere.
2 De seditione, quæ propter contumeliam, auaritiam, & iniqua lucra eorum, qui Respublicas administrant, concitatur.
3 De seditionibus, quæ propter honores inæqualiter distributos oriuntur.
4 De seditionibus, quæ propter contemptum excitantur.
5 De seditionibus, quæ propter metum conflantur.
6 De seditionibus, quæ propter aliquorum præpotentiam, in Republica fiunt.
7 De seditionibus, quæ propter incrementum excessuum fiunt.
8 De seditionibus, quæ propter dissimilitudinem loci, & naturalis originis eorum, qui in una Repub. degunt, oriuntur.
9 De seditionibus, quæ propter dissimilitudinem generis, officiorum & artium, excitantur.

10 De seditionibus, quæ ex diuersitate atq; dissimilitudine Religionis descendunt.
11 De seditionibus, quæ à populo ob Religionẽ in diuersas partes scisso, propter alterutrarum partium Doctores & Prælatos, concitantur.
12 De seditionibus, quæ propter negligentiam eorum, qui præsunt rebus publicis, oriuntur.
13 De alijs quibusdam causis seditionum.
14 Nimiam fœlicitatem esse causam seditionum.
15 Quibus modis seditiones per fraudes seditiosorum, collectis coactisq; in eorum societatem hominibus, augeantur atq; corroborentur.
16 De moribus seditiosorum.
17 Quibus modis seditiosi uim uel alijs inferant, uel sibi illatam inferendamue propulsent.
18 De eloquentia seditiosorum.
19 De materia, fine, & forma seditionum.

De Seditionibus Liber Tertius: Qui est de malis & incommodis, quæ ex seditionibus proueniunt.

1 Seditionem per se malum esse.
2 De pace & concordia.
3 De bello & discordia.
4 Seditionem pernicioſiorem esse bello externo.
5 De incommodis rebellionis.
6 De incommodis factionum.
7 Propter seditiones Respub. & earum statũ & formam mutari.
8 De calumnioſis seditiosorum accusationibus, & quæ has ipsas comitantur crudelitatibus.
9 De crudelitatibus, quæ nullo præcedente iudicio, per seditiones in innocentes exercentur.
10 Seditionem nasci ex seditione.

De Seditionibus Liber Quartus: Qui est de remedijs, quibus seditiones comprimuntur, sed non in totum extinguuntur.

1 Ad quorum officium pertineat sedare seditiones.
2 Quales esse debeant Irenarchæ, quibus seditionum componendarum cura iniungitur.
3 De diuino auxilio, in tribulationibus seditionum implorando.
4 Seditionibus in tempore occurrendum esse.
5 De remedijs Monasticæ seditionis.
6 De remedijs Domesticæ seditionis.

De

7 De Delatoribus & indicibus seditionum.
8 Quibus modis seditiosorum coniurationes, & consilia dissoluantur.
9 De Transactionibus, quibus seditiosi ad concordiam reuocantur.
10 De seditionibus per uim armatam comprimendis.

De Seditionibus Liber Quintus: Qui est de pœnis seditiosorum.

1 Quis modus in constituendis seditiosorum pœnis seruandus sit, ac primum de generali seditiosorum pœna.
2 Propter causam seditionum, aliam alia grauiorem esse uel leuiorem: & ob id pœna etiam seueriore uel mitiore dignam.
3 De differentia personarum, propter quas pœna uel grauior, uel leuior contra seditiosos constituitur.
4 In uno eodemq; genere delicti, pœnas in seditiosos, pro conditione & qualitate personæ, uel seuiores uel leuiores constitui.
5 Propter personas eorum, in quos seditiones exercentur, pœnam uel grauiorem statui uel leuiorem.
6 De authoribus seditionum, & eorum pœnis.
7 Propter locum & tempus, in seditiosos uel grauius, uel leuius animaduerti.
8 Propter euentum, seditionem grauius, uel mitius puniri.
9 De pœna multitudinis seditiosorum.
10 De calumniatoribus legum, & pœnis eorum.
11 De seditiosis, qui Iudices & Magistratus calumniantur, deq; pœnis eorum.
12 Quibus modis in crimine seditionis procedendum sit.
13 De uindicta diuina in seditiosos.

De Seditionibus Liber Sextus: Qui est de remedijs, quibus seditiones non solum extinguũtur, sed etiam præcauetur, ne semel extinctæ denuo renascantur.

1 Quibus modis seditiones, quas potentiorum auaritia peperit, extinguantur.
2 Quibus modis seditiones, propter ambitionẽ natę, aboleantur.
3 Quibus modis seditiones, propter metum Tyrannorum concitatæ, tollantur.
4 Quibus modis tollantur seditiones, quæ propter præpotentiam aliquorum in Repub. ortæ fuisse dicuntur.
5 Quibus modis seditiones tollantur, quæ propter dissimilitudinem oriuntur.
6 Quibus modis tollãtur seditiones, propter contumeliã excitatę.
7 De Remotione causarum Instrumentalium seditionum.

INDEX.

IN SEX D. BRVNI IVRECONSVLTI

Libros de Seditionibus, rerum scitu dignarum Index, ac summaria commemoratio, cum Tribus adiectis literis: Quarum A primam, B mediam, C tertiam paginæ partem indicabit.

A

ABsalon seditiosus 199.C
Abdicatio bonorum Magistratuum 152.B
Achæi Trœzenios expulerunt 89.A
A crimine rebellionis, non excusant opes aut dignitates 52.A
Actus humani multiplices 206.A
Adamitarum secta, authore quodam Biccardo 95.A
Adamitarum & Anabaptistarum conuenticula 278.A
Ad obediendum qui astringuntur Ro. Imperio 41.A
Adoratio Romanorum Principum, qualis fuit 43.B
Ad quid accepit claues Petrus 35.C
Adytum Mithræ, & nefanda sacrificia Paganorum 97.A
Æmulatio inter ciues, non est seditio 4.B
Æmulatio inter Artifices 93.C
Æqualitas proportionis in Republica Romana 86.C & 87.A
Affectus irenarchæ in uindicta 204.B
Alexander Magnus, ueneno sublatus est 260.C
Alia post syllam bella ciuilia 166.A
Altercatio de subiectis Romano Imperio 28.A
Alterum iuramentum Regis Roman. ad Papam 21.A
Amazonum seditio 209.B
Ambitio Sp. Melij 78.A
Ambitus Romanorum 251.B
Anastasij Imperatoris contra Papam Hordismam rebellio 25.A & 263.C
Ante prælium Dei misericordia implorandæ 202.C
Antoninus Pius Reipublicæ amator 73.C
Antonini Philosophi laus 73.A
Appianus & Plutarchus diuersi de occisore Ciceronis 169.C
Appius Claudius Virginiam uirginem stuprauit 84.C
Arati prudentia in liberanda patria sine seditione 249.A
Armorum multa genera 276.B
Arrianorum seditio contra Chrysostomũ 96.A
Ars dialectica affinis eloquentiæ 171.C
Asellius Prætor, leges ueteres in fœneratores innouauit 75.C
Assur uirga diuinæ uindictæ 242.A
Attentationes rebellium, contra iudicium Imperialis Cameræ 51.A
Auaritia causa est seditionum 71.B
Auaritia & Ambitio duæ pestes Reipub. 110.A
Auctio rerum propriarum, per Antoninum Imp. Philosophum 72.B
Aureæ Bullæ Caroli Quarti 44.C
Authoritas Ro. Ecclesiæ, multa cõplectitur 23.B
Authorum ad seditiones studia 121.C
Authores seditionis dupliciter peccant 223.C
Azariæ oratio in camino ignis 179.B

B

BAbyloniæ fornax in homine 5.C
Bebius Marianus, sine ferro laniatus est 165.C
Bellum & seditio differunt 3.C
Bellum conscientiæ perpetuum 6.A & 184.A
Bellum Spartaci gladiatoris 70.B
Bellum propter pacẽ geritur, si iustũ est 136.B
Bellum duplex: Domini, & mundi 140.C
Bellis externis excreuit potentia Ro. 148.B
Bonifacij VIII. constitutio 216.A
Bucephalus equus Alexandri 79.C

C

CAlumniæ in leges & Canones 50.C
Calumniæ & rapinæ Neronis 74.C
Calumnia quid sit 160.B & 236.A
Candaulis Regis Lydorum stultitia 16.C
Canon contra detractores 236.C
Canulei aduersus Patres seditio 82.A
Carolus Magnus defensor Ro. Pontificum 218.B
Catilina metu iudiciorũ factus est seditiosus 83.A
Catilinæ uirtus in prælio 129.C
Causa efficiens seditionum duplex 69.B
Causa contemptus Laicorum contra Clerũ 82.A
Causa instrumentalis seditionum 113.A
Causa Tyrannidis duplex 257.C
Christus Regiã et Sacerdotalem potestatem simul habuit 32.C
Christus author & princeps pacis 137.C
Christus sub Augusto natus 166.B
Christiana de tollerãdis Tyrãnis sentẽtia 266.A
Cincius Gregorium Papam VII. turri inclusit 26.A
Cinnæ et Marij crudelitates 164.A
Clandestinæ consultationes seditiosorum 113.C
Claudius Cæsar, & Nero, ambo turpissima morte interiere 261.C

Colloquium sub Hunerico Rege Arriano 119.B
Conciliorum intermissio noxia est 105.A
Concordia de rebus inhonestis fugienda 198.B
Confiscationes iniquissimæ C.Caligulæ 74.B
Coniuratio Catilinæ, humano sanguine confirmata 115.C
Consilia ad seditiones 114.A
Conspiratio contra Fridericum Imp. I. 119.A
Constitutio Henrici VII. de rebellibus 51.C
Contentio circa Cæsaream inter Iudæos & Syros 88.C
Conuitia in Vniuersitates 234.A
Corcyra multis seditionibus obnoxia 125.A
Coronatio Ro. Regis in Ecclesia Aquensi 22.B
Crimen læsæ Maiestatis, ueteres crimen perduellionis uocarunt 56.C
Crimen læsæ Maiestatis, qui contrahunt 57.A
Criminis læsæ Maiestatis & proditionis differentia 61.A
Crudelitas in innocentes per seditiones 163.A
Crudelitas Triumuirorum in occisores Iulij Cæsaris 275.A
Cruenta seditio contra Christianos 98.A
Cunipert Theodotã puellam à se stupratã, monasticæ uitæ mancipauit 17.B
Cur Christus & Apostoli á gladij temporalis usu abstinuerunt 34.C

D

De armorum usu uariæ leges 279.A
Declaratio particularum iuramenti Vasallorum 45.B
De iudicio Papæ non licet iudicare 23.A
Delatores qui sunt 193.C
Delictum multitudinis singulos tenet 231.B
Deo qualiter obediendum sit 13.B
Detractor quis 237.A
Deus diuersimode punit peccata populorũ 29.A
Deus adiutor in tribulationibus 176.A
Dei est iudicare Papam 19.C
Differunt rebellio & factio 12.B
Differentia timoris & obedientiæ inter domesticos 189.A
Discordiæ inter Cõsules, et Tribunos plebis 92.B
Discordiæ domesticæ 145.C
Discordia Ordinum, uenenum est Reispu. 154.B
Dissensio inter ciues, bona et mala reperitur 4.C
Dissimilitudo causa est discordiarum 88.B
Dissimilitudo rerum non est tollenda 270.B
Distinctio inter personas uarias 209.A
Diuisio Imperij sub Ludouico III. 11.C
Diuisio qua dissipantur cõsilia seditiosorũ 195.B
Diuisio inter Iudæos per Paulum facta 197.A
Doech proditor Abimelech 61.C
Dolosa simulatio Arrij 120.C
Domitianus fiscales calũnias pœna deleuit 73.B
Duæ sunt supremæ potestates: Sacerdotium, & Imperium 18.A
Duæ seditiones plebis Romanæ contra Senatum 130.A
Duo genera belli 171.C
Duplex gladius Ro. Pontificis: Spiritualis, & Materialis 33.B

E

Ecclesia Constantinopolitana sæpe rebellauit Romanæ 23.C
Ecclesia duplex: Vna sanctorum, altera malignantium 31.A
Eleazari, ducis militum, apud Iudæos seditio 95.C.
Eloquentiæ utilitas 130.B
Eustathius Anthiochiæ Episcopus, ab Arrianis depositus fuit 102.B
Eutichiana hæresis, negligentia Theodosij in immensum aucta 104.C
Exempla gladij temporalis in Sacerdotibus & Prophetis 34.B
Exemplo Christi & discipulorum eius, Ro. Principibus honorem esse præstandum 47.B
Exemplum de Fabio Ambusto 77.B
Exemplum Hester, in maxima tribulatione constitutæ 178.C
Exemptiones Principum Electorum 42.C
Exercitium supremæ potestatis utriusq; 18.B
Exercitus odium contra App. Claudium 151.A

F

Factio duplex: Bona & mala 64.A
Factio proprie in malam partem sumitur 65.A
Factiones Romæ quales fuerunt 66.A
Factio sub Imp. Henrico Quarto 67.B
Factiones Romam fecerunt uincibilem 155.C
Falsa fœlicitas in prauis moribus 110.B
Famosi libelli contra potestatem Imp. 49.A
Fidelitas Vasallorum & Officialium 14.A
Fidelitatem uiolant schismatici 20.A
Fidelitas iureiurando præstanda Imperatoribus 44.C
Fides etiam hostibus seruanda est 200.B
Fiscus quid sit 71.B
Fœlicitas in seditione quid dicatur 109.A
Fœnus causa seditionum est 75.B
Forma iuramenti Episcoporum ad Papam 20.B
Fraus duplex 113.B & 157.B
Fraudulenta exhortatio Magni Arriani 118.A
Fraus in simulatione affectatæ pacis 120.A
Fridericus I. tres falsos Pontifices creauit 26.B

G

Gallienus contemptibilis Imperator 81.B
Gaianus, iussu Theodoræ Augustæ, Episcopatu depositus fuit 102.C
Gentes á Deo punitæ per filios Israel 30.A
Gladius Materialis est quidem Papæ, sed non ab eo exercendus 33.C

Gracchorum seditiones 10.B & 163.A
Gracchanæ seditionis origo ex Plutarcho 269.A
Gradus potestatum inter Ecclesiasticos 12.C & 132.C
Gradus potestatum inter sæculares Ibidem
Gratidium Marij Legatum, milites trucidarunt 81.C
Guelphorum & Gibellinorum factio 66.B

H

Hadriani Imperatoris liberalitas erga debitores 73.C
Hæresis per sese rebellio est 96.C
Hæreses per negligentiam Prælatorum 104.C
Hæretici nostræ ætatis maxime sunt rebelles 25.A
Hæreticorum dolosi prætextus 122.B
Honor & reuerentia erga Ro. Imperatorē 42.C
Honor iuxta consuetudinem temporis, Principi deferendus 44.A
Hostis noster caro est 142.B
Hussitica hæresis, negligentia Vuentzeslai nata 105.A

I

Idem diuerso respectu multi sunt & pauci 2.C
Imitatores Chore sunt Lutherani 8.B
Immunes á crimine Læsæ Maiestatis qui sunt 57.C
Impedimenta concordiæ inter uirum & uxorem 189.C
Imperator hodie legitimo Dominus est mũdi 38.B
Imperator lex uiua est 41.C
Imperatores Ro. excommunicati á Ro. Pontifice 215.C
Imperialium Iudiciorum, multiplex differentia 42.B
Incommoda ex bellis etiam iustis 146.B
Incrementum excessuum duobus fit: forma & industria 87.A
Iniquissima sententia Hunerici Regis in Catholicos Episcopos 120.A
Iniquorum potestas, non est perpetua 48.C
Iniusta præcipienti Ro. Pontifici, non est obediendum 27.B
Inobedientia subditorum, ex nimia familiaritate nascitur 80.A
Inobedientia primorum parentum 152.A
In quo differunt subditi & Vasalli 45.C
Insolentia Decemuirorum 85.C
Instructio exercitus Catilinæ ad pugnam 129.A
Intentio iudicat actum 206.B
Inter Catholicos & hæreticos, non potest esse iusta pax 198.A
Interitus Tiberij Gracchi 126.A
Intrepida Catholicorum responsio 118.B
In Tyrannos insurgitur ex odio & contemptu 159.C
Inuasores imperij per Tyrannidem 265.A
Ioan. Fridericus Dux Sax. á Carolo V. bonis feudalibus priuatus 219.B
Ira quid sit, ab Aristo. definitur 77.B
Ira tarde senescit 273.C
Irenarcham bonæ opinionis esse oportet apud populum 175.A
Iudæorum facinus contra infantulum Christianorum 99.A
Iudices & Reges filiorum Israel 32.A
Iudicia quid sint 42.A
Iudicium Imperialis Cameræ Ibidem.B
Iulianus Imperator Episcopos ciuitatibus expellere iussit 99.C
Iulij Cæsaris interitus 261.B
Iuramentum subditorum 45.C
Iuramentum inique exactum 119.C
Ius Monarchiæ, apud Ro. Imperatorem remanet 39.B
Ius Regis Tyrannici 253.C
Iuuenes á Catilina illecti 114.B
Iustitia optimum est uinculum concordiæ in Repub. 109.B

L

Laicorum insultationes contra Catholicorum conciones 82.C
Largorum duo genera sunt 254.A
Laus Scipionis & Pauli Æmilij 72.A
Laudandi plurimi sunt sedatores seditionũ 171.B
Læna interfector Ciceronis 168.A
Legitima successio in filijs Sem 32.A
Lex quid sit 41.B
Lex Agraria seditiosa fuit 50.C & 269.C
Leges in fauorem alienigenarum 91.A
Lex horrenda proscriptionis 166.C
Leges concordiæ inter uirũ & mulierem 186.C
Lex Oppia quid statuit 210.A
Leges contra auaritiam renouandæ 248.A
Lex obliuionis, Amnestia dicta 275.B
Lucius Antoninus Commodus, per Athletã strangulatus fuit 262.B
Lucretia á Tarquinio stuprum passa est 84.B
Ludi Theatrales 253.A
Lutheranorum uerba contra Primatum Ro. Pontificis 8.B
Lupanar a C. Caligula in Pallatio constitutum 74.A
Luxuriæ sequitur auaritia 73.C

M

Magistratus negligentes, qui uocandi sint 103.B
Maiestas duplex: Diuina, & humana 56.B
Mancinus Gracchanæ seditionis causa fuit 84.A
Mandatum & lex, quomodo differunt 41.C
Marci Ciceronis proscriptio 167.C & 275.A

Marius ex fabro ferrario, factus est Imperator 11.C & 80. B
Marij & Syllæ seditiones 163.C
Materia seditionum, homines sunt 132. B
Maxime rebelles sunt hoc tempore hæretici 25.A
Maximinum Imperatorem sui generis puduit 80. C
Melchisedech, Rex & Sacerdos fuit 32.B
Metus quid sit 83. A
Milites Iuliani Imp. Apostatæ 48.B
Monarchia Romani Imperij 27.C & 38. A
Monarchiæ destructio 159. C
Monastica seditio quæ sit 5.A
Monastica seditio inter carnẽ et spiritum 182.A
Mores seditiosæ multitudinis 121.B
Mos prouinciarum seruandus est 42. C
Mos Erulorum in morte Regis 43. A
Mos hodiernus Principum erga Imperatorem 44.B
Motus in definitione Seditionis, quid significat 2. A
Mulieres quædam seditionum authores 70.C
Mulierum pœnas propter seditiones 210.C
Multiplex personarum differentia 211. C
Multitudinis diuersa nomina 2.C
Multitudo duplex 227.B
Mundus ex dissimilibus et cõtrarijs cõstat 270.A
Munitionum genera 276.B

N

Nabuchodonosor præfigurauit utrũq; Imperium 37.C
Negligentia quid sit 103. A
Negligẽtia in puniendis delictis 105. C
Negociationes in templis illicitæ sunt 225.A
Ne ignotæ linguæ præficiãtur Magistratus 91.C
Nemroth primus Tyrannus 31. B
Nero prodigus, sicut C. Caligula. 74.B
Nimia fœlicitas, est præcipua causa seditionum 109. A
Nolle obedire Ro. Pontifici, schismaticum est 7.C
Non est dignum, de temporalibus iudicare Rom. Pontificem 35.A
Non omnis discordia ciuium, seditio est 4. A
Non personæ meritis, sed dignitati Apost. Sedis defertur honor 19. B
Nutus Sacerdotis quid sit 33.C

O

Obedientia tria complectitur: Mandata, Reuerentiã, et iudicia 13.A et 41.B
Obedientia sub Idolatris Regibus, in ueteri Testamento 46. B
Obedientia domestica 14. B
Occisores Tyrannorum laudandi 265.B
Octauius, Augustus à Senatu salutatus 11.A & 18. B
Octauius Lepidum & Antonium uicit 69.C
Octauij Augusti continentia circa Legata 73.A
Octo millia fugitiuorũ cæsa sunt in foro 164.C
Odium & contemptus ex uitijs eorum, qui præsunt 79.C
Oeconomica & Politica seditio quæ sit 6.B
Officia Ecclesiastica à Laicis usurpata per hæresim Luth. 153. C
Omnes hæretici sunt schismatici 7.C
Omnes tam Laici quam Ecclesiastici, debent obedientiam Papæ 18. C
Omnis Potestas à Deo est 28.B
Opera carnis & spiritus quæ sunt 5.B
Opera Tyrannicæ prauitatis 259.C
Oratio Claudij Imp. in Senatu 89. C
Oratio Catilinæ ad suos in abdito loco 114.C
Oratio Catilinæ ad suos milites 128.A
Oratio Iudith in tribulatione Bethuliæ 177.C
Oratio Quintij ad plebem seditiosam 199.A
Ordo in ferendis honoribus seruandus 76.C
Ordo res optima est & necessaria 270.C
Ostracismus Athenienſium contra præpotentes 268. A
Otto Imp. Quartus, rebellis Innocentio III. fuit 26. C

P

Papyrij Prætextati festiuũ mẽdaciũ 187.B
Pascere oues quid sit 33.B
Pax unde dicta sit, & quotuplex 137.A
Perduellionis crimen quid? 56. C
Perpetua pugna inter carnem & spiritum 5. C
Pertinacis continentia circa testamenta 73. B
Philippus à Pausania cur occisus sit 260. C
Phormio senex delirus 202.B
Pœna proscriptorũ, qui in fuga deprehensi fuerunt 167. A
Pœna in Authores schismatum 173.A
Pœna mulieris de abacto partu 210. C
Pœna in rebelles Ro. Ecclesiæ, Excommunicatio 215. C
Pœna in rebelles Imperij 218.C
Pœna in filios reorum læsæ Maiestatis 221. A
Pœna diuina quid, & quotuplex 241.B
Pœna in filios seditiosorum 274.A
Populus multitudo est 2.C
Populariter loqui aut facere, quid ueteres dixerunt 2. C
Potestas legitima à Noe cœpit 31.C
Prælati negligentes, qui sunt appellandi 103.A
Prælia cruentissima Syllæ cum Marianis 164.C
præmium de capitibus interfectorum 166.C
Prætextus inspirationis Niniuũ 122. A
Priuilegia Romanæ Ecclesiæ 21.C
Processus in crimine seditionis 239. A
Processus in Ducem Saxoniæ, & Philippum Lantgrauium Hassiæ 240. C
Proditores maxime sunt qui, patriam relinquunt 61. C

Proscriptio in Ciceronem 275. A
Pugna conscientiæ aduersus animam, à carne uictam 6. A

Q

Qualia fuerunt cõsilia Catilinæ 127. A
Qualis forma est seditionum 133. C
Quantum noceat eloquentia prauorum 130. C
Quare Deus malos regnare permittit 28. C
Quatuordecim articuli coniurationis rusticorum prope Spiram 54. B
Quatuor factiones olim in spectaculis 64. A
Quatuor genera Comitiorum 251. C
Querela inuidiosa contra potentes 87. C
Qui sunt uere obedientes Ro. Ecclesiæ 18. C
Qui prohibentur esse delatores 193. C
Quid sit, uiuere secundum carnem 144. A
Quod Omnes et Singuli dicitur, nemo excluditur 52. B
Quomodo seruanda sit æqualitas 76. B
Quomodo acquiritur amor multitudinis 79. B
Quis Papæ debitam exhibeat reuerentiam & honorem 19. A
Quotidiana seditio inter spiritũ et carnem 5. B

R

Rebellio et seditio differũt 3. B & 133. C
Rebelles Deo qui sunt 14. C
Rebelles Ro. Pontifici, in Ecclesia nõ sunt 20. A
Rebelles in Deum sunt, qui Primatum Ro. Ecclesiæ negant 23. C
Rebelles Ro. Imperio 49. A
Rebelles sunt, qui leges nouãt uel abrogant 50. B
Rebellio Presbyterorum, cõtra Episcopum Moguntinum sub Henrico IIII. Imp. 53. C
Rebellionis diuersa crimina 56. B
Rebellionis incommoda 151. C
Regalia non plenam potestatem Imperialem continent 50. B
Reges puniendo peccata, seruiunt Deo 29. C
Regillianus per iocum factus est Imperator 11. B
Regna, quædã legitima, quædam Tyrãnica 31. B
Regum superbiam repræhendit Deus 29. B
Regum Franciæ olim imminuta potestas 49. B
Religionis diuersitas, causa est seditionum 94. A
Remedium contra seditiones ex ambitu 256. A
Remedia cõtra uim et fraudẽ seditiosorũ 278. C
Respõsum forte Episcoporũ Catholicorũ 119. C
Respu. ab alienigenis bene administrata 90. C
Rex Anabaptistarum Monasterij in Vuestphalia 123. C
Ritus salutãdi uarios, in duobus Maximinis 44. A
Rixa & seditio differunt 3. C
Romanum Imperium à XXX Tyrannis sub Gallieno occupatum 11. B
Romuli sapientia 90. B

S

Sacerdotium & Regnum in una eademq; persona 32. B
Salutatio Imperatorum Ro. 43. C
Schmalkaldianorum Conuenticula 278. C
Schisma quid sit 7. B
Schismatici in nouo Testamento 8. A
Scytharum cum seruis pugna 203. B
Secessio plebis Ro. in montem sacrum 10. B
Seditionis Etymologia 1. A
Seditio quomodo propriè diffinitur 2. A
Seditio & Tyrannis differunt 3. A
Seditio & generis & speciei nomen est 7. A
Seditio ligæ Schmalkaldicæ cõtra Imp. Carolũ V. 10. C (11. A
Seditiones de Principatu inter sese contendentium
Seditiosi nostri temporis, qualem Imperatorem habere cupiant 49. C
Seditiones in ciuitatibus Imperij 53. C
Seditio rusticorum sub specie Euangelij, Anno 1525. 55. C
Seditiones ex auaritiæ radicibus 76. A
Seditiones Anabaptistarum Monasterij 83. C
Seditio Romæ propter sacra Bacchanalia orta 94. A
Seditio propter Io. Chrysostomũ excitata 100. B
Seditio, mortuo Auxentio Arriano Episcopo, orta 102. B
Seditiones casu exortæ 106. C
Seditio, propter duos iuuenes, unius uirginis nuptias ambientes, orta 107. B
Seditiosi omnium maxime legũ ac Magistratuum opprimunt authoritatem 113. C
Seditio propter æs alienum plebis 116. A
Seditio C. Gracchi & Fuluij Flacci 126. B
Seditio, propter scelus Appij in Virginiam perpetratum, concitata 134. C
Seditio malum est: quia priuatio est alicuius boni 135. B
Seditio non semper crimen est 207. B
Septem remedia contra ciuiles discordias 193. B
Seruanda consuetudo in deferendo Ro. Pontifici honore 19. B
Seruire, in sacra scriptura obedire est 46. B
Sex interrogatoria ad Regẽ Ro. inũgendũ 22. B
Simulatio hæreticorum ad pacem 120. B
Spectaculum de uiro militari, à creditore suo indigné tractato, 116. B & 133. C
Spiritualia potius, quam sæcularia, debet curare Ro. Pontifex 35. B
Spiritualis potestas immediate: temporalis mediate à Deo est 36. B
Stultitia Regis Lydorum, circa uxorem alteri nude ostensam 16. C
Sylla & Marius in patriam seditiosi 69. C
Syllæ uindicta in totas ciuitates 166. A
Symonia quid sit 250. A

T

TAbula proscriptionis Syllanæ, duo millia continebat. 165.B
Tarquinius stuprũ Lucretiæ intulit 84.B
Temporalis potestas, subest spirituali 36.B
Tertium iuramentum Regis Roman. ad Papam 21.B
Teterrimum inter carnem & spiritum bellum 183.C
Theodoricus, Rex Gotthorũ, Ecclesiæ Romanæ rebellis fuit. 25.C
Theodora, coniunx Iustiniani, Ecclesiæ Romanæ rebellauit 25.C
Thrasybulus XXX. Tyrannos Athenienstium expulit 261.A
Tiberius et Caius Gracchi eloquentissimi 131.A
Timothei Heroli fallacia, circa Episcopatum Alexandriæ obtinendum 117.B
Transactio duplex: Honesta, et Inhonesta 197.C
Tres factiones olim Athenis 66.A
Tres modi, quibus Respublicæ gubernantur 156.B
Tria genera rebellium 53.A
Tria intendit Tyrannus 260.A
Tribulatio duplex: Interna, & Externa 176.B
Tribulationis remedium duabus comparatur rebus 177.B
Triplex crimen læsæ Maiestatis 221.C
Tyrannis unde nascatur in Repub. 257.A
Tyrannorum opera quæ sunt 259.B

V

VAlentinianus Imp. Iustinam uirginem, Seuera uiuente, uxorẽ duxit 17.A
Variæ olim dignitates & Magistratus in Ro. Imperio 40.A
Variæ causæ ad subitaneas seditiones 126.C
Variæ tentationes diaboli 145.A et 185.A
Vasallorum rebellio á seditione differt 3.C
Vasalli Romani Imperij 39.B
Vasallorum iuramentum, dominis suis præstandum 44.C
Vectigalia noua per C. Caligulam 74.A
Venationes in Circo, Pantherarum & Leonum 253.A
Veneti á Iurisdictione Romani Imperij exempti 38.C
Verba Lutheranorum ac Zuinglianorum contra Primatum Ro. Pontif. 8.B
Verbum stolidum seditionem parit 109.A
Verba Salustij de coniuratione Catilinæ 127.B
Verba Menenij ad plebem seditiosam 196.A
Verum ornamentum mulieris 187.C
Vespasianus Princeps auarus 74.C
Viginti nouem schismata, in Ecclesia Ro. numerantur 5.C
Vindicta ostensæ per uirum nuditatis 16.C
Vindicta in Ruffinum, & Stiliconem 103.C
Vindicta in seditiosos 169.B
Vindictæ æquitas seruanda est 201.A
Vindicta in Chore, Dathan, & Abyron 243.B
Vis magna obnoxiæ conscientiæ 143.A
Vita uoluptuosa 110.C
Vitellius Imp, prõpter Tyrannidem excarnificatus fuit 262.A
Vna fides & doctrina in Ecclesia 272.C
Vnde enascantur bella 112.C
Vnitas membrorum in corpore Ecclesiæ per charitatem 7.B
Vnitas ciuilis societatis, seditione scinditur 10.A
Vniuersitas dupliciter delinquit 228.C
Vt Irenarcha sit eloquens 173.C
Vtraq; potestas in Vicario Christi, Ro. Pontifice 32.C
Vxor instrumentum ad generationem est 186.B

Z

ZEnobia fœmina, & Marius ex fabro ferrario Principes creati sunt 11.C
Zeno Isauricus, sepulchro ab uxore inclusus interijt 263.B
Zoe á filio in Insulam relegatur 264.C

ERRATA.

Pag. 1. linea 5. plebs. pag. 5. lin. 7. ad: adde, se. pag. 14. lin. 1. dicam. pag. 16. lin. 23. Candaulẽ. pag. 23. lin 23. primatũ: adde, in. pag. 25. lin. 11. uniuersalia. et lin. 36. Anthemũ. pag. 26. lin. 25. Sarniẽsem. pag. 29. lin. 8. sicut: adde, per. pag. 47. lin. 30. aliquid. pag. 52. lin. 17. Guolfagus. et lin. 19. Charinthiorum. et lin. 20. Zeringẽ. pag. 63. lin. 1. colere. pag. 66. lin. 5. prohibebatur. pag. 69. lin. 33. cõstituta. pag. 70. lin. 2. Rhenniã. pag. 78. lin. 16. cum. pag. 83. lin. 19. Antonius. et lin. 20. Præterea. pag. 84. lin. 40. imperanti. pag. 95. lin. 6. Lustinitio. pag. 101. lin. 16. Macedoniũ. pag. 102. lin. 22. Eustathio. pag. 114. lin. 42. tetrarchæ. pag. 146. lin. 22. Byzãtinis. pag. 160. lin. 40. metuit. pag. 163. lin. 32. Gratidiũ. pag. 165. lin. 2. uictorũ. et. lin. 3. legatos: adde, dediderãt. pag. 167. li. 19. omni. pag. 170. li. 5. naturæ. pag. 185. lin. 29. sic lege: Apostolus armaturã Dei appellat. Induite, inquit, uos armaturam Dei, ut possitis stare aduersus insidias Diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio etc. pag. 192. lin. 35. lenius. pag. 203. lin. 35. leuior. et lin. 38. leuiore. pag 209. lin. 31. additam. et lin. 34. remanserant. pag. 210. lin. 14. iunioribus. pag. 212. lin. 42. humiliori: adde, nati. pag. 237. lin. 42. domini. pag. 246. lin. 15. pertinet. pag. 254. lin. 13. quid. et lin. 19. fiunt. et lin. 23. nos. pag. 257. lin. 10. multis. pag. 274. lin. 42. inuenirent.

AD LECTO-

AD LECTOREM
IOANNES COCHLÆVS.

QVod de alijs Opusculis Clarissimi & Doctissimi uiri, D. Conradi Bruni, mea cura in publicum æditis, qualecunq; iudicium meum tibi Candide lector aperui: hoc idem de his quoq; sex libris, quos de Seditionibus idem scripsit Author, teneo. Nec ulla ratione mutandum id esse censeo. Vna est enim in ijs omnibus diligenter & artificiose custodita Methodi ratio, de qua ipse mihi priuatim scripsit, antequam ullum eius opus mea cura fuerit euulgatum. Quam sane Epistolam eius, libro de Imaginibus ædito adieci, quo certius & clarius Authoris huius intentionem, & operum eius utilitatem, ex ipsius uerbis intelligere possis. Per me quidem salua sit laus & merces boni operis unicuiq;, iuxta illud Euangelij. Reddet Deus unicuiq; iuxta opera eius. Et illud Apo-
Matth. 16. 2. Cor. 3. stoli. Vnusquisq; autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem: Nullum tamen scio Authorem alium, qui tanti ingenij dexteritate, memoriæq; præcellentia, & lectionis omniiugæ ubertate, quodlibet argumentum sic tractat his nostris temporibus, sub ordinata Methodi doctrinalis explicatione, sicut facit singulari Dei dono D. Brunus. Facit quidem hoc in omnibus, quas hactenus uiderim, elucubrationibus suis: Sed huic ingenij sui artificio, singulari industria & cautela hanc superaddit in hoc opere gratiam, ut odiosam per sese materiã, de Seditionibus, tam placide tractet turbulentis hisce temporibus, Religionis iuxta Reiq; publicæ statu hæresibus, factionibusq; & grauissimis dissidijs omnium Ordinum exulcerato: ut uel pacatissimis temporibus placidius modestiusq; tractare non possit. Nihil enim aliud quærere uidetur, nisi pacem & ueritatem sub ordinatissima Methodi doctrina, secundum quã Administratores Reipublicę tam in Ecclesiastico quam in sæculari statu & regimine discant, & seditionũ occasiones deuitare, & seruato debitæ obedientiæ in omnibus officio, res dissidijs turbatas, iustitiæ prudentiæq; temperamento in pacem & concordiam reducere. Idq; sanctissime in omni statu & modo uiuendi, dum docet componere dissidiorum occasiones & causas, quęcunq; occurrere aut accidere queant, siue in Monastico, aut Oeconomico, siue in Politico statu, beatam & tranquillam uitam agere cupias. Facile autem credes super ijs mihi, Pie Lector, si uel breuissime consyderes & percurras, Capita singulorum huius operis librorum, quæ ordinatè, plane, & distincte, præmittit, & explicatè commemorat Elenchus. Bene uale, & huius Authoris ingeniosis laboribus in bonum, ad salutem animæ tuæ, & pacis utilitatem publicam, fruere fœliciter, ne ullis Seditionum incommodis obnoxius fias.

DE SEDITIO-

DE SEDITIONIBVS
LIBER PRIMVS.

Quid sit Seditio. *Caput I.*



EDITIO à seorsim eundo dicta est, ut Ciceroni placet, quod plebs uel inter se, uel cum magistratibus dissentiens, seorsim secedat. Vnde & seditiones, quibus plebs Romana à patribus secedens, primum quidem in sacrum montem trans Anienem, post reges exactos anno septimo: ac deinde post annos Quadraginta, in montem Auentinum se contulit: secessiones à scriptoribus uocantur. Fit autem seditio, per turbulentiorem populi motum, unde & impetus, motus, incursio, concitatio plebis, uis multitudinis, appellatur. Græci Pharatream à diuisione, ut opinor: Germani Auffruer / auffstanndt, uocant. Ab eodem nimirum motu plebis concitatiore. Propter quem et seditio, nunc uehemẽtiori morbo, nunc incendio, turbini, et à Pindaro tempestati maris comparatur: Quam & tempestatem aliquoties appellat Liuius. Ad quam comparationem, etiam Poeta noster alluisse uidetur, qui Æolum uentos oratione sua placare fingens, eos seditioso populo comparat.

Gl. in Rub. C. de Sedi. Arch. Io. and. quos refert Dom. c. decet de Imm. eccl lib. 6. tas. cons. 161. 4. uolum.

l. 2. § populo deinde aucto. et § & cũ placuisset, ff. de orig. Iur.

Cice. in Brut, seu de clar. orator. li. 2. in Catilinã. In orat. pro Cluentio, c. coniurationum 11. q. 1.

Cypr. Epi. 5. ad Corn. Pin. in Pythia.

T. Liuius li. 2. ab urb. cond.

Ac ueluti (inquit) *magno in populo cum sæpe coorta est,*
Seditio, sæuitq; animis ignobile uulgus,
Iamq; faces & saxa uolant, furor arma ministrat.
Tum pietate grauem, ac meritis si forte uirum quem,
Conspexere silent, arrectisq; auribus astant,
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, æquora postquam
Prospiciens genitor, cœloq; inuectus aperto.
Flectit equos, curruq; uolans dat lora secunda.

lib. 1. Æneid.

Hinc etiam concitari, incendi, flagrare, æstuare, sæuire seditiones apud autores dicuntur: ab incendio uidelicet, & morbo sumpta metaphora: & seditiosi ipsi turbulenti, & tumultuosi appellantur. Est autem Seditio (ut quidam definiunt) quietis publicæ perturbatio. Sed hęc descriptio potius, quàm definitio seditionis esse uidetur. Neque enim cum definito conuertitur: Etsi enim omnis seditio quietem

Cicero de oratore, in oratione in Vati. Nicolaus Boherius in tractatu de Sedit. uersi 2. præsuppono, num. 1.

quietem Reipublicæ perturbet, non tamen omnis Reipublicæ perturbatio seditio est. Nam & Tyrannide, & externis bellis, Reipublicæ status plerunq; commouetur, ac perturbatur: & tamen neq; Tyranni, neque qui extrinsecus bella Reipublicæ inferunt, seditiosi appellantur. Verius itaq; definitur seditio, ut sit motus populi & subditorum, eorúmue qui eiusdem multitudinis partes sunt, uel in eadem multitudine uersantur, quo uel plures inter se, uel unus plures ue aduersus eos, quibus fidelitate astricti sunt, utilitatis alicuius consequendæ, uel damni alijs aut iniuriæ inferendæ causa, scientes et uolentes in detrimentum & damnum Reipublicę, ad dissensionem concitantur. Motum in hac definitione pro genere ponimus, non quidē ut generaliter mutationē in Repub. designet, ut generationē, corruptionē & similia: nec ut quemlibet etiam animi motū denotet, ut in illo Iureconsulti. Non est cōstantis, & recti iudicis, cuius animi motum uultus detegit. Item in illo Ciceronis. Omnes motus animi, tanq; uentus hominem deferunt. Item. Nunquam animus agitatione & motu uacuus esse potest. Sed ut studium & conatum ardentius aliquid machinandi significet. Qua in significatione, accipitur illud Ciceronis. Is omnes motus Catilinæ conatus q; prohibuit. Ac talis quidem conatus interdum in actum exit, interdum res cōuitijs, iurgijs, rixis, querelis, & uerborum uelitatione agitur, manibus abstinetur: & quo minus ad effectū perducatur, bonis consilijs impeditur. Vtroq; aūt modo, et cum perficitur, & cum impeditur, seditio motus appellaē. Liuius eam seditionem, quæ nec dum erupit, sed ut erūpat iā apparata est, maturā appellat. Ea res (inquit) maturā iam seditionē, ac prope erumpentē oppressit. Addidimus in definitione: Populi, Cuius appellatione hoc loco omnis hominū multitudo uenit. Nā seditio esse potest, ubicunq; est hominū multitudo, ut in populo, in gēte, in collegio, in exercitu, in classe, in schola, et in quolibet cœtu et congregatione. Vnde quod seditiose factum est, ueteres populariter factū esse dixerūt. Ita populariter loquit̄, qui seditiose loquitur: populariter agit, qui seditiose agit: & contiones seditiosæ, populariter concitari dicuntur. Cæterum, quot homines multitudinem, quot populum, quot collegium, quot gentem, quot exercitū, quot cœtum & congregationē faciant: certa quidem regula dari nō potest. Siquidē interdū duo, interdū quatuor, interdū septē, interdū quadraginta, interdū quinquaginta, interdū maior pars uicinię, multi dicunt̄. Sed & idem numerus hominū, ad diuersa facta comparatione, nunc multitudo, nūc paucitas appellatur. Sic decē aut uiginti hominū millia, relatione ad ciuitatē aliquam facta, multi homines dicuntur: & tamen habito ad magnam aliquam prouinciā respectu, ijdem homines pauci dicuntur. Ita Moyses, cuius iussu Viginti tria hominum millia occisa leguntur, tamen paucorum uitam gladio extinxisse

Quomodo seditio proprie definitur.

Motus quid hic significat.

l. obseruandū ff. de off. præs. Cice. de clar. oratorib. et de natura deorum lib. 2. Cicero in Catilinam lib. 2.

T. Liuius. lib. 2 ab urbe cōdi.

Populariter loqui aut facere.

Cic. de cla. or. pro Cluentio Inst. de iure pers. Sfi. l. Imper. ff. de leg. 1. l. 2. Shoc rescripto ubi Bart. ff. ad Sil la. Bald. in l. antiquitas C. de usu fr. l. sed et si susceperit. ff. de iudi. Panor in c. latores, de cle. ex co. ministr. Exod. 32. c. disciplina 45. di.

tinxisse dicitur. Et ad eundem modum, de gente, de populo, de collegio, de turba, de cœtu, de congregatione, alijsq; similibus constituunt leges: ut populum decem, turbam uiginti, collegium tres, duo congregationem, cœtum decem homines constituant: Et tamen interdum plures, interdum pauciores has appellationes recipiunt. Est igitur in arbitrio Iudicis, et boni uiri positum, ut ipse, quot homines multi sint uel pauci, quot populus, turba, gens, cœtus, congregatio &c. interpretetur: eamq; rem ita arbitretur, ut materiæ subiectæ conuenire existimabit. Subditorum: Hoc additum est propter Tyrannidem, qua tametsi ipsa Respublica commouetur, tamen huiusmodi motus non seditio est, sed Tyrannis: Inter seditionem enim & Tyrannidem hoc interest, quod Tyrannis caput, Seditio membra Reipublicæ occupat: Nec potest caput, sed membra, seorsim ire & secedere. Sed & propter rebelles, additur uerbum Subditorum. Rebellio siquidem subditorum est erga Dominos suos, nec ad numerum uel multitudinem hoc casu respicitur: Siue enim multi sunt, siue pauci, Si obedientiam dominis suis subtrahunt, seditiosi & rebelles appellantur. Eorúmue qui uel eiusdem multitudinis partes sunt, uel in eadem multitudine uersantur: Hoc additur propter bella externa, quæ ideo appellatione seditionis nõ continentur, quia non ab his, qui eiusdem multitudinis partes sunt, uel in eadem multitudine uersantur: sed ab externis inferuntur, atq; extrinsecus intentantur, non secedendo, & seorsim eundo, sed aliunde in nos per uim irruendo fiunt. Vnde & seditiones, ciuilia, intestina, & domestica mala & bella, appellarunt ueteres, quod ea ipsa non extrinsecus inferantur: sed in ipsis uisceribus unius corporis, inter ciues uidelicet & domesticos enascantur. Quod nomen Cicero seditioni Catilinariæ tribuit, dum inquit. Atque hæc omnia sic agentur Quirites, ut res maximæ, minimo motu: pericula summa, nullo tumultu: bellum intestinum & domesticum, post hominum memoriam crudelissimum & maximum, me uno togato duce & Imperatore sedetur. Quo uel plures inter se: Hoc additur, propter eos motus, & dissensiones, qui inter paucos alicuius multitudinis concitantur: qui non seditio, sed rixa potius appellantur. Siquidem seditio, quæ inter subditos ipsos oritur, non paucorum est: sed multorum, et eorum quidem, qui sunt unius multitudinis partes, uel in eadem conuersantur. Rixa autem in duos tantũ, aut paucos orto conflictu concitatur: ueluti si duos plureśue, de possessione alicuius prædij altercantes, alter alterum eijciat, uerberet, interficiátue. Vel unus pluréśue, aduersus eos, quibus fidelitatę astricti sunt: Hoc addidimus propter rebellionem, quæ uel Vasallorum est, aduersus dominos suos, uel subditorum & domesticorum aduersus eos, quorum Imperio subiecti sunt, & fidelitate obstricti. Nam qui nõ sunt Vasalli,

Bald. in Aut. quod locũ C. de colla. Bart. in l. sicut, ff. quod cuiusq; iu. not. gl. in c. 1. de elec. Bart. in l. 2. ff de probat, et in l. prætor. la. 2 ff de ui bo. rap. Imo. in c. 1. de elect. Bald. in l. 1. C. de tutor. & curat. illustr. person. gl. in d. c. lato. ubi panor. de cle. excom. ministrante.

Differunt bellum & seditio

Seditio bellũ Ciuile dicitur

Cicero. in Catil. lib. 2.

Differunt seditio & rixa.

l. in rixa. ff ad leg. Corn. de sica. l. qui multa. ff ad le. Iul. de ui pub. L. 4. ff ui bonorum rapt.

subditi aut domestici, si tumultuosius aliquid agant, seditiosi quidem sunt, rebelles autem dici non debent. Vel utilitatis cõsequendæ, uel damni alijs, aut iniuriæ inferendæ causa: Hæc uerba finem seditionis denotãt. Omnis enim seditio fit aut ob utilitatem aliquam consequendam, aut damnum iniuriámue a nobis repellendam, alijsue inferendã. Inter se ad dissensionem scientes & uolentes in detrimentum & damnum Reipublicæ concitantur: His uerbis forma seditionis explicatur: Quippe à discordia seditio & nomen et formam accipit. Nam quid aliud est seorsum ire, quàm cum alijs dissentire: Nec omnis discordia seditionem parit, sed ea tantum, quæ Reipublicæ detrimentum, & damnum affert, & quietem illius & tranquillitatem perturbat. Nam & in ferendis legibus, disceptandis controuersijs, & alijs rebus iudicandis, & ordinandis magistratibus, Ordines alicuius Regni uel ciuitatis, plærunq; inter se dissentiunt: nec tamen huiusmodi discordia seditio est, ut quæ Reipublicę prodest magis quam obest. Quippe quę collatis inter se diuersorũ et eorundem dissentientium sententijs, tandem in concordiam coalescit. Sic nec mutua inter cives æmulatio & dissensio, qua alter alterum prudentia, consilio, & rebus gerendis, superare intendit, seditio est: Nam & ipsa Reipublicæ, non solum non noxia est, sed etiam utilis. Ac talem quidem discordiam Apollonius apud Philostratum, dissentientem concordiam appellat, & ciuitati in primis utilem affirmat. Ciuitas, inquit, recte habitanda dissentientis concordiæ indiget, quæ salutem quandoq; affert. Nam ut seditio, quæ ad gladios, mutuasq; plagas ciues deducit, à ciuitatib. exterminanda penitus est: sic mutua ciuium æmulatio, pro communi ciuitatis bono, ceu quod alius alio melius sententiam dicat, aut magistratũ rectius gerat, aut præclarius legatione fungatur, aut etiam splendidiora construat ædificia, aut in aliquo huiusmodi excellat: Talis, inquam, contentio, aut æmulatio ciuitati plurimum confert, licet ciues pro communi bono faciat dissidere: Atq; hac ratione discordia ciuium bonorũ et malorum, ad malos collata, seditio appellat: ad bonos uero, Reipub. defensio. Nam huiusmodi motus, quatenus mali cum bonis dissentiunt, damnum: quatenus uero prauis malorum conatibus resistunt, utilitatem Reipublicæ afferunt. Ideoq; & mali huiusmodi discordiarum uel autores, uel fautores, & participes, passim in historijs seditiosi: boni uero eorũdem persequutores, merito Reipublicæ uindices, tutores, & defensores appellantur. Neq; uero omnis dissensio, qua detrimentum Reipublicæ infertur, Seditio est: Sed ea tantum, quæ eo animo fit, ut Reipublicæ officiatur. Ideoq; si quis in rixa inimicum uerberet, inde tumultus aliquis oriatur, quo Respublica offenditur, non est ob id seditiosus dicendus. Quia non eò animo in rixam uenit, ut tumultum aliquem cõcitaret, aut in exitium Reipublicæ contenderet.

Non omnis discordia ciuium seditio est

Æmulatio inter ciues non est seditio

Philostr. li. 4. de uita Apol.

Dissensio inter ciues mala & bona reperitur.

Iason. cons. 86 tertij uolum.

Fœlinus in Ru. de treug. & pace.

Mars. de Hip. sing. 247. & in l. 1. de c. sicar.

Non

Non enim ad eà quæ occasionaliter: Sed ad eà potius, quæ principaliter aguntur, respiciendum est.

Prima diuisio seditionum, in Monasticam, Oeconomicam, & Politicam. Cap. II.



VNt autem uaria Seditionum genera. Ac primum quidem, seditionum alia est Monastica siue unius hominis ad ipsum, alia Oeconomica siue Domestica, alia Politica siue Ciuilis. Monastica duplex est, una carnis aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem: De qua accipiendum est, quod Apostolus dicit, Caro enim concupiscit aduersus Spiritum, Spiritus autem aduersus carnem: Hæc enim sibi inuicem aduersantur, ut non quæcunq; uultis, illa faciatis. Item illud. Video aliam legẽ in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Et iterũ. Ego enim mẽte seruio legi Dei, carne autẽ legi peccati. Item ueritas ipsa Dominus noster Iesus Christus dicit. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

Aug. de Salut. docum. c. 16.

Gall 5 Rom. 7

Matth. 26

Quibus alijsq; his similibus scripturæ testimonijs & exemplis ostenditur, quam grauis sit illa inter carnem & Spiritum colluctatio, & discordantibus ad se inuicem quotidiana congressio, ut non quæ uolumus ipsa faciamus: Dum Spiritus cœlestia & diuina quærit, caro terrena & sæcularia concupiscit. Cæterum quantum inter se pugnent, ipsorum quoq; inter se pugnantia & contraria opera demonstrant. Manifesta sunt enim (ut idem Apostolus testatur) opera carnis: Quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, Idolorũ seruitus, ueneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes et his similia. Fructus autem Spiritus sunt, Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Et hæc quidem interna seditio eò quoque grauior est, quia perpetua in nobis est, & quæ nunquam, quam diu in hac mortali carne peregrinamur, extingui potest. Fomes quippe huius mali intus in ultimis carnis recessibus latitat, nec unquam tillatorij sensus non stimulant. Qui etsi rationis autoritate ad tempus dometur: tamen usq; redit stimulus semel repressus, maxime in ijs membris, in quibus libidinum appetitus residet. Nam ut cætera membra imperio rationis obediant, & arbitrij retineant libertatem: tamen ubi hic Babyloniæ fornax exarserit, & quasi pice et naphtha conspersi libidinum ebullierint appetitus, inflammata caro libertatis priuatur honore: In tantum, ut rebellia membra (uelit nolit) ratio in motus nefarios audacter exurgant. Altera animæ seditio

Quotidiana seditio inter Spiritum & carnem.

Opera carnis & Spiritus.

Gal. 5

Perpetua pugna inter carnẽ & spiritũ.

Babyloniæ fornax in homine.

est quam aduersus Spiritum, iam a' carne uictum, exercet Conscientia, quæ nullo non suppliciorum genere nocentem iam territat & affligit. Ab ipsa siquidem conscientia, anima peccatrix captiuatur, accusatur, conuincitur, condemnatur, ac morti traditur. Est autem Conscientia, ut Origenes alibi scribit, Spiritus, qui ab Apostolo anima esse dicitur, uelut quidam Pædagogus ei sociatus & rector, ut eam de melioribus moneat, uel de culpis castiget & arguat. De qua & illud dictum est. Quia nemo scit hominum, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est. Et ipse sit conscientiæ spiritus: de quo dicit. Ille Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro. Sed & conscientiæ bellum raro quiescit in homine. Neque enim sine aliquo conscientiæ uulnere esse possumus, nec quisquam sic sibi blandiri de puro atque immaculato corde potest, ut innocentia sua fretus, nullius se peccati sibi conscium esse dicere possit: Cum scriptum sit. Quis gloriabitur se habere castum cor, aut quis gloriabitur mundum se esse a' Peccatis? Et iterum in Epistola sua Ioannes ponat & dicat. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos decipimus, et ueritas in nobis non est. Seditio Oeconomica siue Domestica est, quæ uxore & marito, parentibus & liberis, domino & seruis inter se discordantibus, in societate Domestica excitatur. Seditio Politica siue ciuilis est, quam subditi aduersus Dominum, uel alterutrum inter se uicini uel ciuitates unius Imperij uinculo constricti concitant.

Orig. in ep. ad Ro. lib. 2. c. 2. Conscientia Pædagogus animæ.

1. Cor. 2

Roma. 8

Bellum conscientiæ perpetuum.

Prouer. 20

1. Ioann. 1

Inter

Inter ſchiſma & ſeditionem quid conueniat, & quid interſit. Caput III.

ALia diuiſio ſeditionum eſt. Nam ciuilium ſeditionum quędam ob res ſacras, quędam ob prophanas oriũtur: illa proprie ſchiſma, hæc uero ſeditio appellatur. Nec eſt inconueniens, ut ſeditio tanquam genus in ſchiſma & ſeditionem ſcindatur. Nam idem in alijs quoq; uſu uenit, ut genere in certas ſpecies diuiſo, ſpecies ipſa nomen generis retineat, ut de adoptione, & plerisque alijs Iureconſulti affirmant. Schiſma à χίζω dictum eſt, quod eſt ſcindo, quia per ipſum Eccleſiæ unitas ſcinditur. Eccleſiæ unitas eſt, qualis & corporis: Nam ut corpus diuerſa membra habet, diuerſis officijs diſtincta, de uno tamen ſpiritu & uirtute participia: Sic Eccleſia & ipſa corpus eſt, cuius membra ſunt fideles: multa quidem & inter ſe diuerſa, ſed mutuæ charitatis, & unius ſpiritus compage, ita coniuncta & unita, ut in idipſum pro inuicem ſolicita ſint, & ſiquid compatitur unum membrum, compatiantur & alia: Si glorietur unum, glorientur & alia, ut Apoſtolus Paulus docet. Hæc unitas diuerſis modis ſcinditur. Primo propter diuerſam fidei profeſsionem, uel diuerſam in actib. Eccleſiaſticis ſententiam, cum diſceſsione ab Epiſcopali & Eccleſiaſtica obedientia coniunctam: iuxta illud Prophetæ. Sciſſuras ciuitatis uidebis, quia multiplicatæ ſunt. Et in hac ſignificatione ſchiſma ab Auguſtino diffinitur, Vt ſit recens congregationis, ex aliqua ſententiarum diuerſitate diſſentio. Ad quem modum omnes hęretici, ſchiſmatici appellantur, atq; huius generis tot fere ſchiſmata ſunt quot hæreſes. Nam uix hæreſis unquam fuit, quæ præter hoc quod eius aſſertores à Catholicis diſſentientes, ſeipſos ab Eccleſia ſeparauerunt, ſubinde etiam inter Chriſti fideles, nõ aliquam diuiſionẽ, & multorum Epiſcoporũ ſuorũ ab obediẽtia defectionẽ peperit. Cuius rei innumera fere exempla a me referri poſſent: de quibus poſt hac nonnihil dicemus, cũm de ſeditionib. ex hæreſibus deſcendẽtibus tractabimus. Secundo cũ Epiſcopi, alijq; inferioris etiã conditionis homines, Rom. Pontifici tanquam Eccleſiæ capiti pertinaciter, & cũ quadam rebellione debitã obedientiam ſubtrahunt: De quibus B. Cyprianus, ad Corneliũ Papã, ad hunc modũ ſcribit. Nec emñ hęreſes aliũde ortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, q̃ inde, quod ſacerdoti Dei nõ obtẽperatur nec unus in Eccleſia ad tẽpus ſacerdos et ad tẽpus iudex, Chriſti uice cogitat: cui ſi ſecundũ miniſteria diuina obtemperet fraternitas uniuerſa, nemo poſt diuinũ iudiciũ, poſt populi ſuffragiũ, poſt coepiſcoporũ conſenſum, iudicẽ nõ ſe iã Epiſcopi, ſed dei faceret: nemo diſsidio unitatis Chriſti Eccleſiã ſcinderet. Idem ad Florẽ. iũ Papianum.

Seditio & generis & ſpeciei nomẽ eſt

1. Cor. 12

Quid ſchiſma

Eſaiæ 22 lib. 2. contra. Creſco Gram.

Omnes hæreſchiſmatici ſunt.

Nolle obedire Ro. Po. ſchiſmaticum eſt. Cyp. lib. 1. ep. 3.

Inde, inquit, schismata oriuntur, dum Episcopus, qui unus est & præest, superbe quorundam præsumptione contemnitur: & homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus iudicatur.

Seditiosi contra Moysen & Aaron. Num. 16

Ac talis quidem seditio fuit Chore, Dathan, & Abyron, cum eorum assectis. Hij nimirum, ab obedientia summi sacerdotis sese subtrahentes, adeoque profani ipsi eorum officia usurpantes, ac contra Moysen & Aaron stantes, dixerunt. Sufficiat uobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est dominus, Cur eleuamini super populum Domini? Deinde uocati a Moyse dixerunt, Non ueniemus, nunquid parum est tibi, quod eduxisti nos de terra Ægypti, quæ lacte & melle manabat, ut occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri: an & oculos nostros uis eruere? non uenie-

Schismatici in nouo Test.

mus &c. In nouo uero Testamento, instituto iam uere Euangelico sacerdotio, ueteres hos schismaticos imitati sunt, Nouatus, Vuicleph, Hus, & innumeri alij schismatici. Et nostris temporibus Lutherus, Zuuinglius cum eorum & diaboli satellitibus, infinita prope Lutheranorum & Zuuinglianorum cohorte, qui & idem, summo in Ecclesia sacerdoti Summo Pontifici, aliisq; Episcopis resistentes, nihil scribunt & docent, quam, Omnes Christiani sunt ex æquo

Imitatores Chore Lutherani.

sacerdotes & Episcopi: Omnis multitudo sanctorū est, in ipsis est spiritus Dei, Quid eleuamini super ipsos, cū & ipsi omnia munia sacerdotis implere possint? Quid uobis consecrandi munus arrogatis, cum & mulieres consecrare, & corpus Christi conficere possint? Quid tibi primatum in Ecclesia usurpas Romane Pontifex: cum omnes tecum sacerdotes, per Vniuersam Ecclesiam, parem potestatem & iurisdictionem habeant? Quid præsumitis Episcopi, cum omne officium & iurisdictio, quam hactenus in Ecclesia exercuistis, totum ad magistratus sæculares pertineat? Deinde admo-

Verba eorū contra primatum Ro. Im.

Calumniæ eorum ad Laicos.

niti à summo Pontifice, reliquisq; Episcopis: Ecclesiæ prælatos, ut ministros debita ueneratione & obedientia prosequātur: miris modis in plebe uociferantur, Iniusto se dominio premi, & nescio quod lac & mel uerbi Dei, & communionis in utraque specie, multo tempore eis fuisse subtractum, & innumera eiusdem generis similia: quorum omnium plena eorum scripta reperiuntur, & templa eorū boatu complentur. Tertio diuiditur unitas Ecclesiæ, duobus

Schisma ubi de Papatu contenditur.

pluribúsue de Pontificatu, siue summo siue inferiori contendentib. Nam qui hoc modo se pro Pontificibus gerunt, nolentes per cessionem, renunciationem, aliósue legitimos modos, ut unus Ecclesiæ Episcopus legitime præficiatur consentire, pro schismaticis habendi sunt: ut qui Ecclesiasticam unitatem scindunt, non quidem eius auctoritati detrahentes: sed obedientiam potius Christo, qui est uerum & primariū caput Ecclesię, subtrahentes. Huius generis uiginti nouem schismata, in Romana Ecclesia numerantur. Primum, inter

Cornelium,

Cornelium, & Nouatianum. Secundum, inter Liberium, & Fœlicem. Tertium, inter Damasum, & Vrsinum. Quartum, inter Bonifacium primũ, & Eulalium. Quintum, inter Symmachum, & Laurentium. Sextum, inter Bonifacium, & Dioscorum. Septimum, inter Stephanum, & Constantinum secundum. Octauum, inter Eugenium secundum, & Sisinninum. Nonum, inter Leonem quintum, & Christophorum presbyterum. Decimum, inter Ioannem secundum, & Leonem octauum. Vndecimum, inter Gregorium, & Ioannem Episcopum Placentinum. Duodecimum, inter Benedictum nonum, & Syluestrum tertium. Decimum tertium, inter Benedictum octauum, & alium quendam Antipapam, per seditionem suffectum. Decimumquartum, inter Benedictum Decimum, & Gerardũ, Episcopum Florentinum. Decimumquintum, inter Alexandrum secundum, & Cadulum, Episcopum Parmensem, ab Henrico Imperatore creatum, & Clementem appellatum. Decimumsextum, inter Gregorium & Episcopum Parmensem. Decimumseptimum, inter Paschalem secundum, Gibertum Theodoricum & Magnulphum. Decimumoctauũ, inter Gelasium secundum, & Brittonem Bracarensem Archiepiscopum, qui ab Henrico Imperatore Antipapa factus, Gregorius appellatus est. Decimum nonum, inter Innocentium secundum, & Petrum, Petri Leonis ciuis Romani filium, qui facinorosorum seditionibus creatus, Anacletus appellatus fuit. Vicesimum inter Alexandrum Papam tertium, & Octauianum Cardinalem appellatum Victorem, Guidonem Cremensem, & Ioannem Sarnienſem, Antipapas. Vicesimumprimum, inter Ioannem uicesimum tertium, & Petrum Corbonensem Minoritam, à Lodouico Bauaro Imperatore creatum. Vicesimumsecundum, inter Vrbanum sextum, & Robertum Gebennensem Cardinalem Clementem appellatum. Vicesimum tertium, mortuo Vrbano inter Robertum Gebennensem, & Petrum de Tomatellis, qui Bonifacius nonus appellatus est. Vicesimum quartum, inter eundem Bonifacium, & Petrum de Luna, qui mortuo Clemente, Antipapa creatus est, & Benedictus decimustertius appellatus. Vicesimumquintum, mortuo Bonifacio inter Innocentiũ septimum, & eundem Petrũ de Luna, Vicesimumsextum, inter eundem Petrum, et Angelũ Corarium, qui Gregorius duodecimus appellatus fuit. Vicesimumseptimum, inter Alexandrum quintum, & eosdem Benedictum, & Gregorium, quibus propter Schisma in Concilio Pisano depositis, Alexander electus est. Vicesimum octauum, inter Ioannem uigesimumquartum, alij uigesimumtertium dicunt, mortuo Alexandro V. creatum, antea Balthassar Cossa nuncupatũ, & eosdem Benedictũ & Gregorium. Inter omnia autẽ grauissima certe schismata, quę ab Vrbano sexto,

Vſq; ad Martinum quintum, & ita annis circiter Triginta nouem continuis durauerunt, ac tandem in Concilo Conſtantienſi, amotis tribus Pontificibus, & Martino quinto ſuffecto, ſublatum eſt. Viceſimum nonum, inter Eugenium quartum, & Amadeum Sabaudiæ ducem, in Baſilienſi Concilio electum, & Fœlicẽ V. appellatum. Seditio eſt, qua unitas ciuilis ſocietatis ſcinditur, ac perturbatur. Nam ut in Eccleſiaſtica communione ita, etiã in ciuili ſocietate multa membra, certis officijs diſtincta, unum corpus Ciuile conſtruunt, quod & ipſum uarijs modis ſcinditur atq; perturbatur.

Seditione ſcinditur unitas ciuilis ſocietatis.

Primum propter diuerſum in Republica ſtudium, quo uel ad nouandas, rite ſemel latas leges, uel conſtituta iudicia contenditur. Nam ut huiuſmodi ſtudijs æqualitas illa communis iuris turbatur, qua ſcilicet in rebus cauſiſq; ciuium æqualitas conſeruatur: ita & unitas ipſa ciuium, ad diſcordias & diſſenſiones ciuiles, per huiuſmodi mutationem conuertatur neceſſe eſt. Ac tales quidam ferunt Gracchorum ſeditiones, quas ob id tantum excitatas eſſe conſtat, Quod Gracchis populo gratificari ſtudentibus, quædam ab ipſis leges latæ ſunt, quibus quum agrorum poſſeſſiones, & iura à diuitibus in tenuiores, & iudicia à ſenatoribus in Equites transferri uiderentur, uarijs inter ciues concitatis diſſenſionum ſtudijs, non ſolum maxima, inter omnes Reipublicæ ordines turbatio & diſcordia exorta eſt: uerum etiam totius Reipublicæ ſtatus conuerſio ſubſequuta. Secundo diuiditur unitas ciuilis, quoties plebs ipſa aduerſus magiſtratum Reipublicæ inſurgit, uel autoritati eius detrahendo, uel ſibi ipſi authoritatem contra leges arrogando, uel obedientiam legibus magiſtratibuſue aut dominis ſuis ſubtrahendo.

Seditiones Gracchorum

Et ad hunc modum ſciſſa et turbata fuit unitas ciuilis, quando plebs in montem ſacrum ſecedens, ſeſe à patribus diuiſit, & inde magiſtratum Tribunicium extorſit. Qua diuiſione nulla unquam in Republica Romana pernicioſior fuit: Quippe quæ omniũ ſeditionum cauſam excitauit, & earundem fons, & origo fuit, & Lucius Florus teſtatur. Eiuſdẽ generis eſt ſeditio illa, a Fabio Ambuſto tribuno plebis excitata, qua Patrum autoritati in tantum derogatum eſt, ut noua lege lata, alter conſulum ex plebe creari cœperit. Eodem pertinent ſeditiones, quibus ſubditi a dominis ſuis deficientes, debitam eis obedientiam ſubtrahunt. Cuiuſmodi eſt calamitoſa illa, & nunquam ſatis deplorata ſeditio, quam noſtra ætate in uniuerſa prope Germania, ruſtici cõtra principes & dominos ſuos. Et altera, qua Principes quidã Imperij, aduerſus inuictiſsimũ Rom. Imperatorem Carolum, eius nominis Quintum, excitarunt, qua membra Imperij ita inter ſe ſciſſa, & diuiſa, & à capite diuulſa, & Reſpublica Imperij dilacerata eſt, ut de ſalute ipſius iam deſperatũ eſſet, niſi Chriſtianiſsimi illius, & fortiſsimi Imperatoris potentia & uirtute, tam atro-

Seceſsio plebis Ro. in mõtem ſacrum.

Lucius Florus lib. 3. ca. 12. Epitom.

Alia ſeditio plebis pro cõſule ex plebe T. Liui lib. 6. ab urbe cõdita Plinius de uiris illuſtribus 120.

Seditio ligę Smalcaldicæ contra Imp. Carolum V.

cem

cem seditionem sedatam, ac seditionis autoribus sublatis, omnia ad pristinum statum, unitatem, & concordiam redactum iri sperare mus. Tertio ciuilis unitas dissipatur, quoties multis de Imperio contendentibus, ipsa Respublica in diuersas partes distrahitur.

Seditiones de principatu inter sese contendentium.

Cuiusmodi fuerunt contentiones illæ inter Marium & Syllã: inter C. Cæsarem, & Pompeium Magnum: inter Octauium Augustum, & M. Antonium. Qui omnes pari studio ad principatum Reipub. aspirantes, ac urbem et Imperium sibi uendicantes, uarijs bellis non tam in aduersos bellum gesserunt: quam cõtra patriam pugnarunt, ut inquit Appianus. Donec tandem Sylla sponte sua potentiam deponente, & C. Cæsare in Senatu uiginti tribus uulneribus confosso, & uitam simul & Imperium amittente: Octauius Augustus Cæsar, primum Lepidum dignitate spoliaret, & Antonium circa Actium bello uinceret, ac deinde omnibus ciuilibus bellis confectis, à Valerio Messala oratore, nomine Senatus & populi salutatus Augustus, & unicus Imperij Romani Princeps declararetur.

August. lib. 3. c. 30. de ciuitate Dei.

Appianus de bell. Ciuil. lib. 1. 2. 3. & 4.

lib. 1. de bel. ciuil. Rom.

Rom. Imper. a 30. Tyrannis sub Galieno occupati.

Ad eundem ferè modum, Respublica Romanorum sub Galieno Principe, qui uino, mimis, & meretricibus magis quam Imperio uacauit, scissa fuit: Quo regnante, uno tempore triginta Tyranni, in diuersis orbis partibus, contemptu mali principis, Imperium affectarunt simul, & arripuerunt. Quibusdam eorum à gentibus, alijs à militaribus exercitibus, alijs à fœminis, alijs coacte, alijs sponte, alijs inter conuiuia, & ueluti per iocum ad id fastigij euectis. Siquidem de Regilliano traditur, cum milites cum eo quidam cœnarent, unum ex his dixisse, Regilliani nomen unde credimus dictum? & alium continuo respondisse, Credimus quod à regno: Tum scholasticum quendam quasi Grammatice cœpisse declinare, & dicere. Rex, Regis, Regio, Regillianus: ad quę milites, Ergo potest Rex esse. Item alius, Deus tibi nomen posuit: Quibus ita dictis, cum alia die mane processisset, à Principibus Imperator est salutatus. Addo inter hos abiectæ & humilis conditionis, ut Zenobiam fœminam, et Marium ex fabro ferrario principes esse creatos. Ac Marius quidem cum triduo tantum imperasset, a milite quodam, qui in eius quondam officina fabrili operatus fuerat, occisus est: additis ad facinus his uerbis. Hic est gladius, quem ipse fecisti. Similis uero diuisio post Imperium in Germanos translatum aliquoties facta est. Cuiusmodi inter alias fuit, anno à natiuitate Domini, D. CCCCXIII. qua Ludouico tertio Imperij gubernacula tenente: Germanis contemptis, Itali quoq;, & Galli Imperium sibi uindicarunt. Nam Itali Berengarium, Galli Ludouicum Bosonis filium: Germani uero defuncto Ludouico tertio, Conradum ex Francorum genere oriundum, Imperatores elegerunt. Idem accidit anno à salute reparata M. CCCXIIII. quo tempore Imperio per obitum Henrici Imperatoris

Trebellius Pollio in lib. de 30. Tyran.

Regillianus per iocum factus Imper.

Diuisio Imp. sub Ludouico III.

Alia in Imp. per electiones schismata.

eius

eius nomínis Septimi, Fridericus Dux Auſtriæ, in diſcordia Principum electus, tribus uidelicet in Fridericum, & tribus alijs (nam eorum ſex fuerunt) in Ludouicum ſuffragia ſua conferentibus, Reges Romanorum electi fuerunt. Nec diſsimilia his fuerunt ſchiſmata, quæ Henrico quarto, & Rudolpho Sueuiæ duce (qui regnante eodem Henrico, à paucis quibuſdam principibus in Forchem in Ro. Regem electus fuit) Philippo & Othone Quarto, & ijſdem regnantibus aliquanto poſt tempore Bertholdo de Zermgen, alijſque uno & eodem tempore in diſcordia Principum Germanorum in Reges Romanorum electis, & ſimul Imperij gubernacula arripientibus & tenentibus, exorta fuerunt.

De Rebellione. Caput. IIII.

Differunt Rebellio & factio.

RVrſus ſeditio in Rebellionem & Factionem diuiditur: Illa inferiorum & ſubditorum eſt, aduerſus ſuperiores & dominos ſuos: Hæc uero inferiorum, & ſubditorum inter ſe. Rebellio uerbum nouum eſt, & priſcis legum conditoribus incognitum, ut Bartolus ſcribit. Eſt autem à rebellando dicta, Rebellio quaſi repugnantia & inobedientia: Rebellare ſiquidem, repugnare eſt quomodo. Et uulnera, ulcera, aliáue uitia apud Plinium rebellare dicuntur, quæ ſemel curata denuo repullulant. Eſt igitur Rebellio repugnantia, qua qui aliorum poteſtati ſubiecti ſunt, aut aliqua fidelitate aſtricti, debitam eis obedientiam relinquunt, atq; abijciunt. Obedientia inferiorum eſt erga ſuperiores, & eos qui poteſtate aliqua funguntur. Supremã poteſtatem habet Deus, cui omnia ſubiecta ſunt, in cœlo & in terra: cuius poteſtas eſt ſempiterna, & regnum eius in generatione & generationem, quod nunquam corrumpetur. Inter homines autem poteſtatum gradus quidam ſunt, tam in ſpiritualibus quam in temporalibus. Ac in ſpiritualibus quidem primum locum habet Romana & Catholica Eccleſia, & illius caput Romanus Pontifex. Eccleſia ſiquidem Romana omnium Eccleſiarum mater eſt, & caput: quam qui deſerit, in Eccleſia eſſe non poteſt, ut inquit Cyprianus. Secundum locum ſortiuntur Epiſcopi, Epiſcopo Presbyter, Presbytero Diaconus, Diacono Subdiaconus, Subdiacono Acolytus, Acolyto Exorciſta, Exorciſtæ Lector, Lectori Hoſtiarius, Hoſtiario Abbas, Abbati Monachus ſubiectus eſt. In temporalibus uero, Imperator dominus eſt omnium Regum, Principum, & Subditorum Imperij, à quo in reliquos omnes, ueluti à fonte omnis poteſtas & luriſdictio deriuatur. Poſt Imperatorem Reges & Principes, Superiores & Domini ſunt, quiſq; eorum, qui ſub Imperio ipſius conſtituti ſunt. His addi-

Bart. in extrauag. qui ſint Rebelles, in uerbo Rebellis, et uerbo tenore. Decius conſil. 544. in 3. uol. Pli. lib. 2. c. 33. nat. hiſt.

Matth. ult. Daniel. 4. Dan. 7.

Gradus Poteſtatum inter Eccleſiaſticos

lib. 1. Epiſt. 1.

Gradus poteſtatum inter ſæculares.

mus

mus potestatem, quam parentes in filios, Domini in seruos & officiales, Mariti in uxores, Patresfamilias in familiam, Duces exercitus in milites: Magistri & præpositi scholarum, in discipulos: & alij ad eundem modum in alios habent. In hoc igitur ordine Potestatum & Magistratuum generaliter, qui sunt inferiores ijs, quorum sub Imperio sunt, obedientiã præstare debent, etiãsi ipsi quoq; aliorum sint superiores. Iustũ est enim, ut qui scit se alijs esse præpositum, non molestè ferat, aliquem sibi esse prælatum, sed obedientiam quam exigit, ipse etiam dependat: ut Iulius Papa ad Orientales Episcopos scribit. Porro obedientia in tribus rebus consistit: In mandato suscipiendo & conficiendo, in reuerentia exhibenda, & in iudicio subeundo. Mandatum, leges, & præcepta superiorum compræhendit: Vnde mandatis obediunt, qui legibus, & præceptis superiorum parent. Reuerentia, fidelitatem, honorem, omniaq; alia officia, & obsequia, cõplectitur, quibus inferiores ijs, quorum sub potestate sunt, astringuntur. Itaq; reuerentiam exhibent, qui eos quorum sub imperio sunt, diligunt, & debito honore afficiunt, tum fidelitatẽ eis & debita obsequia præstant. Iudicium potestas est, qua qui superiorum iurisdictioni subiecti sunt, coërcentur, ut quod iustum est, faciant: quod iniustum est, deuitent. Iudicium igitur suscipiũt, qui iudicum, quorum iurisdictioni subiecti sunt, præceptis & sententijs parent. Primũ igitur Deo obediendum est: quod tum fit, cum ipsius mandata custodimus, & debitum illi cultũ & honorem exhibemus. Iuxta illud. Diligas Dominum Deum tuum, & obedias uoci eius, & illi adhæreas, & custodias mandata illius: Et illud. Afferte Domino gloriam & honorem. Item illud. Soli Deo honor & gloria. Deinde potestatibus quoq; humanis obediendum est, Paulo Apostolo ita præcipiente. Omnis anima, inquit, potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo: quę aũt à Deo sunt, ordinata sunt. Itaq; qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit. Idem Petrus Apostolus præcipit. Subiecti (inquit) estote omni humanæ creaturæ: siue regi, quasi præcellenti: siue ducibus, tanquam ab eo missis. Tum autem recte Regibus & potestatibus obedimus, cum eorum iustis mandatis, & legibus, et rectis iudicijs paremus, debitam illis reuerentiam & honorem exhibemus: fidelitatem item, tributa, aliaq; obsequia præstamus. Fidelitas subditorum certa quædam habet capita, ea nimirum sunt, quę his uerbis continentur: Incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile. Incolume, ne damnum Domino in corpore afferant. Tutũ, ne damno sint Domino arcana eius reuelando. Honestum, ne faciant, quo fama Domini lædatur, neue iustitia, aliaq; quæ ad honestatem eius pertinent, impediantur. Vtile, ne faciant, ut bonis eius & possessionibus damnum aliquod aut detrimentum afferatur. Facile uel possibile, id ipsius dolo faciat difficile

Iulius Papa epistola 1. ad Orient. Episc. Gl. 93. dist. in summa.

Deo quaeliter obediendum est.
Deut. 30. Psal. 28. 1. Tim. 1.

Obedientia erga potestates humanas.
Rom. 13. 1. Pet. 2.

Subditorũ fidelitas erga superiores in sex pũctis stat.
De forma fidelitatis c. unico, de noua forma fid. c. 1. in usib. feud.

uel impossibile. Et ut summatim dicant, subditi dominis suis obedire debent, non dominari: iuxta illud Sapientis. Non decent stultum diuitiæ, nec seruum dominari Principibus. Item, Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere: Per seruũ, cum regnauerit: per stultum, cum fuerit saturatus cibo: & per odiosam mulierem, cum assumpta fuerit in Matrimonio: & per ancillam, cum fuerit hæres dominæ suæ. Eandem obedientiam & fidelitatem Vasalli, & Officiales dominis suis debent. Nam & ipsi ad certa seruitia dominorum obligantur, nec quicquã agere debent, quo dominus uitam amittat, uel membrum: uel quo in persona læsionem, uel iniuriam aliquam, uel contumeliam, accipiat. Quin curare etiam debent, quo minus hæc ab aliis in dominum committantur: aut si tale aliquid resciuerint, ꝙ primum hoc et domino renũciare, & ipsi, quoad possunt, impedire tenentur. Sed & secreta domini, nunquam sine iussu aut permissione ipsius, manifestare debent. Ad idem ferè genus pertinet filiorum erga parentes, seruorum erga Dominos, & uxorum erga maritos obedientia. Nam & ipsi tã diuino quàm humano iure, ad quædam obsequia, tum reuerentiam & honorem his ipsis præstanda astringuntur. De filiis siquidem & seruis dictum est: Filij, obedite parentibus uestris in Domino. Item, Honora patrẽ & matrem tuam. Item. Serui, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis uestri. Sic & uxor uiro subiecta est, cui & communi lege naturæ, & præcepto diuino seruire tenetur. Siquidem mulieri dixit Dominus Deus. Sub uiri potestate eris, & ipse dominabitur tibi. Sed & naturalis ordo est, ut in omnibus seruiant fœminæ uiris: quia nulla iustitia est, ut maior seruiat minori, ut inquit Augustinus. Certum est autem, uirum muliere esse maiorem. Nam uir ad imaginem Dei factus, imago & gloria Dei est, non mulier, ut Apostolus testatur. Atq; hæc sanè fusius aliquanto de obedientia dicere uoluimus: quæ eò pertinent, ut iam intelligamus, qui eã relinquunt & abiiciunt: Quibus modis inobedientiæ & rebellionis crimen committant. Nam rebelles sunt, ut inquit Baldus, qui dicto uel facto superiorũ contradicunt: siue, ut Angelo Perusino uidetur, qui sunt in notoria proteruia, & inobedientia. Et ut uariĳ atq; diuersi sunt gradus obedientiæ: ita uariĳ etiã sunt modi, quibus ab obedientia decedit: unde & uariæ species rebellionis oriantur necesse est. Ac primum quidem Deo rebelles sunt, qui leges uel mandata Dei transgrediuntur, quicq; cultum, & honorem illi debitum, detrahunt. Quo sane nomine, populus Israẽl ut rebellis à Moyse reprehenditur. Contempsistis, inquit, Imperiũ Domini Dei uestri, & non credidistis ei: neq; uocẽ eius audire uoluistis: sed semper fuistis rebelles, à die, qua nosse uos cœpi. Recte Deo rebelles hic uocat scriptura, qui Deo non credunt, & qui Imperium Dei, siue (ut alio loco scriptura dicit) uerbum Domini

Prouerb. 14. Prouerb. 30.

Fidelitas Vasallorũ & Officialium.

Obediẽtia Domestica.

Ephes. 6. Exod. 20. Colos. 3.

Genes. 3. 33. q. 5. c. est ordo. & c. hæc imago. Gl. in c. a Subdiacono 93. dist. c. cũ caput 23. q. 5.

1. Corinth. 11.

Bald. in l. si uero. § qui ergo ff. de testo. milit. Iaſ. Conſ. 139. uolũ. 4. & conſ. 36. uolum. 3. Ang. in l. 2. ff. de iud. per. gl. in l. si certarũ §. fi. in gl. fi ff. de testo. militis.

Domini contemnunt, neq; uocem eius audiunt. Nam in his duabus rebus, uera erga Deū obedientia consistit: nempe, ut Deo credamus, id est, Deum uera fide, spe & charitate colamus, qui est unicus & uerus cultus, et honor Deo debitus, et ut mādata eius custodiamus: quę qui neglexerint, quoniā inobedientes Deo sunt, merito & rebelles Deo dicuntur. Deinde hominibus rebelles sunt, qui in aliena potestate constituti, obedientiam eorum, quorū sub imperio sunt, relinquunt: Id est, debita eos reuerētia & honore fruſtrantur, uel leges & mandata eorum transgrediuntur uel calumniantur, uel iusta eorum iudicia declinant atq; contēnut. Sic filius, non obediens parentibus, nec debitā eis reuerentiā exhibens: & seruus, abiiciens obedientiam domini, non seruiens eidem cum timore, & tremore in simplicitate cordis sui: ille quidem parentibus, hic uero domino, rebelles esse dicuntur. Sic uxor marito rebellis est, quia eius imperio non paret, nec reuerentiam ei, & honorem, & obsequia debita coniugalia præstat.

Rebelles hominibus qui sunt. *Bald. in l. benignus ff. de legib. C Nolite 11. dist.*

c. literas. ubi Panor. de rest. spoli.

Sic rebelles sunt subditi, Vasalli, & Officiales dominis suis, qui debitam eis obedientiam subtrahentes, imperium eorū contemnunt, nec debita illis seruitia & obsequia, aliaq; quę ad fidelitatē eorū pertinent, ea qua oportet fide præstant. Similiter & subditi in hoc genere rebelles sunt, qui dominorū suorū leges & mandata transgrediuntur, eaq;, quæ iura & leges præcipiunt, discere atq; agere detrectant: Quos sacri Canones ob id Diaboli, nō Christi, mēbra esse pronunciant. Item, qui iudicum, quorū iurisdictioni subiecti sunt, præceptis aduersantur, & iurisdictionē per uim, aliisue illicitis modis, remorantur atq; impediunt. Veluti si ad iudiciū uocati, dicant, se nolle parere, nec ut iustitia fiat permittere: aut eos, qui ad iudicium uocati fuerint, ui exemerint. Item, subditi & Vasalli, qui uiolentas manus in dominos iniecerint, aut armis, ueneno, aliisue similibus rebus, dominorum uitæ insidiati, aut tale aliquid machinati fuerint, quo dominus uitam amittat, uel membro lædatur. Similiter qui dominos in prelio campestri, uel priuato certamine deserunt: nec dum mortuos, aut ad mortem uulneratos, aut qui captos non liberant. Nam ut seruorum, ita etiam subditorū & Vasallorū fides exigit, ut dominos suos etiam aduersus parentes & liberos suos iuuent, et ab eis, si possunt, omnem uim & iniuriā propulsent: quos si deserant, inobedientes utiq; sunt atq; rebelles. Similiter rebelles sunt subditi & Vasalli, qui amicitias contrahunt cum iis, qui dominis sunt inimici, & qui suorum dominorū arcana reuelant. Deniq; rebelles sunt subditi & Vasalli, qui honorem & existimationem dominorum suorum, uel lædunt, uel non defendunt: ueluti si conuitiis & probris eos infestauerint, & iniustas in eos calumnias struxerint. Similiter si in uxorem, sponsam, matrem, filiam, neptem, nurum, sororem domini, uolentes uel inuitas, adulterium uel stuprum commiserint, aut cōmittere tentauerint:

c. fi. 83. dist. & ibi. Domi. Lando. Ro. Cons. 523. nu. 16. c. 1. ubi Bald. de off. deleg. c. ij. de op no. nuncci. Abbas in c. sane. 2. de off. deleg. Iaſ. cons. 139. uol. 4.

c. 1. §. si quis miles. de feud. sine cont. non amitt. c. domino guerram §. fin. in tit. hic finitur tex. gl. in d. c. 1. quibus mod. feud. amitt. ubi. Andre. de Iser. Bald. & Alua rotus.

uel cum uxore turpiter luserint, amplexi aut osculati eas fuerint, aut quo hoc ab alijs fieret, consilium uel opem tulerint. Nam quicquid in has personas, etiam de adulterio uel stupro alioqui suspectas, admiserint, non solum ad ipsarũ, sed ipsorũ etiam dominorũ iniuriã pertinere intelligũtur: quæ tanto maior est, quanto maiore fide, qui ea perpetrãt, dominis suis astricti sunt. Minorem siquidem dolorem afferunt mala, ab extraneis illata (ut inquit Gregorius) quàm quæ à domesticis & coniunctis, & de quibus nihil mali suspicari aut præsumere possumus, inferuntur. Iuxta illud Psalmi. Si inimicus meus male dixisset mihi, sustinuissem utiq; Et si is, qui oderat me, super me magna loquutus fuisset, abscondissem forsan ab eo: Tu uero homo unanimis, dux meus, & notus meus, qui simul dulces mecũ capiebas cibos. Atq; omnia hæc ita accipienda sunt, si inuito domino hæc fiant. Nam si eo consentiente, subditus uel Vasallus, adulterium uel stuprum in uxorem uel sponsam domini commiserit, & si neq; dominus à crimine lenocinij, neq; subditus & Vasallus à reatu adulterij & stupri immunes sint: tamen subditus & Vasallus à crimine rebellionis excusabuntur. Neq; enim domino rebellant, qui ipsius uoluntati obtemperant, aut saltem non repugnant. Cæterum, inuito domino fieri intelligitur, non solum quod prohibetur: sed etiã quod non expresse ab eo permissum est. Neq; enim aliena crimina nobis imputantur, nisi quę expresse nobis uel mandantibus uel permittentibus perpetrantur. Atq; hic certe nescio an Candalem Lydorum Regem à lenocinio excusem, qui (Herodoto teste) Gygi uni ex Satellitibus uxorem suam, omnium fœminarum pulcherrimam, non solum de forma laudauit: sed ut nudam etiam conspiceret, et summopere repugnantem impulit, & in cubiculum, in quo mulier cubauit, clam ea introduxit, ac se absente, nudæ ipsius uidendæ potestatem dedit. Quo facto & amicum in adulterium uxoris illectum, hostem sibi fecit, & uxorem ueluti tradito alij amore à se alienauit. Nam ut à dolo fortasse excusetur, qui nihil de fide Gygis dubitauit, ut cuius in rebus etiã maximis consilio usus fuit: tamen culpa quomodo uacet, non uideo. Quis enim leuitatẽ eã, cũ tanto periculo coniunctã, non culpet? & quis tam stupidus est, qui intimo etiam amico, & eidem soli, & in abdito & secreto loco, uxorem nudam conspiciendam permittat, non solum quod graue sit, in ea re in uxore eiusmodi periculum facere: sed etiam quod inhonestum & inuerecundum sit, honestæ uxoris hoc modo pudicitiam tentare. Quod & ipsa memorabilis exempli uindicta plane testata est. Quippe hoc modo leuitatem mariti experta, optionẽ Gygi dedit, ut uel maritum Candalem interficeret, & seipsa simul & regno potiretur, aut ipse simili modo occumberet. Qua necessitate coactus Gyges, ut ipse superesset, quàm saluo domino periret, elegit, ac dominum, ipsa pugionem prębente Regina,

Grego. in Homelia Martyrum.

Psal. 54.

Quid de Adulterio quod Domino consentiente fit.

Quę dicũtur fieri inuito Domino.

Herod. lib. 1
Iustinus lib. 1.
Stultitia Regis Lydorũ, circa uxorem alteri nude ostensam.

Vindicta ostensę per uirum nuditatis.

Regina, dormientem Candaulem in eodem cubiculo, quo nudam Reginam conſpexerat, obtruncauit, uxoreq; & regno eius potitus eſt, atq; ita uxor mariti ſanguine dotata, regnum uiri & ſe pariter adultero tradidit. Sane hoc loco nec Candaulem à ſuſpitione lenocinij: nec Gygem ab adulterio excuſare poſſum. Verū non uideo, cur Gygem hūc rebellem domino ſuo fuiſſe dicamus, ut qui nihil temere, nihil proterue, nihil inobedienter agens: ſed domini ſui uoluntati obtemperans, nudam eius uxorem contemplatus eſt. Illud uero magis mirandum, quod Seuera, Valentiniani Imperatoris uxor, luſtinam uirginem, nudam à ſe in balneis conſpectam, ita marito commendauit, ut non uerita ſit dicere tā ſpecioſam eam eſſe, ut eius amore ipſa quoq;, etſi mulier, capta eſſet. Quo ſermone permotus Imperator, uirginem poſtea uiuente Seuera, ſed tamen non repudiata, uxorem duxit: & ita ſimul duas uxores habuit, atq; ut idem alijs quoquè liceret, lege ſanciuit. Huic haud diſſimile eſt, quod Paulus Diaconus de Hermilinda uxore Cuniperti Regis Longobardorū refert: Quæ cum in balneo Theodotam puellam, ex nobiliſsimo Romanorum genere ortā, ac forma in primis eleganti, flauis plexiſq; capillis, pene uſq; ad pedes decoratam, uidiſſet, pulchritudinem uirginis Regi laudauit. Quo ſermone uxoris magno puellæ accenſus amore, paulo poſt cum ea concubuit: ſed corruptam tamen deinde monaſticæ uitę in monaſterio, quod ex nomine ipſius appellauit Ticini, mancipauit.

Socrates in tri partita lib. 8. c. 11. Theodor. in catalogo Cæſarum in Valentiniano

Paulus Diaconus in hiſtoria Lombardica.

Hæc exemplà eò tantum adduxi, ut in his mulieribus ſimplicitatem magis miremur, quàm culpam repræhendamus. Etenim ut mulieres plærunq; Zelotypę ſunt: ita rara ſunt earum exempla mulierum, quæ maritis alienum amorem non inuideant, magis quàm indulgeant. Cæterum, quod de cuſtodiendis legibus, & mandatis ſuperiorum diximus, ut qui ea tranſgrediuntur rebelles ſint: de ijs accipiendum eſt, quæ iuſta ſunt. Quæ autem iniqua ſunt & iniuſta, & Deo contraria, ea neq; ſuſcipienda ſunt, neq; conficienda. Itaq; hoc caſu ſeruandum eſt, quod Canon conſulit, ut ſi dominus, pater, & maritus, ea iubeat, quæ non ſunt aduerſa ſanctis ſcripturis, & iuſtitiæ regulis: ſubĳciatur ſubditus, ſeruus, Vaſallus domino: filius patri, uxor marito. Si uero contraria præcipiunt, magis obediant ſpiritus quàm corporis domino & poteſtati. Et ſi bonum eſt, quod præceperint, iubentium exequantur uoluntatem: ſi malum, reſpondeant. Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus.

c. non ſemper. c. ſi dominus, & c. ſi is. 11. q. 3.

Act. 5.

De Rebellibus Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ, Caput V.

IAm ad eam partem rebellionis reuertor, quæ est subditorum et Vasallorũ aduersus dominos suos, cuius tres sunt partes. Quarũ prioribus quidẽ duabus, supremis à Deo ordinatis potestatibus resistitur: Altera ad Romanã & Apostolicã Ecclesiam, altera ad Ro. Imperium respicit. Quibus additur tertia illa, qua potestatibus inferioribus, Sacerdotio, et Imperio subiectis, sua cuiq; obedientia subtrahitur: de quibus omnibus ordine iam, & de unaquaq; sigillatim dicemus. Primũ igitur sciendum est, duas esse supremas potestates, Sacerdotiũ & Imperiũ: Illud quidem diuinis ministrans, hoc uero humanis prẽsidens, ac diligentiã exhibens: sed utrũq; tamen ab uno proficiscens principio, & à Deo ordinatũ, ut inquit Imp. Iustinianus. Sacerdotiũ per Clericos, Imperium uero per Laycos administratur: utriusq; aũt exercitiũ, in unã aliquam personã, tanquam caput, collatũ est. Sacerdotij quidem in Romanũ Pontificem, & eam quam moderatur Ro. Ecclesiam, immediate per Christũ uni dicentem Petro. Tu es Petrus: & super hãc petrã ẽdificabo Ecclesiã meam. Item: Pasce oues meas. Imperij uero in Imperatorẽ Romanorũ à populo Romano, per Valeriũ Messalã oratorẽ nomine Senatus & populi Romani, Octauiũ Cẽsarẽ, ciuilibus omnibus confectis bellis, Imperatorẽ et Augustũ salutantẽ. Porro Sacerdotij siue Ecclesiasticæ potestatis Imperio & obedientiæ subiecti sunt. In ordine quidem Ecclesiastico, omnes Ecclesiæ & earũ Prælati, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Sacerdotes, alijq; Clerici, id est, in sortẽ domini uocati, & diuinis ministerijs mancipati. In ordine uero & statu Laycorũ, omnes prouinciæ et regna, eorũq; prẽsides, Imperator, Reges, Principes, & quibus præsidẽt gẽtes, populi & subditi, qui unius Christianæ & Catholicæ fidei confessione, & Sacramentorum participatione et cõmunione, Christiani appellantur. A qua quidem obedientia Romanę & Apostolicę Ecclesię, nemo, quantalibet etiam dignitate prẽfulgeat, exemptus est, immo à qua nemo eximi à quoq;, & ne à Romano quidem Pontifice, potest: Tum quia omnis anima sublimioribus potestatibus subiecta, eisdem fideliter obedire debet: Tũ quia hæc Ecclesia omniũ aliarũ mater est & caput. Cui non solum aliæ omnes cõmuni lege naturæ, tanquàm minores maiori seruire, & obedire: sed ipsius etiã iudicio omnes Reges et Principes uoluntatẽ suã subdere, & legibus & mandatis parere tenentur. Cẽterũ obedientiam huic Ecclesiæ exhibent: Primũ, qui ea quæ ab Apostolis, & eorum successoribus, tũ sacris Conciliis & sanctis Patribus constituta atq; decreta, & communi Ecclesiæ consensu etiam sine scripto tradita

In auth. quomodo opor. Episcopo. in princip. Panorm. in c. 1. nu. 6. de trãsl. Episcopi.

Rom. 13.

Exercitiũ supremæ potestatis utriusq;.

Matth. 16.

Inst. de iure nat. gent. & ciuili. § sed quod princip. c. de uet. Iur. Enu. l. 1. § cũ eum. ff. de ori. Iur. l. 2. § igitur.

p. certum dist. 10.

Panor. in c. cũ instantia. de censib.

1. Pet. 2.

Rom. 13.

3. q. 5. c. est ordo.

Qui sunt uere obedientes Ro. Ecclesiæ.

tradita & recepta sunt, fideliter custodiunt. Deinde, qui huic sanctę Ecclesię, & eius prędidi Romano Pontifici, debitã reuerentiam et honorẽ exhibent. Porro reuerentiã Ro. Pontifici exhibent: Primũ, qui ipsum tanq̃ patrem animarũ, & summũ sacerdotem uenerãtur. Nam si humano more illos uereri solemus, quorũ iudicio nunc erigi, nunc deprimi possumus: et in primis sacerdotes, quibus & Christus, tametsi malis & sacrilegis, honorẽ exhibendum esse et uerbo docuit, & reipsa declarauit. Quanto magis omnes reuerebũtur eũ sacerdotem, cui omnium animarũ cura à Christo cõmissa est, dicente Petro, Pasce oues meas: Et qui ligare & soluere animas in cœlo & in terra potest, iuxta uerbum Domini. Quodcunq̃ ligaueris super terram, erit ligatũ & in cœlis: & quodcunq̃ solueris super terrã, erit solutum & in cœlis. Cęterum in honore deferendo Pontifici, Ecclesię consuetudo seruanda erit, nec culpandum & refutandum, quod multis retro actis sęculis à maioribus nostris custoditum esse scimus. Veluti, quod Ro. Pontificem Sanctissimũ & Beatissimũ appellamus: pedes ipsius osculamur, & quæ sunt generis eiusdem. Neq̃ enim nouus est hic honor, ut quem ante annos mille & eo amplius, Reges etiam & Principes, & totius orbis Monarchæ, Romanis Pontificibus exhibuerunt: nũc sanctissimos eos & beatissimos appellantes: nũc pedes eorũ osculantes, ut Principũ quoq̃ Constitutionibus multis in locis declaratur. Sed nec uitã spectabimus eius, quẽ honoramus. Neq̃ enim personæ meritis, sed dignitati supremæ huius Sedis, quæ toto orbe uenerabilis est, & cui quicquid fideliũ est ubiq̃ submittitur, eum honorem deferimus: nihil dubitantes, Sedem istã, etiamsi Pontifex inutilis sit, nihilominus tamen dignitatẽ suã retinere: Vt ad Carolum scribit Leo Papa IIII. Ad quẽ modũ Christus leprosis prędicipiens, ut se Sacerdotibus ostenderent, non uitã eorũ, ut quos uano tantum nomine Sacerdotes, immo sacrilegos magis, quam Sacerdotes esse sciebat: sed dignitatem & officium potius in ipsis honorandam esse demonstrat. Ita & nos Romanum Pontificem sanctissimum appellantes, & pedes ipsius osculantes, dignitatem & officium ipsius, non uitam, honoramus. Nam uitam ipsius Deus iudicabit & remunerabit, siue bonam siue prauam. Nec nostrum est, ante tempus iudicare, maxime eum, quem inter omnes Deus specialiter suo iudicio reseruauit: nec scimus, quis in terribili iudicio Dei qualis futurus sit. Nam sunt multa, quæ de iudicio illius homines ignorãt: quia fortasse quæ nos laudamus, ille reprehendit: & quæ nos reprehendimus, ille laudabit. Atq̃ eo fortasis respexit Fridericus Imperator Barbarossa, qui cũ ad pedes Alexãdri Põtificis prouolutus, ueniã denuo postularet, ac Pontifex eiusdẽ collũ pede cõprimens, dixisset, scriptum est. Super Aspidem et Basiliscũ ambulabis, et cõculcabis Leonem, & Draconem: Respondit, non tibi, sed Petro, cuius successor es, pareo.

Quis Papę debitam exhibet reuerentiam & honorem. *Matth. 8. c. nonne, 1. q. 1.*

Matth. 16.

Seruanda consuetudo in deferendo honore Ro. Pontifici. *In Aut. de monach. §. fi. in Aut. de mensura ordinandorum Clericorum, § finali, in Auten. de sanctiss. Epis. in Rubri. In Aut. ut Ecclesia Ro. cum similib. Luc. 17.*

Solius Dei est iudicare Papam. *1. Cor. 4.*

Nauclerus lib. 2. Chronographiæ, generatione XL. Psal. 90.

Nimirum significans, obedientiam & honorem, quem Pontifici exhibebat, nõ ipsius personę, sed dignitati Sedis, cui pręsideret, à se deferri. Deinde reuerentiã Ro. Ecclesiæ, & Summo Pontifici exhibent, qui fidẽ, qua ĩsipsis obstricti sunt, fideliter præstant. Fidelitatem à persona subditorũ metimur. Nam alia priuati, alia publicis officijs Præpositi, alia Clerici, alia Layci obligantur: ac primum quidem generaliter omniũ Christianorũ fides id exigit, ut Ecclesiæ, cuius membra sunt, honorẽ et authoritatẽ tueãtur, nec se ab unitate eius scindãt. Neq; enim in schismate fides esse potest, ideoq; qui se ab Ecclesiæ unitate separant, etsi fidem etiam erga Deum teneant, tamen erga Dei Ecclesiã non tenent, cuius patiuntur uelut quosdam artus, deinde & membra lacerari. In unitate autem Ecclesiæ non manet, nisi qui Ro. Ecclesiæ, & illius capiti Ro. Pontifici +, à cuius tanquam capitis unitate, unitas etiam Ecclesiæ Catholicę proficiscitur, ut inquit Cyprianus: & cuius communicatio Catholicæ Ecclesiæ unitas pariter, & charitas ab eodem appellatur. Deinde speciali fidelitate Ecclesiæ Ro. & Summo Pontifici obligantur, qui dignitatẽ aliquam ab eis accipiunt, aut publicis officijs præficiuntur: quam & conceptis uerbis, ad eam rem certa forma iurare tenentur. Cuiusmodi est, quam iurãt Episcopi sub hac forma. Ego N. Episcopus, ab hac hora in antea, fidelis ero sancto Petro, sanctæq; Ro. Ecclesię, Dominoq; meo Papę N. eiusq; successoribus Canonice intrantibus. Non ero neq; in consilio, neq; in facto, ut uitã perdat uel membrum, uel capiatur mala captione. Consilium, quod mihi aut per se, aut per literas, aut per nuncium manifestabit, ad damnum eius nulli pandam. Paparum Ro. Ecclesiæ, & sanctorum Patrum adiutor ero, ad defendendum & retinendum saluo ordine meo, cõtra omnes homines. Vocatus ad Synodum ueniam, nisi præpeditus fuero Canonica prępeditione: Legatum Apostolicę Sedis, quem certum esse cognouero, in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adiuuabo. Limina sanctorum Apostolorũ, singulis annis, aut per me, aut per certũ nunciũ, uisitabo, nisi eorũ absoluar licentia: Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Euangelia. Sub hac forma cæteri quoq; Ecclesiarũ Prælati, qui dignitates suas à Romana Ecclesia accipiunt, fidelitatẽ iurant. Sed & Imperator Romanorum, fidelitatem Ro. Ecclesię, & eius pręsuli Romano Pontifici, iurat. Primũ quidem, cũ electus iam in Regẽ Romanorũ, tanq; ad Imperialis dignitatis celsitudinẽ sufficiens et habilis à Summo Pontifice declaratur, approbatur, atq; confirmatur, sub hac forma. Tibi domino N. Papæ, ego N. promittere, & iurare facio, per Patrem et Filium & Spiritum sanctũ, & per lignum hoc uiuificæ crucis, & per has Reliquias sanctorum, quod si permittente domino Romã uenero, sanctã Ro. Ecclesiam, & te Rectorẽ ipsius exaltabo, secundũ meũ posse: et uitã aut membra nunquã, neq; ipsum honorem,

Fidelitatẽ uiolãt schismatici.

c. aduocãt. 24. q. 1.

Rebellis Ro. Pontifici non est in Ecclesia.

+ Adde obtemperat.

Fidelitatẽ iurant Episcopi Ro. Pontifici.

Forma iuramenti Episcoporũ ad Papam.

c. ego .N. Episcopos de iure iu.

Forma iuramenti Regis Ro. ad Papam.

c. tibi domino 63. dist.

quem

quem habes mea uoluntate, aut meo consilio, aut meo consensu, aut mea exhortatione perdes: Et in Roma nullum placitum, aut ordinationem faciam, de omnibus quæ ad te, aut ad Romanos pertinent, sine tuo consilio: & quicquid de terra sancti Petri, ad nostram potestatem peruenerit, tibi reddam: &, cuicunq; Italicum regimen commisero, iurare faciam illum, ut adiutor tui sit, ad defendendum terram sancti Petri, secundum suum posse. Deinde approbatus & confirmatus iam Romanorũ Rex, consecrationis & coronationis insignia accepturus, ita iurat. Ego N. Romanorũ Rex, annuente domino, futurus Imperator, promitto, spondeo, & polliceor, atq; iuro, corã Deo & Beato Petro, me de cętero protectorẽ, procuratorẽ, & defensorem fore Summi Pontificis, huius sanctæ Ro. Ecclesiæ, in omnibus necessitatibus, et utilitatibus suis, custodiendo & cõseruando possessiones, honores, & iura eius, quanto diuino fuero suffultus adiutorio, secundũ scire & posse meũ, recta & pura fide: Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia. Postremo, priusquam Italiam ingreditur, uel ibidẽ iura aliqua exercet, sub testimonio suarum patentiũ literarũ, Apostolico ad hoc misso Nuncio, eidem Pontificis & Ro. Ecclesię nomine, tactis sacrosanctis Euãgelijs, hęc capita iurat.

c l. 2. de iure iurando.

Alterũ iuramentum Regis Ro. ad Papam.

Quod Ecclesiam, et fidem Catholicã, pura fide, totisq; uiribus conseruabit reuerenter, & defensabit: omnemq; hæresim, schisma, & hæreticos: quoslibet fautores, receptatores, & defensores ipsorũ exterminabit, ac nunquam cũ Sarracæno, Pagano, Schismatico, aut alio quolibet communionem Catholicæ fidei non habente, aut cum aliquo alio, Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ inimico uel rebelle, seu eidem manifestè suspecto, unionẽ quamlibet seu parentelã, & confœderationem inibit: sed Pontificiũ, honorẽ, & statum manutenebit, & defendet, & conseruabit, contra omnes homines cuiuscunq; existant præeminentiæ, dignitatis, uel status. Ac postremo omnia priuilegia per Imperatores Romanorum, prædecessores suos, Romanæ Ecclesiæ: omniũ uero maxime per Constantinum, Carolum, Henricũ, Ottonem IIII. Fridericum II. atq; Rodolphũ, super concessione, recognitione, annotatione, quittatione, & libera dimissione, terrarum, & prouinciarũ Ro. Ecclesiæ ubilibet positarũ, sed Apostolicæ Ecclesiæ Romanisq; Pontificibus concessa, ac ab alijs recognita, confirmata, ac ex certa scientia innouata, ac etiam de nouo concessa, inconcussa seruabit. Nec terras aut prouincias, ad ius & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinentes, ullo unquam tempore occupabit, seu ab alio, quantum in ipso erit, occupari permittet: Nec in eis, aut aliqua parte ipsarum, iura aliqua, possessiones, aut tenutas habebit, seu quomodolibet possidebit, nec in eis iurisdictionem quancunq; exercebit: quòdq; Ecclesiam ut Princeps Catholicus, & ipsius aduocatus atq; defensor, iuuabit, & consilijs &

Tertium iuramentũ Regis Ro. ad Papam.

Priuilegia Ro. Ecclesiæ.

Aduocatus Ro. Ecclesiæ.

auxilijs

auxilijs illi assistet opportunis, contra quoscunq; inobedientes, & rebelles. Quod item non solum Romanam, sed alias etiam Ecclesias, earumq; libertatem, bona, iura, Prælatos, & ministros, pro uirili sua manutenebit, conseruabit, atq; defendet, ac Romanæ Ecclesiæ Vassallos contra iustitiam nullatenus offendet: deuotos ac fideles Ecclesiæ, etiam in Imperio constitutos, benigne tractabit, nec eos opprimet, aut per alios opprimi sustinebit, sed in suis potius iuribus & iustitijs conseruabit. Atq; hæc fere sunt capita Iuramenti, quod Ecclesiæ Romanæ, & Summis Pontificibus, Reges Romanorum electi, & futuri Imperatores, præstare tenentur: quod propriè Iuramentum fidelitatis appellatur, ut in Concilio Viẽnensi Clemens V. declarauit. Eiusdem ferè generis est, quod electus in Romanorum Regem in Ecclesia Aquensi, ante unctionem & coronationem, Archiepiscopo Colonienſi interroganti, respondet atq; iurat, ad hunc modum. Colonienſis à Rege electo quærit. Vis sanctam fidem Catholicam, à sanctis Apostolis traditã, tenere, & operibus fide dignis seruare? Respondet ei Rex, uolo. Colonienſis. Vis sanctis Ecclesijs, Ecclesiarumq; ministris fidelis esse tutor, & defensor? Rex, uolo. Colonienſis. Vis regnũ Dei tibi à Deo concessum, secundũ iustitiã prædecessorum tuorũ regere, & efficaciter defendere? Rex, uolo. Colonienſis. Vis iura & regna Imperij, bonaq; & iura eiusdem iniuste dispersa, conseruare & recuperare, & fideliter in usus Regni & Imperij dispensare? Rex, uolo. Colonienſis. Vis pauperũ, diuitum, uiduarum & orphanorum, æquus esse iudex, et pius defensor? Rex, uolo. Coloniẽsis. Vis integerrimo in Christo patri, & Domino Romano Pontifici, & sanctæ Ro. Ecclesiæ, defensionem debitam & fidem reuerenter exhibere? Respondet Rex, positis duobus digitis manus suę dextrę super altare, Volo, in quantum diuino suffultus fuero adiutorio, & precibus Christianorum adiutus: quantum ualuero, omnia præmissa fideliter adimplebo: Sic me Deus adiuuet, et sanctum Dei Euangelium. Post unctionem autem & coronationem, iuramentum præstat sub hac forma: primum Latine, deinde Germanice. Profiteor, & promitto, corã Deo & Angelis eius, amodo & deinceps, legem, & iustitiam, pacemq; Dei Ecclesiæ seruare, populoq; mihi subiecto prodesse, & iustitiam facere, & regni iura conseruare, saluo condigno diuinæ misericordiæ respectu, sicut cum auxilio Principum, & fidelium regni atq; meorum, melius inuenire potero. Sanctissimo Romano Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ, cæterisq; Pontificibus & Ecclesijs Dei, condignum & Canonicum honorem exhibere uolo: ea etiam quæ ab Imperatoribus, & Regibus, Ecclesijs, seu Ecclesiasticis uiris collata sunt, erogata inuiolabiliter ipsis conseruabo, & faciam conseruari. Abbatibus, & Ordinibus, & Vassallis regni, honorem uolo portare & exhibere, Domino nostro Iesu

Ecclesiarũ Defensor.

d. cl. 1. de iure iur.

Henningus conſ. 1.

Coronatio Regis Ro. in Ecclesia Aquensi.

Sex interrogatoria ad Regem inungendum.

I
II
III
IIII
V
VI

Quartum Iuramentũ Regis Ro.

Iesu Christo mihi auxilium præstante, fortitudinem, & decorem.

De iudicio Papæ iudicare non licet.

Tertio obedientiam Romanę Ecclesię & Summo Pontifici prę-stant, qui iudicium Ecclesiæ agnoscunt, & obedienter suscipiunt. De quo ita scribit Innocentius Papa ad Ruffum, & cæteros Episcopos per Thessaliam constitutos. Nemo unquã Apostolico culmini, de cuius iudicio non licet tractari, manus obuias audacter intulit, nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se uoluit iudicari. Et Gelasius Papa. Nec de iudicio Romanæ Ecclesiæ Canones unquam pręceperũt iudicari, sententiamq; illius constituerũt, non oportere dissolui, cuius potius sequenda decreta mandauerunt: & idem cuncta per mundum nouit Ecclesia, quod sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat iudicandi, necq; cuiq; de eius liceat iudicare iudicio.

c. patet & 6. cuncta 9. q. 3.

Rebelles Ro. Ecclesiæ qui sunt.

Atq; hæc de obedientia Romanę Ecclesiæ & Summi Pontificis, ideo pręfari uoluimus, ut intelligamus, qui ab ea decedunt, id est, qui Romanæ Ecclesiæ, & Summorum Pontificum, sacrorum Conciliorum, & sanctorum Patrum leges, regulas, præcepta, & traditiones non custodiunt, nec reuerentiã et honorem eis exhibent, nec eorum iudicia agnoscũt & subeunt: eos Romanæ Ecclesiæ, & Summo Pontifici inobedientes esse, & rebelles. In primo igitur genere rebelles sunt, qui Romanæ Ecclesiæ & Summi Pontificis authoritatẽ imminuunt, & quantum in ipsis est, prorsus tollere & subuertere conantur.

Authoritas Ro. Ecclesię multa cõplecti tur.

Ad authoritatem autem Ro. Ecclesiæ inter alia hæc quoq; pertinent, ut Primatũ Ecclesia retineat: ut Ro. Pontificem eligat, & sedem Apostolicam ordinet: ut Inuestiturã Episcopatuũ, aliarumq; dignitatũ concedat: Canones condat: De maioribus causis cognoscat: & ut uno uerbo multa complectar, ut reliquis Ecclesijs in partem curarũ uocatis, ipsa plenitudine potestatis utatur. Quæ quidẽ authoritas Ro. Ecclesiæ, non ab hominibus data, sed ab ipso Christo diuinitus concessa est. Nam cum alias quidem Ecclesias omnes, siue Patriarchales, siue Metropoliticas, siue Cathedrales, Romana Ecclesia instituerit, illam solus ille fundauit, & supra petrã mox nascentis fidei erexit, qui Beato Petro æternæ uitæ clauigero terreni simul & cœlestis regni iura commisit: non quidem terrena sententia, sed illo uerbo, quo constructum est cœlum & terra, & per quod omnia condita sunt elementa.

3. q. 6. c. multum.

c. omnes. 22. dist.

Rebelles in Deum sunt, qui Primatum Ro. Eccle. negant.

Hanc igitur Romanæ Ecclesiæ authoritatem primum imminuunt, qui Primatum eidem auferre conantur. Propter quod non solum rebelles sunt, & contumaces inueniuntur esse ei, qui eam cunctis Ecclesijs prætulit: sed etiã hæretici, ut qui uerbum Christi uel negantes uel adulterantes, eam ipsam alijs uel parem uel inferiorẽ constituũt. Quomodo Cõstantinopolitana, Mediolanensis, & aliæ tã Orientis, quàm Occidẽtis Ecclesiæ, earũq; Episcopi sæpe Ro. Ecclesiæ rebelles fuerunt. Maxime autem Constantinopolitana, quæ non solum Romanã, ut matrẽ, non agnouit: sed Primatũ etiam ipsius

Ecclesia Constantinopolitana sæpe rebellauit Romanæ.

ipſius per ambitionem ſibi arrogauit,& adiuuantibus eã Conſtantinopolitanis Imperatoribus multo tẽpore uſurpauit: donec Romana huiuſmodi priuilegium, quo ſpoliata fuerat, tandem beneficio Phocæ Imperatoris recuperauit. Ad eundẽ modum noſtra quoq; ætate, aduerſus Romanam Eccleſiã rebellant quædam Eccleſiæ in Germania,& qui eas occupant hæretici & ſchiſmatici, qui & ipſi multis iam annis huius Eccleſiæ primatum, quàm plurimis in eam rem æditis ſcriptis, ſupprimere,& abrogare conantur: Non alia nimirum ratione, quàm ut hoc modo Romanæ Eccleſiæ conculcata authoritate, ipſi impune ſuos errores docere, & quàm latiſsime diffundere poſsint. Quippe qui, ſuggerente authore eorum Diabolo, probe norunt, huius Eccleſiæ authoritate ſalua, haud facile hæreſes & ſchiſmata uel naſci poſſe, uel natas propagari. Quod & Cyprianus teſtatur his uerbis. Neq; enim (inquit) aliunde hæreſes ortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, quàm inde, quod Romano Pontifici, tanq; Ro. Eccleſiæ capiti, non obtemperatur: Nec unus ad tempus Sacerdos, et ad tempus iudex, uice Chriſti cogitatur. Deinde Romanæ Eccleſiæ authoritatẽ imminuunt Imperatores, Reges, Duces, Marchiones, Comites, uel quælibet aliæ ſeculares perſonæ, quę Inueſtiturã Epiſcopatuum, uel alicuius Eccleſiaſticæ dignitatis, cuiquã dare attentauerunt. Quales inter Imperatores fuerunt Henrici, Quartus, Quintus,& Sextus: Quorum ille, defunctis in Imperio Eccleſiarum Prælatis, annulos & baculos eorum paſtorales accipiens, familiares ſuos Eccleſijs uacantibus intruſit. At filius eius, Henricus Quintus, cum uenisſet Romam, à Paſchali II. honorifice ſuſceptus, poſt exoſculatos pedes eius, ipſum ſimul cum Cardinalibus cepit,& coëgit eum confirmare illos, quibus ille Epiſcopatus dederat. Sextus uero Henricus, Friderici Primi filius, Leodienſem Epiſcopum, quod præter decretum eius confirmatus eſſet, occidit. Quibus Fridericum Secundum communerauerim, qui & ipſe uarijs modis ditionem Pontificiam uexans, Pontifices & Epiſcopos in Eccleſijs poſuit, & à Romano Pontifice inſtitutos expulit. In eadem cauſa ſunt Imperatores, qui ſine conſenſu Romanæ Eccleſiæ, Romanum Pontificem eligere,& Sedem Apoſtolicam ordinare præſumunt. Quales ſunt, qui propria authoritate ius ordinandi Apoſtolicam Sedem, ſibi uendicarunt. At qui permittente Romana Eccleſia, hoc iure uſi ſunt, minime inter rebelles numerantur. Itaq; ab hoc crimine immunes fuerunt, Carolus magnus, Otto primus,& eius ſucceſſores, uſq; ad Henricũ primum, qui conſentiente, ac ius ordinandi ſedem Apoſtolicã in ipſos tranſferente Romana Eccleſia, Romanos Pontifices elegerunt. Cęterum, qui eodem iure denuo, à Ludouico, Ottone,& Henrico, Imperatoribus, Romanæ Eccleſiæ reſtituto, Pontifices elegerunt: à crimine rebellionis minime excuſantur. Tertio Romanæ Eccleſiæ authoritatem

Rebelles nunc quædam Eccleſiæ Germaniæ.

Epiſtolarum libro. 1. epiſtola 3.

Rebelles Ro. Pontificibus nonnulli Imperatores & Reges.

Nauclerus in ſecundo Chronographiæ. Platina in Paſchali II.

Nauclerus lib. 2. generatione 41.

c. Adrianus. c. in Synodo. c. ego Ludouicus. c. conſtitutio. 63. diſt.

thoritatem imminuunt, qui dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, uel decreta, quæ pro Catholica fide, uel Ecclesiastica disciplina, pro correctione imminentiū uel futurorum malorum, à Sedis Apostolicæ Præsule salubriter promulgata sunt, contemnunt: præsertim Reges, Episcopi, alijq; potentes, qui indignū potentia sua arbitrantur, ut cuiusq; Imperio pareant. Quēadmodum Anastasium Imperatorem legimus, Legatis suis ad Hormisdam Papam missis, inter cętera illud quoq; in mādatis dedisse, ut sciret, Imperatoris proprium esse imperare, & non imperata Pontificis aut cuiusuis alterius accipere. Omnium autem maxime in hoc genere rebelles sunt, qui Ro. Ecclesiam, & utilia Concilia, ius potestatemq; cōdendorum Canonū, habere negant. Quales nostra ætate sunt omnes ferè hęretici & schismatici, quibus illud in primis familiare est, ut dicant: Nullā esse neq; Pontifici, neq; Sedi Apostolicæ, neq; sacris Conciliis, quicquam diffiniendi aut statuendi facultatem: quin potius quæ ab eis hactenus quocūq; tempore statuta sunt, ea uelut humana figmenta, non solum non esse seruanda, sed etiā qui custodiunt ea, hypocritas esse, de quibus Christus dicit. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Quam sententiam quo magis probarent, & rebellionem confirmarent, ante multos annos, omnes Ecclesiasticarum Cōstitutionum libros, quod nos corpus Canonū uocamus, in contemptum Apostolicæ authoritatis condemnauerunt, atq; igne combusserunt. In secundo genere, Ro. Ecclesiæ rebelles sunt, qui dignitatem, honorem, uitā, uel membra Pontificis lædunt, aut aliud quid faciunt, quo sancta Romana Ecclesia, uel qui illi præest Romanus Pontifex, iniuriam aut damnum in persona uel rebus accipiant.

c. si quis. 25. q. 2. c. generali. 25. q. 2.

Platina in Hormisda.

Anastasij Imp. cōtra Papam rebellio.

Maxime rebelles sunt hoc tēpore hæretici.

Matth. 15.

Anno Domini 1520. Vuittenbergæ.

Rebelles Ro. Pontifici in factis & uiolentijs.

Sic rebellis olim Ro. Ecclesiæ fuit Theodericus Rex Gothorum, qui Ioannem Pontificem, primum quidem ut legatione non admodum honesta ad Iustinum Imperatorem fungeretur, compulit: Deinde eadem legatione rite functum, ac Rauennæ ad se uenientem, & legationem renunciantem, hoc tantum nomine, quod à Iustino comiter exceptus, & honorifice tractatus fuisset, in carcerem coniecit, ubi & pædore, situ, & inedia periit. Sic Theodora Augusta, Iustiniani Imperatoris coniunx, Ro. Ecclesiæ rebellis fuit, ut cuius impia & fraudulenta machinatione Syluerius Papa, homo sanctissimus, quia Anthenium, ob Eutichianam haresim condemnatum, ac à Sede Constantinopolitana, cui præerat, depositum, reuocare detrectabat, Pontificatus dignitate destitutus, & in Pontiam insulam in exilium pulsus, mortuus est. Ad eundem modum Romani sæpe Romanis Pontificibus rebelles fuerunt, ut Leoni III. quem dum Letaniam maiorem, à Gregorio Papa institutā, cum populo & Clero ageret, quorundam insidijs captum, ac Pontificali habitu priuatum, multisq; uerberibus adeo cæsum, ut oculis & lingua captus putaretur,

Platina in Ioanne primo. Liberatus in Breuiario. c. 22.

Platina in Syluerio.

taretur, in monasterio sancti Erasmi, in uincula coniecerunt, quem & occidissent, nisi à Vinigisio Duce Spoletano liberatus, clam Spoletam deductus fuisset. Sic & Ioanni decimo tertio rebellarunt, quem, in Ecclesiam Lateranensem irruentes, ceperunt. Captum primum in Adriani molem (quod Castrum S. Angeli uocant) perduxerunt, mox in exilium pepulerunt. Quanquam sunt, qui scribãt, hũc Pontificẽ, in Synodo ob immania et impñsima facinora sua, Pontificatu destitutum, ac Leonem illi Octauum fuisse suffectum. Sed & priuati quidam homines, Romanis Pontificibus in hoc genere rebelles fuerunt. Vt Cincius Romanus Ciuis, à quo Benedictus Papa Sextus captus, & in arcem Sancti Angeli ductus, & ibidem carceri mancipatus, & non multo pòst strangulatus: uel (ut alij scribunt) fame interemptus fuit. Et alius item Cincius, qui Gregorium Papam Septimum, in festiuitate natiuitatis Domini, Missam celebrantem, ac hostiam iam in sacrificio frangentem, raptum Altario deturbauit, attractumq; ad domum, quæ sibi eo loci erat, turri inclusit. In eadem conditione sunt, quorum fraudibus & dolo, Romanis Pontificibus à Sede sua electis, alij Antipapæ surrogantur. Quomodo Henricus Imperator huius nominis Quartus, Gregorio Papæ Septimo, Gibertum Rauennatem Archiepiscopum, quem Clementem appellarunt. Fridericus primus, Alexandro Papæ tertio, primum Octauianum in seditione electum, quem seditiosi Victorem appellarunt: Deinde eo defuncto, Guidonem Cremensem, quem Paschalem uocarunt. Et illo similiter mortuo, Ioannem Sarmiensem, Abbatem Cardinalem, ex Pannonia, hominem malum, & furto infamem, à seditiosis quibusdam electum, surrogarunt: cosq; tanquam legitimos Pontifices ueneratus est. Et ijsdem non ipse solum, sed multi etiam Germaniæ Principes, tam Ecclesiastici quam sæculares, obedientiam fecerunt. Postremo in hoc genere Romanæ Ecclesiæ rebellarunt, qui eiusdem terras hostiliter inuaserunt, & occuparunt. In qua re alios crudelitate superauit Otto Imperator, huius nominis Quartus, qui Innocentio Papa tertio Ecclesiam gubernante, totam pene Romandiolam, & Regni Neapolitani prouincias, suo subiugauit Imperio. Quin & Apuliam intrans, multas ad regnum Siciliæ pertinentes ciuitates, Principatumq; Capuæ cum palatio ciuitatis, accepit. Multaq; alia ad ius, dominiumq; Ro. Ecclesiæ, & Patrimonij Petri pertinentia, in suam potestatem redegit, propter quod & rebellis, & inobediens, Ecclesiæ Romanæ declaratus, primum anathemate percussus, deinde etiam Imperiali dignitate priuatus fuit. In tertio genere rebelles sunt, qui personas, & causas, ad Iurisdictionem Romanæ Ecclesiæ pertinentes, uel ipsi iudicant, uel quo minus ab Apostolica Sede de his cognoscatur atq; iudicetur,

Naclerus lib. 2. generatione. 33.

Platina in Ioanne. 13.

Luitprandus lib. 6. c. 9.

Naucle. lib. 2. generatione 33.

Otto Imp. IIII. rebellis Innocentio III.

Nauclerus lib. 2. generatione. 41.

Rebelles Ro. Pontifici in Iurisdictione.

iudicetur, impediunt. Quales sunt nostræ ætatis schismatici, qui sine illius Sedis authoritate, scripturas interpretantur, doctrinas examinant, & fidei religionisq; causas decidunt: Sacramenta Ecclesiæ & diuinorum ministeriorum ritus abolent, ministros Ecclesiæ instituunt, atq; destituunt: de Matrimonijs, alijsq; mere Ecclesiasticis causis cognoscunt: Iurisdictionem in Episcopos, alioscq; Clericos usurpant. Denicq;, ne quid harum causarum, siue per appellationem, siue alijs legitimis modis, secundum regulas Ecclesiasticas, ad Sedem Apostolicam referatur, impediunt. Nam hæc omnia ita Romanæ Ecclesiæ Iurisdictioni subiecta sunt, ut de his iudices, & Magistratus sæculares, non solum nullam cognoscendi, diffinicndiq; potestatem habeant: sed etiam quæ à Sede Apostolica super his iudicata diffinitaq; fuerunt, firmiter custodire teneantur. Cæterum, quæ de mandatis, sanctionibus, decretis, & iudicijs Romanorum Pontificum custodiendis diximus, de iustis accipienda sunt. Siquidem iniusta præcipienti Pontifici, impune non obeditur. Veluti si tale aliquid decreuerit, aut mandauerit, quo status utilis Ecclesiæ turbetur, aut unde scandala & peccata enascantur: uel quod aduersetur ijs, quæ Dominus, Prophetæ, uel Apostoli docuerunt, atq; præceperunt. Nam quod Dominus, uel Apostoli, & eos sequentes sancti Patres, diffinierunt, nulla constitutione, decreto, uel mandato Romani Pontificis, mutari potest: quin potius quod ita prædicatum est, ipse usq; ad animam & sanguinem confirmare tenetur.

Causæ mere Ecclesiasticæ, usurpatæ à Laycis friuole.

24. q. 1. c. quoties. 3. q. 6. c. accusatus. & c. seq. 17. q. 4. c. nemini. 21. dist. c. quod autem. 9. q. 3. c. ipsi sunt cũ simili.

Iniusta præcipienti Ro. Pontifici non est obediendum.

25. q. 1. c. sunt quidam.

De Ditione Romani Imperij, & subditis eius, Caput VI.

Monarchia Ro. Imperij.

VEnio iam ad alteram speciem rebellionis, eius uidelicet, quæ aduersus Romanum Imperium, & illius Monarcham, Romanum Principem & Imperatorem, committitur: Quam & ipsam ex obedientia eorum, qui Romano Imperio subditi sunt, metimur. Neq; enim commode cognosci potest, qui sint Romano Imperio rebelles, nisi prius cognoscatur, qui sint Romani Imperij potestati & obedientiæ subiecti: Quibusq; modis ea obedientia Romanorum Imperatori, à subditis Imperij, uel præstetur, uel subtrahatur. Quod ut certius intelligamus, primum omnium discutiendum erit, qui sint Romani Imperij Iurisdictioni & potestati subiecti. Deinde, in quibus rebus consistat ea, quam

subditi Romano Imperio debent, obedientia: et postremo, quibus modis ab obedientia & potestate Romani Imperij, per rebellionem discedatur. Primum igitur, quod ad Iurisdictionem Romani Imperij attinet, magna semper apud Iureconsultos altercatio fuit, qui Romano Imperio subiecti sint, & qui ab eius potestate & Iurisdictione exempti: Alijs dicentibus, Imperatorem totius orbis tenere Principatum, nec quenquam ab eodem esse exemptum. Alijs contrà affirmantibus, multos Reges, Principes, Nationes, & populos, à Iurisdictione Imperij Romani esse exemptos. Ego rescisis disputationum ambagibus, de hac re sententiam meam in breues aliquot conclusiones conferam. Prima conclusio. Duplex est potestas, Legitima, & Tyrannica: & utraq; à Deo, illa quidem iubente, hæc uero permittente: ac de utraq; dicitur. Non est potestas nisi à Deo, ut docet ac testatur Augustinus. Itaq; omnis potestas à Deo est, uel operante, ut potestas bonorum Principum, quam legitime accipiunt: uel permittente, cuiusmodi est potestas malorum, ui aut dolo sibi potestatem usurpantium. Secunda conclusio. Potestates ita à Deo ordinatæ sunt, ut per Legitimam boni à malis defendantur: per Tyrannicam bonorum patientia probetur, & malorum iniquitas puniatur. De bonis dicitur. Principes non sunt timori boni operis, sed mali: uis autem non timere potestatem, bonum fac, & laudem habebis ex illa. Dei enim minister est, tibi in bonum. Si aũt male feceris, time: non enim sine causa gladium portat. De malis dicit Dominus per Prophetam. Ipsi regnauerunt, & non ex me. Quod explicans Hieronymus. Audacter (inquit) fortasis aliquid dicimus, tamen quod scriptum est dicimus: Non semper Princeps populo, & iudex Ecclesiæ per Dei arbitrium datur, sed prout merita nostra deposcunt. Si mali sunt actus nostri, & operamur maligna in conspectu Dei: datur nobis Princeps secundum cor nostrum. Et hoc tibi de scripturis sanctis probabo. Audi nanq; quid Dominus dicat: Fecerũt sibi Regẽ, & non per me: Principem, & non per consilium meum. Et hoc dictum uidetur de Saule illo, quem utiq; ipse Dominus elegerat, & regem sibi fieri iusserat: Sed quoniam non secundum Dei uoluntatem, sed secundum peccatoris populi meritum fuerat electus, negat eum cum sua uoluntate uel consilio constitutum. Mali igitur Principes, non ex Deo regnant: quia nõ ipso cooperante regnãt, sed permittente. Ideo aũt Deus iniustam potestatem permittit, ut ex ea bonum aliquod eliciat. Nam etsi malum non efficiat Deus, ut qui bonas uoluntates adiuuat, malas iudicat, omnes ordinat, ut inquit Augustinus: Tamen malorum potestatem permittit. Primum, ut per eam qui probati sunt, manifestiores fiant: malorum uero peccata potentius uindicentur. Sic

Diabolo,

Altercatio de subiectis Ro. Imperio.

c. quid culpatur. 23. q. 1. c. audacter. 8. q. 1.

Rom. 13. Epistola. 48. & 50.

ar. 2. q. 7. c. 1. et 23. q. 5. § hinc notandum.

Omnis potestas à Deo.

Rom. 13.

Osee. 8.

c. audacter. 8. q. 1.

Osee 8.

1. Reg. 10.

Quare Deus malos regnare permittit.

Diabolo, in iustum uirum Iob, potestas permissa est, non aliam ob causam, quam ut ipsius iustitia & patientia probaretur: In ludam uero, ut damnandus se suspenderet. Neq; uero per malos tantum, sed etiam per bonos, peccata populorum punit Deus. In utrorumq; siquidem manibus gladij ancipites, ad faciendam uindictam in nationibus, & increpationes in populis: Illorum quidem nescientium, horum uero scientium. Per nescientes peccata punit, sicut Sennacherib, & per Nabuchodonosor Regem, & per Antiochum, & per Principes Romanorum, & per nonnullos Reges gentilium, populum Israëliticum delinquentem aliquando afflixit, aliquando captiuauit. Vnde ipse Dominus ait per Prophetam. Virga furoris mei Assur: ipse autem non cognouit. Assur erat uirga furoris Domini: quia per eum innumeras gentes diuina iustitia flagellare disposuit, ipse uero non cognouit: quia in superbiam elatus. Victoriam, quam assecutus fuerat, non diuinæ potentiæ, sed suis uiribus attribuit. Vnde contra eius superbiam Dominus loquitur, dicens. Nunquid gloriabitur serra contra eum, qui secat in ea? aut nunquid exaltabitur securis contra eum, qui cedit in ea? Quibus similitudinibus satis perspicue ostenditur, quia sicut serra & securis, nec secare, nec cedere ligna possunt, nisi ab alio regantur, ac ideo contra regentem se, superbire non debent: sic illi, per quos Deus punit, absq; nutu diuinæ dispositionis nihil agere ualent: ac ideo contra regentem se, superbire eis non licet. Tales in eo, quod puniunt, Deo seruire dicuntur: In eo autem quod ignorantes, se esse ministros iræ Dei, impia uanitate superbiunt, nec mercedem suæ seruitutis à Deo non (nisi temporalem) inueniunt: pœnam uerò suæ superbiæ non effugiunt. Vnde cum Dominus dicebat ad Prophetam de Nabuchodonosor. Quid dabo ei pro labore, quo seruiuit mihi apud Tyrum: statim subiunxit. Da (hoc est datam sibi pronuncia) Ægyptum & Æthiopiam. Cum autem in corde suo superbiens postea diceret. Nonne hæc est Babylon, quam ego condidi in robore regni mei? &c. Statim immutauit Deus rationabilem mentem eius, & induit eum ferina bestialitate, ut ab hominibus fugiens, cum bestijs uiueret.

Per Antiochum quam cum Idolatriam Iudaicæ plebis Dominus punire decreuisset: & pacem, quam ex lege Dei abiecta, & ex satis nationum assumptis quærebant, illis in perniciem uerteret. Quia Dei dispositionem ignorans, suæ facultati deuastationem illius plebis attribuit, imprecatur in eum Propheta, dicens. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt: & in regna, quæ non nouerunt nomen tuum: ne forte dicant in gentibus, ubi est Deus eorum. Similiter, cum per Romanos peccatum mor-

Deus diuersimode punit peccata populorum.

Psalm. 149.

c. remittuntur. 23. q. 5.

Esa. 10.

Regum superbiam reprehendit Deus.

Reges puniendo peccata, seruiunt Deo.

Nabuchodonosor.

Hiere. 27.

Ezech. 26.

Daniel. 4.

Antiochus

Psalm. 78.

Romani.

tis Christi Deus punire decreuisset, urbis excidium, & Iudaicæ plebis miseram captiuitatem, suis uiribus ascribere cœperunt: Vn-
Psal. 73. de contra eos Propheta imprecatur, dicens. Leua manus tuas in superbias eorum, qui te oderunt: & qui multa maligna operati sunt, monumenta suæ uictoriæ posuerunt in medio atrio tuo.

Gentes à Deo puniꝛ tę per filios Israel.

Per scientes peccata puniuntur, sicut Deus per filios Israël uoluit peccata punire Amorrhæorum & Chananæorum, & aliarum gentium, quarum terram Israëlitis possidendam dedit: Quibus
Deut. 7. etiam præcepit, ut nemini eorum parcerent, sed omnes morti traderent. Quod propter peccata eorum illis contigisset, ex uerbis
Genes. 15. Domini apparet, qui cum diceret ad Abraham: Semini tuo dabo terram hanc, ueluti quæreret, Quare non modo das mihi? audiuit. Nondũ enim sunt peccata Amorrhæorũ cõsummata: Quę tunc intelliguntur fuisse consummata, cum populus ille de Ægyptiacà seruitute liberatus, terrã eorum (sicut Abrahæ promissum fuerat) in hæreditatem accepit.

Quando puniuntur peccata sine culpa: quando cũ culpa eorũ qui puniunt.

Cum ergo sic diuino iussu ad puniendum peccata populi excitantur (Sicut populus ille Iudaicus est excitatus ad occupandam terram promissionis, & ad delendas gentes peccatrices) sine culpa noxius sanguis effunditur: & quæ ab eis male possidentur, in ius & dominium ritè transeunt bonorum. Cum uero occulto instinctu aliqui monentur ad persequendum malos (sicut Sennacharib, & cæteri, qui populum delinquentem persecuti sunt) licet occulto instinctu operante, illorum meritis incitentur ad persequendum: tamen quia praua intentione, non peccata delinquentium punire, sed illorum bona rapere, uel suæ ditioni subijcere quærunt, non sunt immunes à crimine. De quibus etiam notandum est, quod aliquando excitatur ad puniendum peccata bonorum, ut tandem per bonos correctos ipsi quoq;
Iud. 3. & 6. puniantur: Sicut in libro Iudicum legitur, De Iabin Rege Chananæorum, & de Madianitis, quod propter Idolatriam populi suscitauit eos Deus, ut Israël affligerent, & terram eorum occuparent. Cum autem populus Dei, sub manibus eorum diutius afflictus, peccatum suum recognosceret, & per Pœnitentiam sibi Deum
Iud. 5. & 7. placaret, Dei præcepto & Barach comitatus Delboram Prophetissam uxorem Lapidoth, Iabin regem Chananæorum, & Zizaram Ducem exercitus sui contriuit, & Gedeon Zebee & Salmana Reges Madianitarum, & Oreb, & Zeb Duces eorum morti tradidit. Apparet ergo, quod aliquando per legitimam potestatem gerentes, aliquando per populos diuino iussu excitatos, mali propeccatis suis non solum flagellantur, sed etiam ritè perduntur.

Deus & bonis & malis Regibus bene utitur.

Vtranq; igitur potestatem, tam bonam quam malam, Deus ordinat: Bonam quidem propitius, malam uero iratus. Reges enim quando boni sunt, muneris est diuini: Quando uero mali sunt,

sceleris

sceleris est populi. Nam secundum meritum plebium, rectorum quoq; uita disponitur, ut non immerito dictum sit. Qui regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi. Irascente enim Deo, talem rectorem populi suscipiunt, qualem pro peccato meruerunt. Tertia conclusio. Omnis potestas in Ecclesia est: Vel ea quæ dicitur malignantium, uel ea quæ uocatur sanctorum. Nam omne Imperium, siue iustum siue iniustum, de congregatione aliqua hominum constituitur. Quæ quidem congregatio, si sancta fuerit, sanctorum: sin uero maligna, malignantium Ecclesia uocatur. Qui in priore Ecclesia sunt, filij Dei: Qui in posteriore, filij hominum in sancta scriptura appellantur. De priore dicitur in Psalmo. Laus eius in Ecclesia sanctorum. De altera idem Psaltes: Odiui Ecclesiam malignantium: & cum impijs non sedebo. In Ecclesia igitur sanctorum, legitima: in ea uero quæ dicitur malignantium, Tyrannica regna constituuntur. Quarta conclusio. Tyrannicum regnum à Cham descendit, filio Noë, illo uidelicet, qui pudenda patris fratribus detexit. Nam ex filio eius Chus, natus est Nemroth, qui primus cœpit potens esse in terra, & fuit robustus uenator coram Domino, id est, permittente Domino. Huius regni principium fuit Babylon, ut scriptura testatur: A quo descenderunt Reges gentium Amorrhæorum & Chananæorum, iniusti & uiolenti usurpatores & invasores regnorum. Propter quod & regna eorum à Domino dantur Abrahæ & semini eius. De quibus dicitur in Psalmo. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt: & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt. Et uox illa Domini: Auferetur à uobis regnum Dei, & dabitur genti, facienti iustitiam. Et illud Ecclesiastici. Regnum à gente in gentem transferetur, propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, ac diuersos dolos. Item paulo post. Sedes Ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis. Quinta conclusio. Potestas legitima, quæ Deo cooperante ordinata est, à Noë cœpit. Nam cũ ante tempora Noë, Deus mundũ per se ipsum gubernasset, ut qui et præcepta hominibus dedit, & delinquentibus pœnas imposuit: à tempore Noë creaturas suas per ministros regere cœpit. Quorum ipse Noë, qui & arcam iubente Domino gubernauit, per quam Ecclesia designata est: & leges dedit subditis, inter quas prima fuit, per quam Chanâan filium Cham propter delictum patris, quod in Noë patrem pudenda eius fratribus ostendendo perpetrauerat, maledixit: Sem uero & Iaphet, quia uerenda patris operuerant, benedixit. Maledictus (inquit) puer Chanâan, seruus seruorũ erit fratribus suis: Benedictus Dominus Deus Sẽ, sit Chanâan seruus eius: Dilatet Deus Iaphet, & habitet in Tabernaculis Sẽ, sitq; Chanaan seruus eius. Post Noë Sem filius, &

Iob. 34.
2. q. 7. c. 1. d. c. audacter 8. q. 1.
Duplex Ecclesia: Vna sanctorũ, altera malignantium.
Genes. 6.
Psalm. 149.
Psalm. 25.
Regna, quædam legitima, quædam Tyrãnica.
Genes. 10.
Nemroth primus Tyrannus.
Genes. 12. 13. 15.
Psalm. 78.
Matth. 21.
Ecclesiast. 10.
Potestas legitima â Noe cœpit.
21. q. 4. Quoniam.
Genes. 9

Iudices & Reges filiorum Israël.

post hunc posteri eius, usq; ad Abraham filium Thare, qui & ipse à Sem descendit, gladij potestatem habuerunt. Post Abraham regnarũt Iudices & Reges, qui ex semine eius descenderũt, sicut promiserat ei Dominus. Ponam (inquit) te in Gentibus, Regesq; ex te egredientur. Et iterum: Et benedicam uxori tuæ, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum: Eritq; in nationes, & Reges populorum orientur ex eo. Porro Abraham & Regibus ab eo descendentibus successit Christus, Rex regum, & Dominus dominantium, cui omnis potestas data est (ut ipse de seipso testatur) in cœlo & in terra. De quo & Propheta ait. Potestas eius à mari usq; ad mare. Et in Psalmo: Et dominabitur à mari usq; ad mare. Sexta conclusio. Quemadmodum in ueteri Testamento ijdem erant Pontifices & Reges: Vt de Samuele testatur scriptura. Et Samuel (inquit Psalmus) inter eos, qui inuocant nomen Domini. Item Samuel inuocator nominis Domini, & idem tamen populum Israël cunctis diebus suis iudicauit, & rexit Israël. Sic tempore Abrahæ fuit Melchisedech, idem & Rex Salem, & Sacerdos Dei Altissimi, offerens panem & uinum, & benedicens ei. Hic primus Rex uerus & iustus fuit, qui in diuina scriptura memoratur. Qui secundum Apostolum Rex iustitiæ interpretatur. Sic Moyses Sacerdos fuit, de quo dicitur. Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius. Et idem rexit populum Israël omnibus diebus uitæ suæ, ut de eo scriptura testatur. Sic enim in Exodo loquitur ad eum Dominus. Ecce, constitui te Deum Pharaonis. Item: Altera autem die sedit Moyses, ut iudicaret populum. Ita & Christus in nouo Testamento, secundum carnem & Regiam potestatem habuit & Sacerdotalem, idem Rex & Dominus omnium, & summus Sacerdos. Ac de Sacerdotio eius, cuius Typum gesit Melchisedech, in Psalmo dicitur. Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. De Regia autem potestate idem Psaltes. Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis: iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio. Et alius Propheta. Et regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. Et illud Apostoli. Thronus tuus Deus in sæculum sæculi: uirga æquitatis, uirga regni tui. De utraq; autem potestate, æquè illud in Psalmo dicitur. Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lętitię prę cõsortibus tuis. In regno siquidem Iudæorum, Reges & Sacerdotes ungebantur. Septima conclusio. Christus utranq; potestatem, Sacerdotalem & Regiam, in Petrum, & eius successores Romanos Pontifices, pleno iure contulit. Vt iam, quicunq; in Ecclesia Primatum tenet, generalis Christi Vicarius sit, & utranq; potestatem obtineat, & Spiritualem & Temporalem. Cum enim plenariam potestatem receperit Christus (ut antea dictum est) conueniens

Genes. 17.

Matth. ult.

Zach. 9.

Psal. 71.

Sacerdotiũ & regnum in una & eadem persona.

Samuel.

Psal. 98.

1. Regum. 7.

Melchisedech.

Genes. 14.

Heb. 7.

Moyses.

Psal. 98.

Exodi. 7.

Exod 18.

Christus.

Psalm. 109.

Psal. 71.

Hiere. 23.

Heb. 1.

Psal. 44.

Vtraq; potestas in Vicario Christi, Rom. Pontifice.

fuit,

fuit, ut & eiuſdem plenitudinem Vicario ſuo in terris relinqueret. Si enim diligens paterfamilias ita familiam ſuam curat, ut etiam abſente ſe nihil illi deſit, quod ad profectum eius pertinere uideatur: Quanto magis Chriſtum credendum eſt, plenam curam & authoritatem Vicario ſuo in terris commiſiſſe, ut ſe quoq; abſente nihil Eccleſiæ ſuæ deeſſet, quod ad fœlicem eius gubernationem, tam in ſpiritualibus quàm in tẽporalibus, pertinere uideretur? Hanc igitur poteſtatem Chriſtus Petro mandauit, quando eidem Eccleſiæ ſuæ adminiſtrationem committens, dixit. Paſce oues meas. Quo loco & uniuerſas oues, & curam uniuerſam, quæ ad profectum tam animarum quam corporum pertinet, id eſt, adminiſtrationem omnem, tam in ſpiritualibus quam in temporalibus, per quam & ſaluti animarum, & publicæ hominum tranquillitati & paci conſulitur: & quicquid adeo Chriſtus ipſe potuit, Petro, tanquam Vicario ſuo, mandaſſe intelligitur. Paſcere ſiquidem oues, eſt credentes, ne deficiant, confortare: terrena ſubſidia, quoties neceſſe eſt, ſubditis adminiſtrare: exempla uirtutum præbere, aduerſarijs obſiſtere, peccantes corrigere, &c. Octaua concluſio. Quemadmodum Eccleſia duas poteſtates à Chriſto accepit, alteram ſpiritualem, alteram temporalem: Ita & duplicem gladium habet, alterum quidem Spiritualem, ad puniendum ſpiritualiter: alterum uero Materialem, ad puniendum corporaliter. Quorum etſi par ſit ius & poteſtas, tamen diuerſum eſt exercitium. Siquidem Spiritualem habet ſecundum uſum & meram exequutionem: Materialem uero, ſecundum nutum & imperium. Quod Bernardus, ad Eugenium ſcribens, his uerbis confirmat. Quid tu (inquit) denuo uſurpare gladium tentas, quem ſemel iuſſus es reponere in uaginam? Quem tamen qui tuum negat, non ſatis mihi uidetur attendere uerbum Domini, dicentis. Conuerte gladium tuum in uaginam. Tuus ergo, & euaginandus ad tuum nutum: alioqui ſi nullo modo ad te pertineret et is, dicentibus Apoſtolis: Ecce gladij duo hic, non reſpondiſſet Dominus: Satis eſt, ſed nimis eſt. Vterq; ergo eſt Eccleſiæ & Spiritualis & Materialis: Sed is quidem pro Eccleſia, ille uero ab Eccleſia exercendus: Ille Sacerdotis, is militis manu. Sed ſane ad nutum Sacerdotis, & iuſſum Imperatoris. Nutum Sacerdotis intelligimus, ſignum illud uoluntatis, quo Sacerdos per prædicationem uerbi Dei, per exhortationem aut etiam per iuſsionem quandam demonſtrat, uindictã de ſceleratis hominibus eſſe ſumendam. Hanc ſubſequitur iuſſus Principis ſæcularis, imperantis militi, ut quod Sacerdos admonuit, id ipſe armata manu exequatur. In exercitio igitur temporalis gladij tria concurrunt: Nutus Sacerdotis,

c. pro humani. de homicid. lib. 6. Panor. in c. Venerabilem. de elect.

Ioan. ult.

Paſcere oues quid eſt?

Duplex gladius Ro. Pontificis.

Gladius Materialis eſt quidem Papæ, ſed non ab eo exercẽdus.

Ioan. 18. Matth. 26. Luc. 22.

Quid nutus Sacerdotis eſt?

Aluarus lib. 2. de planct. Eccleſ. ar. 59. uerſ. quid aũt ſit hoc gladiũ.

dotis, tanquam primum mouens, sed remotum: Iussio & Imperium Principis, tanquam proximum mouens: Et exequutio ministri.

Christus regnũ terrenum recusauit.

Nona conclusio. Etsi Christus in terris uiuens, regnum terrenum temporaliter administrare noluerit, ipso id testante & dicente. Ioan. 18. Regnum meum non est de hoc mundo. Item. Nunc autem regnum meum non est hinc. Non dicit: Regnum meum non est hic. Hic est enim regnum eius, usq; in finem sæculi: Sed tamen non est hinc, quia peregrinatur in mũdo, ut inquit Augustinus. Sic etiã ab exercitio Luc. 12. iudiciariæ potestatis abstinere se ostendens, dixit. Quis me constituit iudicem aut diuisorem super uos: non quod iudicandi potestatẽ non

Exempla gladij in sacerdotibus & prophetis.

haberet, sed quia propter diuina descenderat, terrena declinare uoluit, ut inquit Ambrosius. Tamen nihil prohibet, quin Vicarius Christi in terris, exigente necessitate, etiã regiam potestatem exercere possit. Quod & in ueteri Testamento sacerdotes fecisse legimus, qui Exod. 2. & ipsi necessitate suadente, materiali gladio usi sunt. Sic Moyses Psalm. 98. Ægyptium interfecit, qui tamen sacerdos fuit. Iuxta illud Psalmi. Exod. 32. Moyses & Aaron in sacerdotibus eius. Idem mandauit Leuitis, ut Num. 25. interficerẽt fratres suos Idolatras. Sic Phynees, filius Eleazari sacerdotis, & ipse sacerdos, accepto pugione, scortum perforauit, & lu-1. Reg. 15. dæum coëuntem cum Madianitide. Propter quod meruit pactum 3. Reg. 18. & 19. sacerdotij sempiterni. Sic & Samuel, minister Dei, Agag regẽ pinguissimum in frusta concidit. Et Helias Prophetarum eximius, pro-4. Reg. 1. 1. Machab. 2. phetas Baal, & duos quinquagenarios Ochozię occidit. Sic & Ma-Act. 5. tathias, filius Ioannis sacerdotis Domini, Zelator legis, Iudęũ super Act. 13. Aram sacrificantem interfecit. Sic Petrus Ananiam & Zaphiram

Cur Christus gladio uti non uoluit.

trucidauit. Paulus Elimam Magum, uijs domini resistentẽ, æterna seueritate damnauit. Neq; uero Christus ab usu gladij tẽporalis ideo abstinuit, quod eius potestatem non habuerit. Quomodo enim gla-Matth. ult. dij potestatem non habuit, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra? Sed ut exemplo suo doceret, ut qui spiritualibus intenti esse debent, eos sæcularibus negocijs minime implicari debere. Sic & Apostoli à multis rebus abstinuerunt, quorum tamen plenam potestatem habuisse dinoscuntur: partim quia potioribus intenti, indignum

Cur Apostoli à gladij usu abstinuerunt.

esse iudicarunt, ut circa minutiora uersarentur: partim quia potestate sua ita uti noluerunt, ne quod impedimentum darent Euangelio Christi, sed omnia ad ædificationem fierent. Ideo indignum esse pu-Act. 6. tabant, ut uerbũ Dei relinquerent, & mensis ministrarent. Et Apo-2. Thess. 3. stolus Paulus. Denunciamus (inquit) uobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, ut subtrahatis uos ab omni fratre, inquiete ambulante, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis. Ipsi enim scitis, quomodo uos oporteat imitari nos, quia non sumus inquieti inter uos, neq; panem ab aliquo gratis manducamus: Sed in labore & fatigatione die ac nocte laborãtes, ne quem uestrorum

rum grauaremus. Non quia non habuerimus potestatem: sed ut nosmetipsos formam daremus uobis, qua nos imitaremini &c. Et idem Apostolus. Nescitis (inquit) quoniam qui in templo operantur, quæ de templo sunt edunt. Et. Qui altario deseruiunt, cum altario participant? Sic & Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant, de Euangelio uiuere. Ego autem nullo horum usus sum &c. Quibus uticp locis Apostolus demonstrat, non ex altario se uiuere, sed manibus uictum quærere: non quod potestatẽ non habeat, sed ne quod impedimentũ det Euangelio Christi. Et ad hũc modum idem Apostolus scribit. Nemo militans Deo, implicat se negocijs sæcularibus. Non quod Pontifices & Sacerdotes, maxime uero Romanus Pontifex, de tẽporalibus iudicandi potestatem non habeat: sed quia indignum est, ut de minimis iudicet, cui maxima iudicandi potestas data est. Quod idẽ Apostolus, ad Corinthios scribens, his uerbis significat. An nescitis (inquit) quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in uobis iudicabitur mundus: indigni estis, qui de minimis iudicetis? Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis sæcularia? Sæcularia igitur iudicia si habueritis: contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum. Quem locum Apostoli exponens Bernardus, ita ad Eugenium scribit. Itacp secundum Apostolum, inquit, indigne tibi usurpas tu Apostolice, officium uile graduum contemptibilium. Vnde & dicebat Episcopus, Episcopum instruens: Nemo militans Deo, implicet se negocijs sæcularibus. Ego autem parco tibi: non enim fortia loquor, sed possibilia. Putas ne hæc tempora sustinerent, si hominibus litigantibus pro terrena hæreditate, & flagitantibus abs te iudicium, uoce Domini responderes. O homines, quis me constituit iudicem super uos? in quale tu iudicium mox uenires. Quid dicit homo rusticanus & imperitus, ignorans primatum suum, inhonorans summam & præexcelsam sedem, detrahens Apostolicæ dignitati: Et tamen non monstrabunt puto, qui hoc dicerent, ubi aliquando quispiã Apostolorũ iudex sederit hominũ, ac diuisor terminorũ, aut distributor terrarũ. Stetisse denicp lego Apostolos iudicãdos: sedisse iudicãtes non lego. Erit illud: nõ fuit ita, ✝ne imminutor est dignitatis seruus, si non uult esse maior domino suo: aut discipulus, si nõ uult esse maior eo, qui se misit: aut filius, si non transgreditur terminos, quos posuerunt patres sui. Quis me constituit iudicem, ait Dominus & Magister: & erit iniuria seruo discipulocp, nisi iudicet uniuersos? Mihi tamẽ non uidetur bonus existimator rerũ, qui indignũ putat Apostolis seu Apostolicis uiris, non iudicare de talibus: quibus datũ est iudiciũ in maiora. Quid ni contemnant iudicare de terrenis possessiunculis hominum, qui in cœlestibus & angelos iudicabunt? Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas uestra, quoniam

propter

1. Cor. 9.

2. Tim. 2. Non est dignum, de Temporalibus iudicare Rom. Pontificẽ.

1. Cor. 6.

Bernard. lib. 2. de consyd. ad Eugenium.

2. Tim. 2. Spiritualia potius, quã sæcularia, debet curare & iudicare Rom. Pontifex.

Luc. 12.

✝ Nec.

Prouerb. 22.

Luc. 12.

Ad quid accepit claues Petrus.

propter illa,& non propter has, accepistis claues Regni cœlorum:
Luc.5. Præuaricatores utiq; excluſuri,non poſſeſſores. Vt ſciatis,ait,quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata,&c. Quę nam tibi maior uidetur & dignitas & poteſtas dimittẽdi peccata,an prædia diuidendi? Sed non eſt comparatio,habent hęc infima & terrena iudices ſuos,Reges & Principes terræ. Quid fines alienos inuaditis? quid falcem ueſtrã in alienam meſſem extenditis? non quia indigni uos,ſed quia indignum uobis talibus inſiſtere,quippe potioribus occupatis. Deniq;,niſi neceſsitas exigit: audi quid cenſeat, non
1.Cor.6. ego, ſed Apoſtolus. Si enim iudicabitur in uobis mundus, huic indigni eſtis, qui de minimis iudicetis. Sed aliud eſt incidenter excurrere in iſta,cauſa quidem urgente: aliud ultro incũbere iſtis tanquam magnis,digniſq; tali taliũq; intentione rebus. Decima concluſio. Etſi utraq; poteſtas ab uno principio deſcendat, nempe Deo, & ab eodem in Eccleſiã deriuata ſit: tamen ita inter ſe ordinatæ ſunt,ut altera dependeat ab altera. Oportet enim gladiũ eſſe ſub gladio,& temporalem authoritatẽ ſpirituali ſubiici poteſtati. Nam cũ dicat Apoſtolus. Non eſt poteſtas niſi à Deo: quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt. Quomodo ordinatæ eſſe poſſent, niſi gladius eſſet ſub gladio, & tanq; inferior reduceretur per aliud in ſuprema? Spiritualis autem tanto & dignitate & nobilitate tẽporalem præcellit,quãto ſpiritualia tẽporalia antecellunt. Sic igitur utraq; poteſtas à Deo eſt. Spiritualis quidem immediate & principaliter, ut quæ immediate à Chriſto in Eccleſiã collata eſt: Temporalis uero mediate,quia per Eccleſiam in Imperatorem transfertur. Quo fit, ut hodie legitimus Imperator eſſe non poſsit, niſi qui à Romano Pontifice tanquã Eccleſię præſide & Vicario Chriſti,approbatus fuerit & confirmatus: A quo & inungitur,conſecratur,& coronatur. Ad Eccleſiam enim pertinet, electum Imperatorẽ examinare: & eundem,ſi iuſtus & Catholicus fuerit,approbare. Sin uero infidelis uel hæreticus, uel Eccleſiæ rebellis fuerit,reprobare. Vndecima concluſio. Imperium Romanũ, etſi iuſtiſsimis legibus fundatum,& latiſsime propagatum fuerit: tamen ex eo tempore,quo conditum fuit, uſq; ad Conſtantinũ Magnum Imperatorem (qui inter Romanos Principes primus ad Chriſti fidem conuerſus eſt) Tyrannicum fuit: non à ſanctorum, ſed à malignantium Eccleſia propagatum: & à Deo,non quidem iubente, ſed permittente,ordinatũ. Duodecima concluſio. Imperio in Eccleſiam per Chriſtũ trãslato,ſimul & Romanę Monarchiæ qualitas & conditio mutata eſt. Nam quod antea in Gentilibus Tyrannicum fuit, tum demũ in Conſtantino, aliiſq; Chriſtianis Principibus ſucceſſoribus eius,legitimũ eſſe cœpit: Quippe ab Eccleſia malignantiũ, in Eccleſiã ſanctorũ translatũ. Quo fit,ut longe diuerſiſsimo iure Imperiũ Romanũ tenuerint Principes,qui Conſtantinũ præceſſerũt: &

qui

Breuis reſolutio huius Nonæ concluſionis.

Temporalis poteſtas ſubeſt ſpirituali.

In aut. quomodo opor. Epiſ in princip. 96. diſt. c. quis dubitet. & c. Duo ſunt.

Spiritualis poteſtas immediate, Temporalis mediate à Deo eſt.

Cle. Roman. de iureiur. & Cle. Paſtoralis de re iud. c. ad apoſtolicæ. de re iud. lib. 6. Panor. in c. Venerabilem. de elect. Bald. in L. Cunctos populos im. 1. C. de Sum. tri. & fid. Cath.

Sub Chriſtianis legitima eſt Ro. Imperij poteſtas ſub Gentilibus Tyrãnica fuit.

qui eidem in administratione Imperij succesſerunt. Nã ſi quis origi
nem Romani Imperij ſpectet, facile comperiet, uiolentam eam fuiſſe
& Tyrannicam. Nam etſi Romulus & Remus primũ urbem ipſam ff. de orig. iur.
Romam condiderunt, & regnum inſtituerunt: Quod eis iure gen- l. ex hoc iure
tium permiſſum fuiſſe uidetur. Tamen hoc ipſo Tyrannidem exer- ff. de iuſt. & iure.
cuerunt, quòd Romulus occiſo fratre, per uiolentiam aliorũ quoq;
regna inuaſit, ac terminos Imperij Romani, occupatis alienis regnis L. fi. ff. de re-
& poſſeſsionibus, dilatauit. Vnde, etſi populus Romanus in rum diuiſ.
Octauium Cæſarem Auguſtum, omnem poteſtatem Imperij tran- Octauius
ſtulerit: tamen quemadmodum populus per Tyrannidem Impe- Auguſtus.
rium occupauit, ſic non aliam quàm Tyrannicam poteſtatem in Inſt. de iure
ipſum, ut Principem transferre potuit. At Chriſto iam nato, Mo- nat. gen. & ciui. §. ſed
narchia Romana, quæ antea Tyrannica fuit, in ipſum Chriſtum, & quod princip.
per Chriſtũ in Eccleſiam, ac per Eccleſiam in ipſos Romanos Prin- c. de uet. iure.
cipes legitimo iure translata eſt: Vt iam Imperium, quod in Idola- Enucl. l. 1. §.
tris antea Tyrannicum fuit, in Chriſtianis legitimum & ſit & ha- cum eum. ff. de
beatur. Regna ſiquidem Idolatrarũ & Paganorum, Deum uerum orig iur. l. 2. §
non colentium, ad Eccleſiam (cuius tamen antea erant, licet per eos igitur.
occupata) redierunt. Ad omnes enim impios & infideles illa uox c. ſi de rebus.
Domini ualet: Auferetur à uobis regnum Dei, & dabitur genti fa- 23. q. 7.
cienti iuſtitiam. Etſi autem Chriſto adhuc in carne nobiſcũ uerſante, Matth. 21.
& Apoſtolis Eccleſiam Chriſti gubernãtibus, Idolatrę uſq; ad Con-
ſtantinum Magnum Romani Imperij gubernacula tenuerint, quin
multis etiam modis Eccleſiam perſequuti fuerint, idq; Chriſto &
Apoſtolis non ſolum permittentibus, ſed eorum etiam poteſtatem
approbantibus: Tamen nihilominus eorũ Imperium Tyrannicum
fuit, ut quod Chriſto permittente magis quàm iubente, adminiſtra- Nabucho-
uerint. Et utrunq; ſane tempus, & quod ſub Apoſtolis habuit, & donoſor
quod nunc habet Eccleſia, in Rege illo, qui Nabuchodonoſor uoca præfigura-
batur, præfiguratum eſt. Temporibus ſiquidem Apoſtolorum & uit utrunq;
Martyrum, illud implebatur, quod figuratum eſt, quando Rex me- Imperium.
moratus pios & iuſtos cogebat adorare ſimulachrum, & recuſantes Dan. 3.
mittebat in ignem: Nunc illud impletur, quod paulo poſt in eodem Vide Aug.
Rege figuratum eſt, cum conuerſus ad adorandum Deum uerum, epiſtola 48.
decreuit in regno ſuo, ut quicunq; blaſphemaret Deum Sidrach,
Miſach, & Abdenago, pœnis debitis ſubiaceret. Prius ergo tempus
illius Regis, ſignificabat priora tempora regum infidelium, quos pa-
tiebantur Chriſtiani pro impijs. Poſterius uerò tempus eiuſdem
Regis, ſignificabat tempora Regum fidelium, quos patiuntur impij
pro Chriſtianis. Ac de infidelibus dicitur in Pſalmo. Quare fremue- Pſal. 2.
runt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ,
& Principes conuenerunt in unum, aduerſus Dominum & aduer-
ſus Chriſtũ eius. De fidelibus uero accipitur, quod in eodem Pſalmo

dicitur. Et nunc Reges intelligite: Erudimini, qui iudicatis terram? Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Decimatertia conclusio. Etsi Imperium Romanum primum sub Regibus, deinde sub Consulibus, ac postremo sub Idolatris Imperatoribus latissimè propagatum fuerit, ut Augusti temporibus uniuersus orbis Ro. Imperio subiectus fuerit, ut Lucas Euangelista testatur: & Antoninus Imperator suis quoq; temporibus non dubitauerit, Dominum se mundi appellare. Ego quidem, inquit, mundi Dominus, lex autem maris. Tamen non fuit, quod tunc obtinuerunt, legitimum, sed Tyrannicum potius Imperium: utpote ab his, qui de Ecclesiæ malignantium fuerunt, occupatum. Vnde nec Reges, nec Consules, nec Imperatores eius temporis legitimi orbis Domini, sed uiolenti potius inuasores & occupatores, fuerunt. Siue enim eorum antecessores spectemus, siue successores: filij hominum fuerunt, neq; à Sem, neq; ab Isaac, stirpe uidelicet legitimorum Regum, sed à Cham & Ismael, linea Tyrannorum, descenderunt: Vnde & successores uitiorum & culpæ, Tyranni non legitimi Domini orbis uel Imperij fuerunt. Decimaquarta conclusio. Quemadmodum Christus totius orbis Rex & Dominus, Imperium & totius mundi dominium ab iniustis possessoribus uendicauit, & in Ecclesiam suam transtulit: Ita qui authoritate Ecclesiæ ad Imperialis dignitatis culmen euehuntur, simul etiam orbis dominium acquirunt, omniumq; gentium, regnorum & populorum monarchæ, tam diuino quàm humano iure constituuntur: Diuino, quia quod Ecclesiæ authoritate fit, diuina iussione fieri intelligitur, iuxta uerbum Christi. Pasce oues meas: Humano, quia & humanæ leges Romanos Imperatores totius orbis dominos esse pronunciant. Decimaquinta conclusio. Etsi Romano Imperio subditi, contra ipsius obedientiam præscribere non possint: tamen nihil prohibet, quin iura Imperij uel priuilegio Principis acquirere, uel temporis diuturnitate præscribere possint, ita, ut à Iurisdictione Imperij exempti, plenitudine potestatis, quam Imperator in uniuerso Imperio habet, ipsi in suis regnis utantur. Quo casu non obedientia abiecta, sed libertas potius data uel præscripta esse censetur. Atq; ad hunc modum Venetorum dominium, à Iurisdictione Romani Imperij, priuilegio Principis exemptum esse fertur. Quod priuilegium Alber. de Ros. uidisse testatur: Vt alibi tradit Iason. Quanquam sunt, qui Venetos ipso etiam iure à Romano Imperio exemptos esse contendant: Hac ratione moti, quod ciuitas Venetiarum non in solo, sed in mari ædificata, iure gentium eorum sit, qui eam ædificauerũt. At Galliarum & Hispaniarum, & quidam alij Reges, ab Imperio exempti sunt, non quidem ipso iure, uel priuilegio aliquo principali, sed tanti temporis, cuius initij non est memoria hominum, præscriptione. Quo iure

Monarchia Ro. Imperij.

Luc. 2.

ff. ad leg. Rhod. de iact. l. deprecatio.

ff. de diuers. & temp. præscrip. l. cum hæres. ff. l. 2. C. de fruct. & lit. expens.

Ioan. 21. L. cunctos populos. C. de sum. tri. et fid. Cath. in extrauag. ad reprimendum. Quomodo in cri. læs. ma. proced. c. cum non liceat. de præscrip. ubi Pan. Panor. in d. c. cum non liceat de præscript. præpos. Alexandrinus in Tit. de pace iura fir. in princip. Bar. in l. hostes ff de capt. & post. Reuers. Bald. in c. sicut de Iure Iuran. Iason in l. cunctos populos C. de sum. tri. & fid. Cath.

sane tempore, cum Imperator nullum in eos Imperium aut Iurisdictionē exercuerit, uidetur usui Iurisdictionis, quam in ipsos habuit, renunciasse, & ueluti per obliuionem amisisse, & libertatem & exemptionem eis ab Imperio per tacitum consensum permisisse. Nec tamen qui ad hunc modum libertatem & exemptionem contra Imperium præscribunt, acephali esse dicentur. Nam etsi ab Imperij Iurisdictione exempti sint, tamen obedientiam Ecclesiæ etiam in temporalibus minime abijcere possunt. Decima sexta conclusio. Etsi Romanum Imperium certis semper limitibus conclusum fuerit, nec unquam tam late processerit, quin quædam regna, nationes, & populi, ab ipsius potestate & Iurisdictione fuerint exempta: Tamen nihilominus & ipsum totius orbis Monarchia, & Romani Imperatores, tam Idolatræ quàm Christiani, eiusdem monarchæ & domini: Illi quidem iniusti & Tyranni, hij uero legitimi fuerunt, & appellari potuerunt. Etsi enim quidam populi aliorum regum Imperio subiecti sint, nihilominus ius uniuersalitatis totius orbis apud Imperatorem remanet, ut ipse Dominus uniuersalis orbis appelletur, etiamsi certa quædam regna particulares dominos habeant. Propter quod & totū orbem à possessore uendicare potest: Quemadmodum gregem uendicare potest, cuius est grex, etiamsi quędam capita ipsius esse negentur. Decima septima conclusio. Etsi Duces, Marchiones, Comites, Barones, & quædam etiam ciuitates Imperiales, uel ex priuilegio Principum Romanorum, uel tanti temporis præscriptione, cuius initij memoria hominum non existit, in ditionibus suis etiam ea, quæ ad potestatē Romani Imperatoris pertinent, pleno iure exercere possunt, ut qui locum Imperatoris in terris suis tenent. Tamen nihilominus Iurisdictioni & obedientiæ Romani Imperij, & Principum Romanorum, subiecti sunt: Non solum ut Vasalli, qui regalia sua in feudum ab Imperio tenent, sed etiam ut subditi, qui iure subiectionis & parendi necessitate, uelint nolint, Romanorum Imperatorum obedientiæ obnoxij astringuntur.

Quemadmodum enim membra in corpore naturali à capite dependent, à quo influxum uirtutum naturalium recipiunt, tum inter se alia alijs & dignitate & operationibus antecellunt: ita & in Republica, qui præest & dominatur, uice capitis fungitur. Subditi uero instar membrorum habent, quorum alij alijs & dignitate & officijs sunt præcellentiores. Sed omnes tamen, quantalibet dignitate præfulgeant, quicquid honoris & muneris obtinent, totū hoc à capite, à quo omnes dignitates & officia in Rempublicam deriuantur, recipiunt. Ad quem sane modum Imperij quoq; honores & munera ab Imperatore, tanquam à capite, in officiales Imperij, tanquam membra, distribuuntur: siquidem fons est Imperator, à quo Magistratus tanquam riuuli descendunt. Vnde Imperio Romano, à po-

L. deprecatio ff. ad leg. Rhod. de iact: d.l. cunctos populos. C. de sum tri. & fid. Cath.

Bar. in extrauag. ad reprimendum in uerbo totius.

L. 1. in fi. & l. 2. & 3. ff. de rei uend. Vasalli Ro. Imp.

Ioan. And. in add. spec. in tit. de Iust. ed. §. porro. Alex. de Imol. in cons. 1. Quinti uolu.

Paul. de castr. in cons. 34. in secunda parte.

c. singula. 89. dist.

L. 1. ff. de cõst. princip. Bar. in l. Imperium in 3. col. ff. de Iurisd. om. Iud. Gl. in c. quid translationem, de off leg. Bald. in l. rescripta. C. de precib. Imp. off. Ias in l. quæcũq; ff. de off. eius, cui mandata est Iurisd. Bar. in l. omnes populi. ff. de iust. & iur. & in l. 1. in princip. ff. quod cuiusq; uni. no.

pulo Romano in Imperatorem translato, Imperator uniuersalè quidem Imperium obtinet. Verum, cum uniuersa Imperij negocia & causas ipse unus & solus per se expedire non possit, Magistratus constituit, & inter hos gradus quosdam fecit, ut alij alijs sint dignitate & officio præstantiores, quos in partem curarum & sollicitudinum uocans, maioribus quidem maiores, inferioribus uero inferiores causas expediendas committit: quasdam etiam in signum summæ potestatis sibi expediendas reseruauit. Porro maiores Magistratus olim erant Senatores, Consules, Patricij, Dictatores, Præfecti prætorio, Præfecti urbis, Præsides, Proconsules, Prætores, Quæstores: Quorum alij Superilluſtres, alij Illustres, alij Spectabiles, alij Clarissimi appellabantur. Et his causæ maiores, quales sunt meri & mixti imperij, demandabantur. Infimi autem Magistratus erant municipales, quibus causæ ciuiles committebantur. At maioribus quidem Magistratibus hodie succedunt Reges, Cardinales, Patriarchæ, qui æquiparantur Præfectis prætorio, & uocantur Illustres. Similiter Duces, Marchiones, Comites, & Episcopi: qui Spectabilium locum obtinent, qui & ijdem Illustres appellari possunt, aut similes Illustribus. Sic Abbates, & reliqui, qui merum & mixtum imperium ab Imperio habent, loco Clarissimorum sunt.

Nihilominus tamen Imperatori, tanquam præcellenti, non solum ut Vasalli, sed etiam ut missi & subditi, iure subiectionis & ea fidelitate obnoxij sunt: à qua, nisi uolente & consentiente Imperatore, nulla ratione absolui possunt. Hij igitur omnes, quantalibet in Imperio potestate & Iurisdictione prædi ti sint, tamen Romano Imperatori, tanquam membra capiti, subiecti sunt. Propter quod & 1. Pet. 2. Præsides, & à Rege tanquam præcellenti missi ab Apostolo dicuntur: Qui Regalia dignitatesq; & officia sua ab Imperio in feudum tenent. Hæc habui, quæ de potestate & Iurisdictione Romani Imperij, quantum quidem ad institutum nostrum pertinet, dicere uolui: quæ ideo in breues has conclusiones contraxi, ut quæ ab alijs prolixè & confusè referuntur (quæ res plærunq; magnam obscuritatem parere solet) ea commoda à me breuitate, & certo expeditoq; ordine, explicarentur.

De obedientia

De obedientia subditorum Ro. Imperij, & in quibus rebus consistat, Caput VII.

His ad hunc modum de Ditione Ro. Imperij & subditis eius breuiter explicatis, supereſt, ut de obedientia ſubditorum Romani Imperij, et in quibus rebus conſiſtat, dicamus. Ad obedientiam igitur Romani Imperij aſtringuntur omnes Reges, nationes, & populi: Duces, Marchiones, Comites, Barones, & quicunq; eidem feudi ſubiectionis, uel quocunq; alio iure obligati ſunt. Rurſus uero ab eadem obedientia eximuntur, quicunq; libertatem, uel ex priuilegio Principis acceperunt, uel diuturnitate temporis præſcripſerunt. Porro obedientia Romanis Imperatoribus à ſubditis tum demum recte præſtatur, cum & eorum legibus & mandatis obtemperant: Et debitum eis honorem uenerationemq; exhibent, & iudicialibus eorum ſententijs & præceptis parent. Etenim in his tribus obedientia Romani Imperij conſiſtit. Primum igitur leges Romanæ ab omnibus Ro. Imperij ſubditis obſeruari debent, ut Imperatores, Valentinianus & Martianus, conſtituerunt. Leges (inquiunt) ſacratiſsimæ, quæ conſtringunt hominum uitas, intelligi ab omnibus debent, ut uniuerſi præſcripto earum manifeſtius cognito, uel inhibita declinent: uel permiſſa ſectentur.

Ad obediendum aſtricti Ro. Imp.

Exempti.

Obedientia in tribus conſiſtit.

L. leges ſacratiſsimæ. C. de legibus.

Legem Iureconſulti diffiniunt regulam eſſe, iuſtorum & iniuſtorum: & eorum, quæ natura ciuilia ſunt. Eſt enim præceptrix faciendorum, prohibitrix autem non faciendorum. Etſi autem Imperator ipſe uiua lex in terris ſit, unde & penes ipſum unum, legum condendarum poteſtas eſt: Tamen certius eſt legis, quàm Principis oraculum. Nam Principes quantumlibet ſancti, tamen homines ſunt, perturbationibus obnoxij: quibus affecti, non raro iniuſta etiam decernunt. Lex autem mens eſt ſine appetitu: Vnde qui legem præeſſe iubet, uidetur Deum iubere præeſſe & leges. Qui autem iubet hominem ſolum præeſſe, quantumlibet prudentem, adiungit & beſtiam. Libido quippe talis eſt, atq; ita obliquos agit, etiam uiros optimos, qui ſunt in poteſtate. Qua ſane ratione Theodoſius & Valentinianus, etſi Romani Principes, & legum conditores, uocem maieſtate regnantis dignam eſſe dicunt, legibus alligatum ſe Principem profiteri: & maius imperio eſſe fatentur ſubmittere legibus principatum. Eiuſdem fere uirtutis eſt mandatum Principis. Nam & ipſum legi æquiparatur, nec alio ab lege & conſtitutione differt, quàm ſpecies à genere. Mandatum ſiquidem ſub lege continetur, quod lege uniuerſaliter ſancitur, id particulariter mandato præcipitur: Immò, ſi uniuerſale ſit, ipſum quoq; pro lege habetur.

Quid lex.

L. 2. ff. de legibus & Senatus conſult.

Ariſt. lib. 3. Poly. c. 7. & c. 11.

Lex certior eſt, quia ſine affectibus præeſt.

L. digna uox C. de legibus.

Mandatũ & lex quomodo differunt.

Gl. in Rub. C. de mand. princip.

L. leges ut generales & l. fi. C. de legib. l. 1. ff. de const. princip.

Siquidem legem ex eo metimur, quòd à Principe uniuersaliter constituitur: siue ad proceres missa oratione condatur: siue per modum mandati & edicti promulgetur: siue spontaneo motu Principis ædatur: siue relatio uel lis mota, eius occasionem postulauerit.

In Aut. de mand. princip. in princip.

Est autem mandatū Princip's, ut Accursius diffinit, constitutio quædam, continēs præcepta de laudabiliter prouincia gubernanda. Legibus igitur & mandatis Principum parent, qui quod his ipsis sancitur atq; præcipitur, fideliter exequuntur.

Quid iudicia sunt.

Deinde iudicia Romani Imperij in hoc constituta sunt, ut quæ à legibus iustè præcipiuntur, ea per Iudices iustos exequutioni demandentur. Parum est enim ius, in Republica esse, nisi sint, qui iura reddere possint.

L. 2. §. post originem. ff. de orig. iuris.

Diuersa Iudicia.

Iudiciorum quædam ab Imperatore, quædam à Magistratibus ab eo creatis exercētur. Illa Imperialia appellantur: Hęc uero uel à Magistratibus ipsis, uel à prouincijs, territorijs & ciuitatibus, quibus præsunt, nomina sortiuntur.

Imperialiū Iudiciorū multiplex differentia.

Rursus Imperialium iudiciorum quædam pro Tribunali Cęsaris, & ex ipsius persona & nomine reddūtur. Quædam ab ipso Principe alijs tanquam delegatis, uel ad certas causas, uel ad uniuersitatem causarum, exercenda demandantur. Et eorum, quæ ex persona & nomine Cæsaris exercentur, quædam in omnes uniuersi Imperij subditos, & in uniuersis causis, tam ciuilibus quàm criminalibus, redduntur. Cuiusmodi sunt, quæ in curia Cæsaris æduntur. Quædam in uniuersos quidem Imperij subditos dantur, sed ad certa tamen causarum genera restringuntur.

Iudicium Cameræ Imperialis.

Quale est Iudicium Imperialis Cameræ. Quod in omnes quidem Romani Imperij subditos competit, sed à cuius Iurisdictione primum causæ criminales exemptæ sunt: exceptis his, quæ sunt fractæ pacis. Deinde in ciuilibus causis. In prima quidem instantia personæ, & causæ Principum Imperij. In secunda uero Principes Electores, quibus ex constitutione Caroli Imperatoris, huius nominis Quarti (quam auream Bullam uocant) concessum est, ne à sententijs, quas uel ipsi, uel eorum iudices tulerint, ad Tribunal Cæsareum appellari possit. Quo iure Dux Saxoniæ, & Marchio Brandenburgensis utuntur.

Exemptiones Principum Electorum.

Honor & reuerentia erga Ro. Imp.

Qui uero circa Rhenum sunt Archiepiscopi, & Imperij Archicancellarij, & Comes Palatinus, etsi eodem Iure, quo cæteri muniti, tamen appellationem his, qui se grauatos eorum sententijs conqueruntur, permittunt. Postremo reuerentia quoq; & honor, Ro. Principi exhibendus est: Quod & scriptura præcipit. Estote (inquit Petrus Apostolus) subiecti omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi, tanquam præcellenti: siue Ducibus ab eo missis. Et paulo post. Regem honorificate.

1. Pet. 2.

Mos prouinciarum seruandus.

Cæterum in deferendo honore Regibus, mores gentium populorumq; spectandos esse arbitror. Nam ut in cæteris, ita in hac re quælibet prouincia suo sensu abundat. Quibusdam in more fuit, Reges suos flexis genibus adorare:

rare: Quod de Æthiopibus tradunt. Alij statuam Regis sui adorarunt. Alij Regem quidem suum adorauerunt, sed non nisi purpura indutum: Quod à Romanis obseruatum esse legimus. Illud quoq; de Æthiopibus satis miratu dignum narratur. Quod illorum Regibus amici, præter adorationis honorem, illum quoq; cultum exhibuerunt. Vt si quando aliqua corporis parte Rex ex quauis causa debilitaretur: domestici homines sponte sua eandem partem debilitarent. Turpe enim existimabant, Rege claudo, non etiam omnes amicos claudos esse. Et quidem absurdum uidebatur, cum ueræ sit amicitiæ, ex rebus aduersis amicorum dolere, lætari secundis, non & corporis quoq; doloris participes esse. Quin illud quoq; consuetudinis esse ferunt, amicos ultro in Regis morte uita defungi: existimantes eum interitum glorioſum, ueræq; amicitiæ testem. Simile aliquid de Erulorum moribus (qui populus fuit olim super Histrum flumen habitans) tradit Procopius. Nam Erulo uiro uel ob senium, uel aduersam ualetudinem ex humanis exempto, pro eorū more necesse erat, ut uel uxor ipsa, quę uirtutis existimationem aliquam fuisset ad id tempus adepta, uel sibi gloriam in posterum relinquere uellet, laqueo apud uiri sepulchrum non longe post uitam finiret. Ei uero, quæ non ita se gessisset, relinquebatur de cætero ignominiæ nota, odijq; in uiri propinquos conuincebatur.

Diod. Sic. lib. 4. de fab. antiq. gest. Philostr. lib. 1. de uita Apoll. L. 11. C. de Fabricensib.

Mos Erulorum in morte Regis sui. Procop. lib. 2. de bello Goth.

Sed redeamus iam ad Principes. Præcipuus honor, qui olim Romanis Principibus exhibebatur, erat adoratio, ut paulo ante dixi. Ea nihil aliud fuit, quàm salutatio Principis, quam & salutationem sæpe Romani etiam leges appellant. Quanquam non desint, qui scribant à Diocletiano adorandi Principis morem introductum fuisse, cum ante eum cuncti salutarentur. Ego siue adoratio illa, siue salutatio appelletur, omnino religiosum quendam cultum fuisse censeo, quem Veteres Principibus, uelut terrestribus quibusdam numinibus, ac omnem potestatem à Deo habentibus, tribuerunt. Nec uero alijs adorandi Romanis Principibus purpuram facultas erat, quàm quibus hoc ex beneficio Principis concedebatur. Quales fuerunt Cornicularij Præfectorū prætorio, Veterani milites, Apparitores Præfecti urbis, domestici protectores Principis, Prunicerius Fabricensium, militantes in sacris scrinijs, honorati uehiculis, & legum Doctores. Quibus omnibus non solum Secretarium Principis ingrediendi, salutandiq; Principem ius erat: sed quietem simul, omniumq; personalium munerum uacationem eodem ipso beneficio consequebantur. Tandem eò res processit, ut salutatio Principibus non tam honori, quàm maximo oneri, ob ni-miam salutantium assiduitatem, fuerit. Propter quod Adrianum ferunt, neminem salutantium, nisi ob rem necessariam, recepisse: Autor Dion Cassius in Adriano. Iam & ritus salutandi uarius fuit.

Qualis fuit adoratio Principum Ro. Glo. in l. pe. C. de consulib. Eutropius lib. nono rerum Romanarum.

Adorare Purpuram Imp. Gl. in l. 1. C. de uetera. Milit.

Salutatio Imp.

Ritus salutandi uarius, in duobus Maximinis

Maximino iuniori Romano Principi uitio uertebatur, quòd in salutationibus manum porrigeret, & genua oſculari ſibi pateretur, nonnunquam etiam pedes. Contra uero ſeniori Maximino laudi dabatur, quod huiuſmodi pedum oſcula recuſaret. Nam ad pedes eius aduolui uolentibus, dixiſſe fertur. Dñ prohibeant, ut quiſquam ingenuorum pedibus meis oſculum figat: Autor Iulius Capitolinus in duobus Maximinis.

Honor iuxta consuetudinẽ temporis Principi deferẽdus.

Quod igitur tantopere à Veteribus obſeruatum eſt, ut in deferendo honore Principi, mores & conſuetudinem cuiuſcꝫ temporis ſpectandam eſſe cenſerent: Idem hodie quoqꝫ cuſtodiri debet, ut eum honorem Romanorum Imperatori exhibeamus, quem uel lex præcipit, uel Imperij conſuetudo approbat. Veluti, ut adituri Principem, in genua procumbamus, aut etiam pedibus eius aduoluamur: quod quidem ad omnes pertinet. Similiter, ut Electores, alijſcꝫ Principes, in deferendo Romanorum Imperatori honore, eum morem cuſtodiant, qui à ueteribus inductus, & ad hæcuſcꝫ tempora cuſtoditus eſt.

Mos hodiernus Principum erga Imperatorem.

Veluti, quòd Cæſari curiam celebranti, omnes Principes in Comitatu aſsiſtunt, & uel ſacrorum cauſa ad templum, uel propter publicas Imperij conſultationes, ad Procerum cœtum proficiſcentem, quiſcꝫ ſuo ordine comitantur.

Inſignia Electorũ.

Quod itẽ Electores Principes uel præeuntes, uel ſequentes, quiſcꝫ proprium officij ſui Inſigne, ut Comes Palatinus orbis figuram, quam pomum uocãt, Gladium Dux Saxoniæ, Marchio Brandenburgenſis Sceptrum Imperiale: & in quibuſdam Conuentibus & actibus, tres Archiepiſcopi, Imperij Archicancellarij, quiſcꝫ in ſua prouincia, Imperij Sigillum collo appenſum geſtãt.

Aurea Bulla Caroli IIII.

Sic & certi quidam ritus ſunt, quibus Electores Principes Cæſari ad menſam miniſtrant: Quæ omnia, quibus modis quoqꝫ ordine peragenda ſint, in conſtitutione Caroli IIII (quam auream Bullam uocant) ordine deſcribuntur.

Fidelitas Iureiurando præſtanda Impera.

Illud quoqꝫ ad reuerentiam & honorem Romani Imperatoris pertinet, ut fidelitas ei à ſubditis Imperij præſtetur. Ea duplex eſt: Vna, qua Romano Imperatori ſubditi ſunt. Altera, quatenus Vaſalli obligantur. Quæ & capita quædam communia habent, quę ab utriſcꝫ iurantur, quanquam diuerſa iuramentorum forma expreſſa. Subditi ei, ſub cuius Iuriſdictione ſunt nominatim, uitam, membrum, mentem, & eius rectum honorẽ, cuſtodire iurant.

c. unico. Quaſiter iurare deb. Vaſalli.

Vaſallorũ Iuramentũ.

De noua for. fid. c. unico in uſib. feud.

Vaſalli uero ſub hac fere uel ſimili forma dominis ſuis fidelitatem iurant. Ego Titius iuro, quòd ab hac hora in antea, uſcꝫ ad ultimum diem uitæ meæ, ero tibi. N. domino meo fidelis, contra omnem hominem, excepto Imperatore uel Rege: Id eſt, nunquam ſcienter ero in conſilio uel auxilio uel in facto, quod tu amittas uitam, uel membrum aliquod: uel quod tu recipias in perſona aliquam læſionem, uel iniuriam, uel contumeliam: uel quòd tu amittas aliquem honorem, quem nũc habes, uel in antea habebis. Et ſi ſciuero uel audiuero

de

de aliquo, quod uelit aliquod istorum cõtra te facere, pro posse meo, ut non fiat, impedimẽtum præstabo: Et si impedimentum præstare nequiuero, quàm cito potero tibi nunciabo, & contra eum, prout potero, auxilium meum tibi præstabo. Et si cõtigerit te rem aliquam, quam habes uel habebis, iniuste uel fortuito casu amittere: eam recuperare iuuabo, et recuperatam omni tempore retinere, et si sciuero te uelle iustè aliquem offendere. Et inde ego generaliter uel specialiter fuero requisitus, meum tibi, sicut potero, præstabo auxilium. Et si aliquid mihi de secreto manifestaueris, illud sine tua licẽtia nemini pandam, uel per quod pandatur, faciam. Et si consilium à me super aliquo facto postulaueris, illud tibi dabo consilium, quod mihi uidebitur magis expedire tibi. Et nunquam ex persona mea aliquid faciam scienter, quod pertineat ad tuam uel tuorum iniuriam uel contumeliam. Sane hæc iuramenti forma multa habet capita, quæ his uerbis continentur. Incolume, tutum, honestum, utile, possibile. Siquidem incolume ualet, ne Vasallus iurans sit in damno Domino de corpore suo. Et hoc est quod iurant, se nunquam consilio, uel auxilio, uel facto interfuturum, quo dominus amittat uitam, uel membrum aliquod: uel quod in persona læsionem aliquam, iniuriam, uel contumeliam recipiat. Tutum, significat, ne Vasallus iurans domini secreta reuelet: aut munitiones suas, quo minus tutus esse possit, prodat. Et illud est, quod Vasallus iurat, secretum, quod ei manifestauerit dominus, sine licentia domini se nemini reuelaturum. Honestum, ualet, ne Vasallus tale aliquid faciat, quo honorem aliane amittat, quæ ad honestatem eius pertinere uidentur. Et hoc est, quod in præfata forma Vasallus iurat, se nihil tale facturum, quo dominus honorem aliquem amittat. Vtile, designat idem, quod in prædicta forma exprimitur, ut Vasallus iuret, si dominus rem aliquam iniuste, uel fortuito casu amiserit, se ut eandem recuperet, auxilio futurum. Facile idem significat, quod in prædicta forma Vasallus iurat, se impedimenta quoq;, quæ domino, quo minus hæc omnia consequatur, obstare possunt, remoturum: aut ut remoueantur hæc ipsa, domino renunciaturum. Sane in his capitibus ea quoq; continentur, quæ subditi dominis suis, sub quorum Iurisdictione sunt, iurant. Nam quid aliud est uita, membrum, mens, & rectus honor, quàm quod in iuramento Vasalli, incolume, tutum & honestum? Tantum enim hæc ualent, ac si subditus iuret, non se consilio, auxilio, uel facto interfuturum, quo dominus amittat, uel uitam, uel membrum, uel honorem: nec arcanum aliquod in perniciem domini reuelaturum. Cæterum, inter subditum & Vasallum Imperij ea differentia est, Quod Vasallus regulariter dominio feudum suum domino renunciare: subditus uero ab obedientia domini eo inuito, se minime eximere potest. Iam igitur quicunq;

Declaratio particularũ huius iuramenti. *De forma fidelitatis. c. unico in usib. feud.*

Incolume.

Tutum.

Honestum

Vtile.

Facile.

Iuramentũ subditorũ.

Iacobinus de S. Georgio in tract. de homagijs. Col. 7. uers. 8. homo & subditus.

Romano

Romano Imperio ſubiecti ſunt, ſiue Vaſalli ſiue ſubditi, ea fidelitate aſtringuntur Romanorũ Imperatori, ut ipſius tum incolumitatem & ſecuritatem, tum honorem etiam conſeruare, & arcana cuſtodire. Et in his, quæ ad utilitatem Imperij pertinent, conſilio & auxilio iuuare: Quæ uero Imperio noxia eſſe cognouerint, impedire teneantur.

Obedientiam Romanis Imperatoribus, aliiſq; poteſtatibus, tam iuſtis quám iniuſtis, exhibendam eſſe, Caput VIII.

IAm uero quæ de obedientia Romanis Imperatoribus præſtanda dicta ſunt, non ſolum in bonis, ſed etiam in malis Principibus & Poteſtatibus locum habent. Etenim de utriſq; dictum eſt. Omnis poteſtas à Deo eſt: & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Nam & mali Principes à Deo permittuntur, ut per eos peccata populorum puniantur, ut ſupra demonſtratum eſt: Sed nec minus illis, quàm bonis & iuſtis, ex præcepto diuino obediendum eſt. Sic in ueteri Teſtamento, tametſi mala & Tyrrannica fuit poteſtas Nabuchodonoſoris, Cyri, & aliorum Idolatrarum: Tamen nihilominus Deus non ſolum monarchas eos eſſe permiſit, atq; etiam præcepit, ut debita eis à ſubditis obedientia præſtaretur. Nam & Chriſtos eos & ſeruos ſuos appellat, In hoc uidelicet ordinatos, ut iniquitas populorum per eos compeſcatur. Simul atq; præcipit, ut omnes gentes eis ſeruiant, quod utiq; obedientiam eis præſtandam eſſe ſignificat. Seruire ſiquidem, iuxta loquendi morem ſcripturæ, obedire eſt. In quo ſenſu accipiendum eſt illud, quod Dominus ad Rebeccam dicit. Duæ gentes ſunt in utero tuo, & duo populi ex uentre tuo diuidentur. Populusq; populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori. Item illud Iſaac ad Iacob filium: Seruiant tibi populi, & adorent te tribus. Similiter in nouo Teſtamento, Chriſtus & Apoſtoli & uerbo & exemplo docuerunt, Regibus tam iuſtis, quàm iniuſtis: tam Idolatris quàm Catholicis, eſſe obediendum. De utriſq; enim, tam Idolatris, qui tum fuerunt: quàm Chriſtianis, qui poſt futuri erant, accipiendum eſt illud, quod Dominus dicit. Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris: & Deo, quæ ſunt Dei. Et illud Apoſtoli Petri. Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſiue Regi, tanquam præcellenti: ſiue Ducibus, tanquam ab eo miſsis, ad uindictam malefactorum, laudem uero bonorũ. Et poſt pauca: Regem honorificate. Similiter illud Apoſtoli Pauli. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas, niſi à Deo. Et poſt aliqua. Vis non timere

Rom. 13.

Obedientia ſub Idolatris Regibus in uet. teſt.

Dan. 3.

Eſa. 45.

Hiere. 28.

Seruire eſt obedire.

Gen. 25.

Gen. 27.

Obediẽtia in no. teſt.

Matth. 22.

1. Pet. 2.

Rom. 13.

mere potestatem? bonum fac: & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est, tibi in bonum. Si enim malefeceris, time: non enim sine causa portat gladium. Dei enim minister est, uindex in iram, ei qui male agit. Ideoq; necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui uectigal, uectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Et hæc quidem uerbo Christus & Apostoli docuerunt. Illa uero ad exempla pertinent, quibus & ipsis obedientiam & honorem Romanis Principibus non solum Christianis, sed etiam Idolatris, præstandum esse docemur. Ac primum quidem Christus, didrachmam Cæsari pro se & discipulis solui iussit: non quòd ipse aut discipuli subditi essent Cæsari, sed ut hoc exemplo ostenderet, tributum eò magis soluendum esse Cæsari à subditis, cum idem ipse & discipuli soluerent, necessitati tributi soluendi minime obnoxij: Quod uerba Domini plane demonstrant. Sic enim ad Petrum loquitur. Quid tibi uidetur Simon? Reges terræ à quibus tributum accipiunt uel censum? à filijs suis, an ab alienis? Cunq; Petrus respondisset, Ab alienis. Dixit illi Dominus. Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, uade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me & te. Sic Apostolus Paulus, ut obedientiam suam erga Cæsarem testaretur, accusatus à Iudæis coram Festo Præside, ac rationem reddens eorum, quæ in eum afferebantur. Neq; in templum (inquit) neq; in Cæsarem quicquam peccaui. Cunq; Festus in gratiam Iudæorum Paulo dixisset, Vis Hierosolymam ascendere, & ibi de his iudicari apud me? Respondit Paulus. Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet iudicari: Iudæis non nocui, sicut tu melius nosti. Si enim nocui, aut dignum aliquod morte feci: non recuso mori. Si uero nihil est eorum, quæ illi accusant me: nemo potest me illis donare. Cæsarem appello. Quam Apostoli appellationem angelus quoq; Domini eidem nocte assistens, approbauit. Ne timeas (inquit) Paule, Cæsari oportet te assistere. Cæterum, quòd de obedientia Imperatoribus Romanorum etiam malis præstanda, dictum est: Idem etiam in cæteris potestatibus inferioribus locum sibi uendicat, ut & ipsis, etiamsi iniquis, obediendum sit. Ac prima quidem & quotidiana potestas, à qua cæterarum quoq; gradus cognoscere licet, est domini in seruum: at serui dominis suis obedire tenentur. Iuxta quod Paulus præcipit. Obedite, inquit, dominis uestris secundum carnem, cum timore & tremore, & in simplicitate cordis: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed quasi serui Christi facientes bonam uoluntatem Dei, ex animo cum bona

Exemplū Christi. *c. magnum 11. q. 1.*

Matth. 17.

Exemplū Pauli. *Act. 25.*

Act. 27.

August. in Psal. 124.

Coloss. 3.

bona uoluntate. Hic ſerui dominis ſuis obedire iubentur, non bonis tantum, ſed etiam malis. Neq; enim qui dominos nominat, malos
1. Pet. 2. excludit, quos expreſſe etiam nominat Petrus Apoſtolus. Serui (inquit) ſubditi eſtote in omni timore dominis: non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis. Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei
Exemplũ Chriſti, ut ſerui. conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſte. Idem quoq; Chriſti exemplo confirmatur, qui omnium Dominus multa in paſſione mala à ſeruis iniquis ſuſtinuit. Niſi enim iniqui fuiſſent, Dominum ſuum honoraſſent, non contumelijs affeciſſent. Si igitur Dominus cœli & terræ, per quem facta ſunt omnia, ſeruiuit indignis, immo pro ſæuientibus & furentibus etiam rogauit. Ait enim: Pa-
Luc. 23. ter ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt: Quanto magis non debet dedignari homo ex toto animo, & ex tota uoluntate bona, cum tota dilectione ſeruire domino etiam malo? Quod autem de domino & ſeruo dictũ eſt, hoc de omnibus etiam Poteſtatibus & Regibus, & de omnibus culminibus ſæculi intelligendum eſt. Aliquando enim Poteſtates bonæ ſunt, & timent Deum: Aliquando non timent Deum. Et utriſq; obediendum eſt: Sed in his tamen quæ ſunt licita, nec diuino uerbo contraria. In his enim, quæ Dei man-
Act. 5. datis repugnant, oportet Deo magis obedire, quàm hominibus.
Milites Iuliani Imp. Apoſtatæ. Iulianus nonne infidelis Imperator fuit? nonne Apoſtata fuit iniquus & Idolatra? Milites Chriſtiani ſeruierunt Imperatori infideli: ubi ueniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant, niſi illum qui in cœlo erat. Quando uolebat, ut Idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum. Quando autem dicebat, Producite aciem, Ite contra illam gentem: ſtatim obtemperabant. Diſtinguebant Dominum æternum à domino temporali: & tamen ſubditi erant propter Dominum æternum, etiam domino temporali.
Iniquorũ poteſtas non eſt perpetua. Neq; uero blandiantur ſibi Poteſtates, Reges, & domini iniqui, quòd in bonos eis poteſtas à Deo permittitur: non enim ſic erit ſemper. Quo-
Pſal. 124. niam non derelinquet Dominus uirgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, ut non extendant iuſti ad iniquitatẽ manus ſuas, ut inquit Pſalmus. Sentitur ad tempus uirga peccatorum ſuper ſortem iuſtorum: ſed non ibi relinquitur, non erit in æternum. Veniet tempus,
Matth. 25. quando unus agnoſcatur Deus: ueniet tempus, quando unus Chriſtus in claritate ſua apparens, congregabit ante ſe omnes gentes, & diuidet eos, ſicut diuidit paſtor hædos ab ouibus: oues ponet ad dexteram, hædos ad ſiniſtram: & uidebis ibi multos ſeruos inter oues, & multos dominos inter hædos. Et rurſus,

multos dominos inter oues, & multos ſeruos inter hædos.

De bño

De his, qui Romano Imperio rebelles sunt, Caput IX.



Is itaq; de Ditione Romani Imperij, & obedientia subditorum & Vasallorum eius, breuiter examinatis atq; discussis: Consequens est, ut ad alteram iam rebellionis speciem ueniamus, quam eorum esse diximus, qui Romano Imperio debitam obedientiam subtrahũt: cuius & ipsius multa genera consyderanda sunt. Primum eorum, qui Principis authoritatem diminuunt, dum uel Monarcham ipsi orbis esse negant, uel de authoritate eius aliquid derogant, uel ipsi sibi Imperialem potestatem arrogant. In quo genere rebelles sunt, quidam nostri temporis seditiosi. Qui famosis aduersus Imperatorem ẹditis libellis, plenam illum in Imperio potestatem habere negant: Tum quę illi propria est, eam sibi in Ditionibus suis uendicant, & quam in Imperatore certis limitibus, ita contractam esse dicunt, ut nihil illi permissum sit soli, uel tractare, uel constituere, uel decernere, quòd non Procerum Imperij consensu prius confirmatum fuerit, atq; roboratum: eam se liberam, & nullis terminis coartatam habere contendant. Ac merito quidem rebelles & infideles Imperio uocabimus istos, ut qui quod Imperatoris proprium est, id Maiestati eius illi adimunt, & sibi attribuunt: & qui subditi sunt, domini sui non solum potestatem, sed etiam nomen usurpant. Talem quidem in Imperio Imperatorem fingentes, qualem olim Galli Regem sibi constituebant. Solebant enim Franci antiqua Regum stirpe Reges habere, sed qui nihil clarum in se præter inane Regis uocabulum habebant. Nam & opes & potentia Regni penes palatij Præfectos, qui maiores domus appellabantur, & ad quos summa Imperij pertinebat, tenebantur: nec aliud quicquam Regi permittebatur, quàm ut Regio tantũ nomine contentus, crine profuso, barba submissa, in solio resideret, ac speciem dominãdi effingeret. Legatos undecunq; uenientes audiret, eisq; abeuntibus responsa, quæ doctus erat aut iussus, ex sua uelut potestate redderet: cum præter inutile Regis nomen, & precarium uitæ stipendium, quod ei Præfectus Aulæ pro ut uidebatur, exhibebat, nihil aliud possideret.

Rebelles Ro. Imperio.

Famosi libelli cõtra potestatem Imp.

Regum Franciæ olim imminuta potestas.

Ac talem quidem nostri etiam seditiosi Imperatorem & esse & habere cupiunt, nempe truncum, & mutam potius Principis Imaginem, quàm Principem, authoritate aliqua fungentem. Non me fugit, multa esse, de quibus Imperator in Imperio sine consensu Procerum nihil tractare, statuere, aut decernere potest: maxime quæ eiusmodi sunt, ut formam aliquam generalem constitutionis exposcant. Siquidem ita longa consuetudine ac pactis introductum est, ut ea ipsa primum ab uniuersis Imperij Ordinibus tractentur, & quod

Seditiosi derogant potestati Imp. Ro.

maiori parti Procerum placuerit, id deinde Imperiali authoritate confirmetur. Quod & ueteribus, Imperio necdum in Germanos translato, in usu fuit, ut Theodosij & Valentiniani constitutione comprobatur: ac ueteres quidem, quæ ad hunc modum constituebantur, pragmaticas sanctiones: nostri ordinationes Imperij appellant. At rursus negari non potest, multa præterea esse, quorum omnis tractatus & dispositio non ad ordines Imperij, sed ad solum Imperatorem pertinet. Cuiusmodi sunt, quæ plenitudini potestatis eius reseruata esse dicuntur. Nam commeatum, remeatumq; Exulibus dat solus Imperator. Rem iudicatam solus rescindit sine appellatione: causas iudicibus delegat, appellatione remota: ordinem iudiciorum peruertit. Ius aliorum tollit: de propria causa cognoscit: defectus contractuum supplet atq; resarcit. Tabelliones & Comites Palatinos creat: spurios natalibus restituit: minoribus ueniam ætatis concedit. Emancipationem infantis permittit: iuri communi derogat, aliaq; multa solus agit Imperator de plenitudine potestatis suæ. Cuius qui participes esse uolunt, non uideo, quomodo non authoritatem eius diminuant, & subditi domino suo rebellent? Iam & Imperialem potestatem quomodo sumere sibi possunt, Imperij subditi & Vasalli? Qui tametsi Regalia ab Imperio teneant, & quędam etiam quæ supremę potestatis sunt, exerceant: tamen ea non proprio, sed uicario quodam iure obtinent, quibus & submoueri, si ijs non legitime utantur, Imperatoris Decreto & Authoritate possunt.

Similí modo Imperio rebelles sunt, qui publicas Imperij leges & constitutiones, uel temere transgrediuntur, uel propria authoritate nouare aut abrogare conantur. Est enim hoc uelut proprium omni rebellioni, ut per eam uel exolescant leges, ut sine legibus uiuatur. Quod exactis Regibus Romæ accidit, ex quo ipse uiginti propè annis pop. Romanus incerto magis iure et consuetudine aliqua uti, quàm lata lege cœpit, ut Pomponius Iureconsultus scribit: uel nouę ferantur. Quemadmodum lex Agraria à Tiberio non solum per rebellionem lata fuit, sed etiam quatuor cruentas seditiones peperit: Quarum primam ipse excitauit, alteram C. Gracchus, illius quem dixi Tiberij frater: Tertiam Apuleius Saturninus, Quartam Liuius Drusus: nec aliam sanè ob causam, quam quòd legem Agrariam à Tiberio Gracho latam defenderent. Et nostris quoq; temporibus uidemus, quàm perfidiosè rebelles quidam leges, tam Canonicas quam Ciuiles, calumnientur. Quarum alias quidem impias & iniustas, alias per adulationes Episcoporum à Principibus extortas, alias fictis titulis sub nomine Imperatorum, alicubi legum codicibus insertas esse mentiuntur, ut aliàs à nobis enarratum est. Alterum genus rebellium Ro. Imperij eorum est, qui iudicia Romani Imperij, uel in alios ordines transferre, uel in totum abolere conantur tum

Iudices

L. humanum C. de legibus.

Plenitudinis potestatis quæ sunt?

Bald. in l. rescripta. C. de precib. Imper. offer.

Regalia nō plenam continent potestatē.

Rebelles sunt, qui leges nouant aut abrogant.

L. 2. §. exactis ff. de orig. Iur.

Lex Agraria seditiosa fuit.

Calumniæ in leges & Canones.

Iudices etiam ipsos uarijs calumniarum generibus persequuntur. Cuiusmodi olim fuit C. Gracchi rebellio, qui lege lata iudicia à Senatoribus ad Equites transtulit: Et Equites, uelut Principes, super Senatores extulit. Senatores uero quasi noxios illis subdidit: sed quæ res nec ipsa diu durauit. Posterioribus enim temporibus iudicandi munus, quod Gracchus ereptum Senatui ad Equites, Sylla ab illis ad Senatum transtulerat, Cotta æqualiter inter utrunq; ordinem partitus est. Quanta uero à rebellibus nostri temporis, tũ iudiciorum, tum Iudicum, Imperij commutatio facta sit, res ipsa demonstrat, quæ ob omnium iam oculos uersatur, supremo illo Imperialis Camerę iudicio suspenso. Et ex his etiam facile cognosci potest, quæ alias à nobis de uarijs calumnijs in iudicem & assessores eiusdem iudicij conciunatis, ac de iniusta etiam iudicis & assessorum exauthoratione à nobis relata sunt. Sed quæ omnia tam miserrimæ antea seruituti obnoxia, suppressa seditiosorum audacia, ab Inuictissimo Imperatore Carolo, huius nominis Quinto, uelut postliminio, in pristinũ statum restituta sunt. In tertio genere rebellionis numerãtur, qui non in ea, qua Romanorum Imperatori astricti sunt fide & obedientia, permanẽt: Id est, quorum consilio, auxilio, & dolo malo fit, ut Imperator uitam uel membrum aliquod amittat: uel ut personæ ipsius damnum aliquod, iniuria, uel contumelia inferatur: uel ut ipsius honor & existimatio lædatur: uel qui hæc ipsa eidem non renunciauerit, aut quo minus perpetrarentur, impediuerit. Similiter, qui arcana sibi à Principe concredita, non diligenter custodiuerit. Deniq;, qui quæ utilia esse puta uerit, ut quæ ad fidem, honorẽ, & debita Principis obsequia pertinẽt, ea prætermiserit: ea uero, quæ non utilia, id est, quæ uitæ incolumitati, securitati, honori, potentiæue Principis aduersantur, ea admiserit. Atq; hæc sane, quæ de tribus illis generibus rebellium & infidelium diximus, Henricus Imperator, huius nominis Septimus, Constitutione illa, quam de rebellibus sanciuit, breuibus his uerbis expressit. Tenore (inquit) præsentium decernimus & pronunciamus, quòd illi omnes & singuli sunt rebelles & infideles nostri Imperij, qui quomodocũq; publice uel occulte cõtra nostrum honorem & fidelitatem rebellionis opera faciunt, & nostri Imperij prosperitatẽ aliquid machinantur, contra nos seu Officiales nostros in his, quæ ad cõmissum eis officium pertinent, rebellando. Nam quod in hac Cõstitutione declaratur, eos rebelles & infideles Imperij esse, qui contra honorem & fidelitatem Principis opera rebellionis faciunt: idem est, quod nos enumeratis trium generũ rebellibus, eos rebelles Imperio esse diffiniuimus, qui authoritatẽ Principis diminuunt, Romani Imperij leges, iudicia, & Iudices contemnunt, abijciunt, atq; perfide persequuntur: nec in ea, qua Romanorũ Imperatori astricti sunt, fide permanent, sed ipsius tum uitæ & incolu-

Appianus de bell. ciuilib. Ro. li. 1. Velleius Paterculus l. 2. Ro. historiæ.

Attentationes rebellium contra Iudicium Cameræ Imp.

Tertium genus rebellium.

Cõstitutio Henrici VII. de rebellibus.

mitati, tum honori & existimationi insidiantur &c. ac Imperij Imperatorisq; prosperitati, consilio, auxilio, & facto aduersantur: siquidem hęc qui perpetrāt, recte rebellionis opera contra honorē & fidelitatem Principis facere, & contra prosperitatem Imperij machinari intelliguntur. Porro non solum priuati, sed etiam Duces, Comites, prouinciæ, ciuitates, & communitates, & quicunq; alij Imperij subditi & Vasalli, rebelles esse possunt: neq; enim à reatu huius criminis eximunt, genus, dignitas, potentia uel diuitiæ. Siquidem par est in hoc genere omnium conditio, ut qui rebellionis opera perpetrant, cuiuscunq; conditionis sint, rebelles esse dicātur: non tantum singulares, sed etiam multorum hominum coniunctę communitates & societates, id quod uerba quoq; constitutionis Imperialis præ se ferūt. Quod enim Omnes et Singuli dicitur, nemo excluditur: quin potius omnes Imperij subditi & Vasalli, cuiuscūq; conditionis sunt, accipiūtur. Deinde uerbum Omnes, ciuitates & cōmunitates: Singuli uero, singulas personas designat. Hac igitur ratione, Fridericus & Conradus fratres, Duces Sueuię, Lothario: Gualfagus, Dux Mediolanensis, & Henricus Dux Saxoniæ, Friderico Primo: Rudolphus, Dux Alemaniæ & Burgundiæ, & Bertholdus Dux Corinthiorum, id est, de Ieringen, & Guelpho, Dux Bauariæ, Henrico Quarto: Eberhardus, Comes de Vuirtenberg, Henrico Septimo. Mediolanum, & aliæ Longobardorum ciuitates, eidem Friderico Primo, & Friderico secundo: Guelpho, Bauariæ Dux, Henrici Superbi frater, Conrado Imperatori. Padua, Bononia, Florentia, Cremona, Parma, & aliæ quædam ciuitates Italiæ, Henrico Septimo: Vlma Germaniæ ciuitas, Lothario: Moguntia Henrico Quinto, & omnes Saxoniæ Principes, Henrico Quarto. Et nostris temporibus Ioannes Fridericus, Dux Saxoniæ, & Philippus Landgrauius Hassiæ, cum multis alijs Principibus, Comitibus, Baronibus, & Imperij ciuitatibus, Carolo Imperatori, huius nominis Quinto, rebellarunt. Sed nec ulla sanguinis necessitudo, à crimine rebellionis excusationem præstat. Nam & filius patri, frater fratri Imperatori rebellis fuisse inuenitur. Quomodo Ludouico Pio filij eius, à quibus & captus fuit. Et eidem Ludouico Bernardus Rex Italię, eius ex fratre nepos. Similiter Lintholdus filijs, & Henricus frater Ottoni Magno: Henricus patruo suo, Ottoni Secundo, & alij alijs sibi sanguine iunctis Imperatoribus rebelles fuerunt.

A crimine rebellionis non excusant opes aut dignitates.

Omnes & Singuli.

Vide Naucl. uolu. 2. generatione 36. 38. & 44.

Naucl. uolu. 2. generatio, 38.

De rebellione,

De rebellione, quæ aduerſus inferiores Poteſtates, ſacerdotio & Imperio ſubiectas, committitur, Cap. X.

SEquitur iam, ut de tertia ſpecie rebellionis dicamus, quam eorum eſſe diximus, qui inferioribus Poteſtatibus, ſacerdotio & Imperio ſubiectis, debitam obedientiam non præbent: Cuius & ipſius tria genera ſunt. Primum eorum, qui Magiſtratus, quorum Imperio ſubiecti ſunt, adminiſtratione ſubmouent, eorumue officia uſurpant, ſtatuta & ordinationes abrogant, aut per contemptum tranſgrediuntur. Alterum eorum, qui iudicia eorum legitima uel commutant, uel prorſus abolent, uel contumaces refugiunt: quiq; iudices, eorumq; ſententias aſpernantur, contemnunt atq; reijciunt, & eoſdem contumelijs ac conuitijs proſcindunt. Tertium eorum, qui in fide dominorum ſuorum non permanent, nec debitum eis honorem reddunt: ſed ea facere curant, quibus eorum uel uita uel fama lædatur, uel proſperitati officiatur, uel quæ honeſta & utilia ſunt, quæq; expediunt, remoueantur: quæ turpia & inutilia ingerantur. Sed audiamus iam de rebellibus huius tertiæ ſpeciei, pauca quædam exempla: non externa quidem illa, quorum multa ſane in hoc genere in Italicis, Gallicis, Anglicis, & quarundam aliarum nationum hiſtorijs reperiuntur. Sed noſtratia, & quædam etiam non ita procul à memoria noſtra remota: ut uel ipſa experientia docente intelligamus, non minus hos ipſos, quàm ſuperiores illos Ro. Eccleſiæ & Imperio rebelles, dominorum ſuorum obedientiam detrectare. Ac primum quidem atrociſsima fuit rebellio, quam ſacerdotes & Clerus Henrico Quarto Ro. Imperij gubernacula tenente, aduerſus Archiepiſcopum Moguntinum concitarunt, Anno ſalutis 1074. Quippe mandanti Epiſcopo, ut cõcubinas ſuas, quas contra Apoſtolica præcepta uxorum loco habebant, dimitterent, & cælibem uitam ducerent: non ſolum non paruerunt, ſed etiam in id conſpirarunt, ut ſi quid durius eo nomine in eos pronunciaret Epiſcopus, eum Epiſcopali ſede deturbarent, & occiderent. Sed nec minus atrociter ſæpe etiam Laici aduerſos dominos ſuos rebellarunt. Cuius rei innumera prope exempla referre poſſem: ſed ſatis fuerit, pauca aliqua & eadem inſigniora commemorare, ut his ipſis cognitis, facilius quæ ad idem genus pertinent, ex hiſtorijs cognoſci poſsint. Primum igitur notiſsima ſunt, quæ in Annalibus noſtris de rebellionibus ciuitatum quarundam Imperij leguntur. Cuiuſmodi eſt, quam Nurenbergæ plebs aduerſus Senatum concitauit, Anno 1359. In qua collegia artificum, uulgo dicta Zunft, extincta fuerint. Et alia,

Tria rurſus genera rebellium. 95. diſt. c. Presbyteros. 7. q. 1. Quia. 93. diſt. §. quia & c. ſeq. 2. q. 7. Sacerdotes.

Rebellio presbyterorum contra Epiſcopum Mogunt. ſub Henrico IIII. Imp.

Rebellio Laicorum.

Seditiones in ciuitatibus Imp.

I

II.

quam ciues, & præcipue piſcatores, aduerſus Senatum Conſtantienſis ciuitatis, cum Suitenſibus ſe coniungere & confœderare uolentem, mouerunt, Anno 1511. Et alia item, quæ propter nimiam pecuniarum exactionem, Spiræ aduerſus Senatum commota fuit, Anno 1512. Et alia à ciuibus Colonienſibus, ex eadem ferè cauſa aduerſus Senatum excitata, Anno 1513. Heluetiorum item aduerſus Archiduces Auſtriæ, circa Annum 1356. & poſt. Sed & multis ſæpe Principibus in eodem genere ſubditi rebellarunt, ac talis quidem fuit rebellio ruſticorum, aduerſus Vdalricum Ducem Vuirtenbergenſem, propter diminutum pondus librę concitata, Anno 1513. Quam pauperem Conradum uocarunt. Eiuſdem generis eſt, ſed aliquanto crudelior & truculentior rebellio, de qua ruſtici quidam Diœceſis Spirenſis in agro Pruchſellano, aduerſus Epiſcopum Spirenſem & Canonicos, concitanda conſpirarunt, quam ipſi **Buntſchuch** uulgariter appellarunt: cuius authores fuerunt duo ruſtici, qui per callidas perſuaſiones paulatim in eandem coniurationem plurimos alios pertraxerunt. Atcꝫ huius coniurationis arcana, Quatuordecim articulis complexi ſunt. Quos Nicolaus Baſelius in additione ad Chronographiam Io. Naucleri, hoc fere ordine refert. Primus, Vt aucti numero, iugum omne ſeruitutis abiiceret, & omnimodam ſibi libertatem more Heluetiorum armis uendicarent. Secundus, Vt quiſquis in hanc ſotulariam ligam aſſumptus fuiſſet, ſingulis diebus quinquies Dominicam orationem, cum Angelica ſalutatione, in memoriam quincꝫ uulnerum Chriſti principalium, flexis genibus oraret, pro obtinenda uictoria. Tertius, Symbolum ſibi conſtituerũt Deiparam Virginem Mariam, & Diuum Ioannem Euangeliſtam. Signum uero mutuæ inter ſe cognitionis erat, dum aliquis ex coniuratione interrogatus fuiſſet, alteri interroganti reſpondere potuiſſet, in hunc modum. **Was iſt nun für ein weſen?** Reſpondit interrogatus, ſi fuit de coniuratis. **Wir mögen vor den pfaffen nit geneſen.** Quartus, Conabantur omnem Principatum & Dominium extinguere, atcꝫ cõtra omnes turmatim cum uexillo in bellum procedere, omnesꝫ ſibi reſiſtentes miſerabili clade trucidare. Quintus, Vt primũ oppidum Bruchſal inuaderent, quod & facile futurum ſperabant: quia dimidiam uirorum in eodem oppido partem ſibi coniuratam habere gloriabantur. Quo facile (ut præſumebant) obtento, ulterius contra Marchionatum Badenſem, armati procederent. Sextus, Conſtituerunt inter ſe bona Monaſteriorum, Eccleſiarũ, & Clericorũ, in circuitu direpta, diuidere: atcꝫ miniſtros Eccleſię humiliare, ac quantum poſſent, eorundem numerum imminuere. Septimus, Vt ad ſufficientẽ numerũ congregati, amplius 24. horis in uno loco haudquaquam moras traherent, ſed ad ulteriora ſemper procederẽt, donec omnia ſuę cõiurationi ſubiicerẽt.

III. IIII. I. II. III.

Naucl. uolu. 2. generatio. 46.

14. articuli cõiurationis ruſticorũ prope Spiram.

Id eſt. Quid nunc rei eſt? id eſt, á ſacerdotibus premimur.

Octauus,

Octauus, Tantum sibi præstabant, ut dum semel conglobatim ad bellum procederent apertũ, omnes sibi adhærere ciues, & rusticos libertatis amore, etiam non compulsos inducerent. Nonus, Intendebant extinctis Monasteriis & Ecclesiis, atq; in nihilum Ecclesiastica libertate redacta, neq; decimas, neq; census dare uelle, neq; Monachis, neq; Clericis, neq; Principib. neq; nobilibus. Decimus, Cõiurarunt ad diem S. Georgij eiusdem anni conuenire, & armata manu (ut diximus) oppidum Bruchsal mane diluculo inuadere. Vndecimus, Libertatẽ sibi armis uendicare inuicẽ coniurarũt omnimodam, nec deinceps alicuius pati Dominiũ uelle, nec census dare, nec decimas, nec precarias Principibus, non uectigal, aut quippiam tale: sed ab omni tributorum genere, se liberos esse, & penitus exemptos. Duodecimus, Proposuerant uenationes, piscationes, pascua, nemora, & omnia, quæ Principum consueuerunt usibus deseruire priuatis, in cõmunitatem reuocare, ut cuiq; liceret uenari atq; piscari, quando, ubi, & quomodo uellet, sine cuiuscũq; prohibitione & impedimento. Tertius decimus, Decreuerũt manu ualida suorũ procedere: Primo contra Marchionẽ Badensem, deinde contra Episcopum Spirens. & demum contra Monachos & Clericos: & quicunq; contra dixisset, sine misericordia interficeretur, tanquam iustitiæ Dei contrarius, inobediens, & rebellis. Hæc autem in perniciem Reipub. contra Episcopos, Principes, religiosos, & Clerum omnem, excogitauerat rusticorum temeritas in Vnderngunpach, Golingn, & in oppido Bruchsal, aliisq; uillis & locis in circuitu. Quorũ tamen præsumpta temeritas, à Deo fuit denudata, receperũtq; iustam suorum male gestorũ pœnam, publicis expositi cruciatibus: quam quidem Maximilianus Romanorũ Rex suis in literis propterea emanatis, eis inflixit. Hos articulos ideo hic inserere libuit, ut intelligamus, quæ rebelles alij aduersus dominos suos per inobedientiam, singuli quidem multa, sed singula tamen, & particulatim admiserunt: ea per conspiratores illos perpetrata fuisse uniuersa, ut iam in uno hoc exemplo huius generis rebellionis, singula inobedientiç capita liquido perspicere possimus. Huic haud dissimilis fuit rebellio, quam rustici, quorundam hæreticorũ & schismaticorũ impijs persuasionibus instigati, concitarunt, Anno 1525. Nam & ipsi aduersus Principes et Dominos suos, in hoc conspirarunt, ut omne obedientiæ iugum excuterent, solius Cęsaris Imperium se agnoscere simulantes: Iura & leges abolerent, Iudices exterminarent, propria tribunalia erigerent: bona Ecclesiarum & Monasteriorũ diriperent, & sibi uendicarent, Monasteria aũt ipsa diruerent. Sed nec decimas, nec census, nec uectigalia, nec tributa aliqua soluerẽt. Quin nemora etiam, piscationes, uenationes, in priuatos Principũ & nobilium usus deputata, omnibus cõmunia facerẽt, ac dominos suos seditiosis istis conatibus resi-

Seditio rusticorum sub specie Euangelij, anno 1525

Damna in hac seditione data.

stentes, occiderent. Hoc tamen supradictis rebellibus nocentiores: quia quod alij fraudibus eorum detectis prȩuenti non potuerint, isti quod deliberarũt, opere etiam ipso compleuerunt. Nam & mandatis dominorum suorum parere detrectarunt, iura & leges abrogarunt: Iudices de Tribunalibus deiecerunt: bona Ecclesiarum & Monasteriorum deprędantes, in usus suos conuerterunt, ac Monasteria ipsa deuastarunt, & incendio consumpserunt. Decimas, census, tributa, & alia seruitia dominis suis soluere & præstare recusarunt. Venationes, syluas, & flumina omnia, omnibus cõmunia fecerunt, ac sibi resistentes misere trucidarunt.

De crimine læsæ Maiestatis, Caput XI.

L. quoniam C. ad leg. Iul. de ui publ.

QVemadmodum aliâs sæpe unum idemq; crimen, propter uarias ipsius qualitates & circunstantias, in uarias species scinditur, & ob id uaria etiam & diuersa nomina sortitur: Ita & uno nomine rebellionis multa facinora continentur, quæ & ipsa uarias habent appellationes. Cuiusmodi sunt: Crimen lęsæ Maiestatis, crimen proditæ & oppugnatæ patriæ, crimen desertionis, et ab Imperio ad hostes defectio, & si qua sunt similia. De quibus & ipsis, quantũ quidem ad institutũ nostrum attinet, dicendum est.

Rebellionis diuersa crimina.

L. 1. ff. ad leg. Iul. Maiest. Aut. Gazaros c. de hæret. L. non dubito ff. de captiuis. & post li. Cic. philipp. 3. L. pe. & l. ſt familia de Iuriſd. om. Iud.

Primum igitur sciendum est, duplicẽ esse Maiestatem: Diuinam & Humanã: ac de Diuina quidem, quam omnium maxime lædunt hæretici, in libris, quos de hęreticis & schismaticis scripsimus, dictum est. Humana olim populi tantum Romani esse dicebatur, sicut authoritas Senatus. Populus enim sciscere solebat & iubere, Senatus censere & author esse: sed & Magistratuum quorundam Maiestas erat, ut Prætoris. In sequenti autem tempore, Imperio per legem Rhenniam à populo in Principem delato, simul etiam Maiestas in Imperatorem translata est, quæ & ob id Imperatoria dicitur. Sunt autem duo crimina, quæ propter uiolatam Maiestatem contrahuntur: Alterum imminutæ, alterũ læsæ Maiestatis appellatur. Maiestatem imminuunt, qui de dignitate, amplitudine, aut potestate Principis, aliquid derogant: aut qui aliquid de Repub. cum potestatem non habeant, administrant. Læsæ autem Maiestatis crimen est illud, quod aduersus Imperium Romanum, uel aduersus securitatem eius committitur. Idem crimen ueteres Perduellionem, & qui id admisissent, Perduelles, id est, hostes Imperij uocarunt. Quos enim nos hostes appellamus, ueteres Perduelles appellabãt: per eandem adiectionem indicantes, cum quibus bellum esset. Et crimen ipsum Perduellionis est, cum quis hostili animo aduersus Rempub. uel Principem animatus fuit. Nec tamen crimen omne, quod læsæ Maiestatis

Iust. in proœmio in princip. Socci. cons. 22. primæ partis. Bald. cons. 59. primæ partis. Cic. de inuent. L. quos nos ff. de uerb. sig. Cic. l. 1. offic.

dicitur,

dicitur, idem & Perduellionis est: Illud enim se habet ut genus, hoc uero ut species. Vnde non quisquis Maiestatis reus est, qui in ea conditione est, ut etiam post mortem condemnari possit: sed is tantum, qui Perduellionis reus est. Si quis enim ex alia causa Maiestatis reus sit, morte crimine liberatur. Porro crimine læsæ Maiestatis subditi tantum tenẽtur. Qui enim à Iurisdictione Imperij exempti sunt, in ea conditione non sunt, ut lædere Maiestatem eius possint, etiamsi Imperij Vasalli sint. Nam Vasallus, non subditus, etiamsi domino rebellis esse possit, tamen si subditus non sit, crimen læsæ Maiestatis committere non potest. Primum igitur crimen læsæ Maiestatis contrahunt, quorum opera, dolo, malo consilio, initum aut factum erit, ut armati homines aduersus Rempub. Imperij Romani aut Principis conueniant, aut ad seditionem conuocentur. Deinde qui Principem Consiliarios ue Principis, Senatores, uel quoslibet alios, qui Principi militant, aut Imperio uel potestate aliqua apud Principem funguntur, factionem aliquam sceleſtam quacũq; ratione inierint, aut in mortem ipsorum quicquam machinati fuerint, aut arma aduersus eos sumpserint, exercitum Principis deseruerint, aut ad hostes perfugerint, literas eis miserint, signumue dederint. Similiter, cuius dolo malo, exercitus Imperij aut Principis Romani, in insidias deductus, hostibusue proditus fuerit, aut armis, telis, equis, pecunia, alijsue ad bellum necessarijs rebus destitutus, aut ijsipsis hostes adiuti fuerint. Item, quorum dolo malo, opera, factum fuerit, ut ex amicis hostes Imperij Romani fiant, aut subditi ab Imperio deficiant, aut nationes Imperio minus obtemperent. Item, quorum ope, consilio, dolo malo, prouincia uel ciuitas ab hostibus prodita fuerit. Eadem lege tenentur, qui iniussu Principis bellum gesserint, delectumue habuerint, aut exercitum compacauerint. Item, qui damnatum uel confessum in iudicio reum, & propter hoc in uincula coniectum, emiserit. Idem si probationibus conuictus fuerit reus: nam qui tales emittunt, crimine læsæ Maiestatis tenentur. Si tamen eo animo id fecerint, ut Imperium publicum diminuant, aut sibi uendicent. Nam id generaliter obtinet, ut qui non diminuendæ aut lædendæ Maiestatis causa, sed iuris fortasse priuati persequendi gratia, Imperatori eiusue officialibus repugnant, ab hoc crimine immunes sint. Qua ratione crimine læsæ Maiestatis minime obnoxij fuissent, filij & nepotes Ludouici Pij Imperatoris, qui nimiam libertatem, quam instigante uxore Iudith, in unum Carolum filium exclusis fratribus contulerat, etiam per uim oppugnarunt, si non eundem patrẽ suum omnem Imperialem dignitatẽ deponere coẽgissent. Sic & qui Consiliarium Principis occidit, non eo animo, ut Principem aut Rempublicam eius opera destituat, sed ut iniuriam sibi priuatim illatam ulciscatur; hac lege minime tenetur. Qui aũt accusatum tantum, non

L. fi. ff. ad leg. Iul. maiestat.

Card. Zabarella cl. 2. §. rursus de re iud. Bald. in l. 2. C. de falsa mo. Bar. in extrauag. qui sint rebelles in uerb. rebellãd.

ff. ad leg. Iul. maiest. l. 1. 2. 3. & 4.

ff. de iniurijs l. cum qui §. cũ aliquis ff. de edili. edict. l. quis sit fugitiuus in princip. §. 1. ff. ad leg. Iul. maiest. l. 3. in fi.

Andr. de Iser. in usib. feud. in tit. quæ sunt regal. in uerb. bona committentium crimẽ læsæ maiest.

L. lege Iul. ff. de ui publ. l. degis Iuliæ ff. de ui priuata.

non etiam condemnatum, confessum aut conuictum emiserit, si id armis factum sit, lege Iulia de ui publica: si uero sine armis, de ui priuata tenetur. Quod tamen eo tantum casu locum habet, si qui emissus est authoritate iudicis per eos, quibus id ex officio publico incumbit: aut quibus specialiter à iudice demandatum fuerit, iuste captus ac detentus fuerit. Ex officio & potestate publica capere possunt Irenarchæ, Stationarij milites, cohortales, defensores ciuitatum, & alij, ad quos cura tuendæ popularium quietis pertinet. Semper autem iuste captus præsumitur reus, nisi iniuste eum captum esse argumentis euidentibus probetur: quia in dubio pro his præsumendum est, quæ ab eo, qui publica potestate fungitur, aguntur. Ideoq; in dubio retinendi magis sunt ac custodiendi à iudicibus capti, quàm emittendi: nec subditorum est, de sententia iudicis, iusta ne sit an iniusta, inquirere: Quin potius quod iusserit Magistratus, id fideliter debent exequutioni mandare. Alioqui enim à priuato et sine iudicis authoritate captum eripiens, commendandus magis, quam arguendus est. Non enim in ferenda, sed in depellenda iniuria, lex uirtutis est. Qui enim non repellit à socio iniuriam si potest, tam est in uitio, quàm ille qui facit, ut M. Ciceronem sequutus, inquit Ambrosius. Immo & authoritate iudicis, sed iniuste tamen captus & detentus, impune emittitur. Postremo, lege Maiestatis tenentur, qui priuati scientes dolo malo pro potestate Magistratuue quid gesserint, qui imminuere potestatem Principis dicuntur. Item qui quid eorum quæ supra scripta sunt, facere curauerint. Reliqua quæ ad hoc crimen spectant: cuiusmodi sunt, quæ de iudicibus, de iudiciario ordine & processu: de pœnis item aduersus reos Maiestatis constituta sunt, infra libro quarto prosequemur.

ff. ad trebel. l. seruo inuito §. cum prætor de iud. l. si prætor ff. ne quid in loco publ. l. fi. C. in præsentia extra de proba.

26. dist. c. deinde. 23. q. 4. c. non inferenda et c. fortitudo. Lib. 1. de offic. L. lex 12. tabularũ ff. ad leg. Iul. Maiestatis.

Crimen læsæ

Crimen læsæ Maiestatis, an aduersus eos, qui Romanorum Imperatori subiecti sunt, committatur, Caput XII.



VEtus admodum quæstio est, An in eos, qui Principe sunt inferiores, crimen læsæ Maiestatis committatur: quam & grauissimis argumentis in utranq; partem à Iureperitis disputatam & arbitratam esse, animaduerti. Sed ego uitatis ambagibus, communem opinionem sequar, quam optimis alibi rationibus confirmat Marianus Soccinus. Ea nimirum, est crimine læsæ Maiestatis eos tantum teneri, qui hostili animo aduersus Rempublicam Imperij, uel Principem animati sunt: Non eos, qui eorundem authoritatẽ uel minuunt uel lædunt, qui Principe sunt inferiores, siue ipsius Imperium recognoscãt, siue non recognoscant. Ac primũ quidem de recognoscentibus Imperium Principis, certũ est, eos non habere Maiestatẽ, propter quam læsam huiusmodi crimen cõtrahi posset: à quo enim remouetur nomen Maiestatis, ab eodem remouetur & res ipsa et effectus. Ideoq; nec contra Principes, nec cõtra ciuitates, aut quoscunq; alios Imperio subiectos, crimen lęsæ Maiestatis committitur, nisi quis eo animo in Principem, ciuitatem, uel alium Imperij subditum, sæuiret, ut eos ipsos à Iurisdictione & Imperio Principis eximeret: quia tunc non subditus ipse, sed Princeps in subdito læsus esse intelligitur. Nam hoc modo, ut totum corpus lædere uidetur, qui partem eius minimam, & ut Baldus dicit, auriculam etiam lædit: sic Rempublicam Romanorum, & ipsius caput Romanorum Imperatorem lædit, qui non solum Ducem, Comitem, aut ciuitatem aliquam, sed quemlibet etiam minimum Imperij subditum eo animo lædit, ut eundem à potestate Principis & Imperij eximat. Ac per se consyderati Magistratus & Potestates Imperio subiecti, & non ad Principem ipsum uel Rempublicam Romanam relati, loco priuatorum habentur. Sola enim ea publica sunt, quæ Reipub. Romanæ, & qui illi præest, Romanorum Imperatoris sunt. Vnde & crimen, quod in priuatos istos & Romano Imperio subiectos, Magistratus & Potestates committitur, seditionis aut rebellionis, non læsæ Maiestatis appellatur. Deinde, qui Imperium Principis non recognoscunt, aut id de facto faciunt, aut ex præscriptione tanti temporis, cuius in contrarium memoria hominum non existit: aut ex priuilegio Principis. At nullum ius Maiestatis aduersus Imperium uel subditos suos habere possunt, qui idipsum de facto usurpare præsumunt: Alioqui unde puniri deberent, inde præmium & priuilegium consequerentur. Nec par ius est eorum, qui Iurisdictionem de facto exercent; & eorum, qui de iure. Sed nec temporis præscriptio,

Cons. 275. secundæ partis.

c. de ferijs l. nullo. Gl. in l. 1. ff. ad leg. Iul. maiest. Baldus in consilio. 59. primæ partis.

L. ob pecuniã ff. de furtis. l. eum qui uectigal ff. de uerb. sig. l. bona ciuitatis. ff. de uerb. sig. Tex. in l. 1. C. de seditiosis.

l. relegatorum §. interdicere ff. de interdict. & releg.

ptio, ius Maiestatis inferioribus Potestatibus tribuit. Primum, quia suprema Potestas præscriptione temporis non acquiritur, quo minus Imperatorem recognoscere teneantur. Nam si contra supremam Potestatem Papæ præscribi non potest, quia à Deo est: nec contra Potestatem Imperatoris ipsius præscriptio locum habere potest, quę & ipsa à Deo est. Deinde fingamus, supremam etiam Potestatem præscriptione temporis acquiri posse: tamen ob id in terris suis non sunt Imperatores, sed locum tantum Imperatoris habent. At diuersa sunt, Imperatorem esse, & loco Imperatoris esse. Vnde & Maiestas solius Imperatoris est, non eius, qui loco Imperatoris est, quantumlibet libertatem præscripserit: Igitur lex Maiestatis de Republica Romana & Imperatore lata, tanquam pœnalis & odiosa, ad inferiores Potestates & Magistratus, qui propriè Imperatores non sunt, extendi non debet. Præterea frustra etiam priuilegio Principis nituntur inferiores Potestates, quasi hoc ipso suffulti, non solum Principi subiecti non sint, sed etiam Imperialis Maiestatis iura in subditos suos exercere possint. Nam licet Potestas inferior donata libertate ab Imperatore, aliqua ratione sit redacta ad instar Imperatoris, & priuilegio libertatis gaudeat: tamen non est propterea Imperator, nec sibi sumere potest id, quod Maiestati Imperatoris proprium est. Nam quantalibet potestate inferiores, in Ditionibus suis præditæ sint, tamen Maiestatem non habent, quæ solius est Principis: ut qui totius orbis Dominus est & Monarcha, Imperium habens super omnes nationes, etiamsi multi ab Imperio ipsius & Iurisdictione sunt exempti. Cuius item potestas tanta est, quæ nec per Papam supprimi aut extingui possit.

Inno. in c. Bone. & 2. de post. prælat.

In Aut. quomodo oport. Ep. & ibi gl. in uerbo sancimus c. solite de maior. et obed.

In Aut. de Eccles. tit. §. 1. et in Aut. ut Eccles. Ro.

L. mercis ff. de uerbor. sig.

Bar. in l. 1. in princip. ff. de suis & legit. et in l. si is, qui peremptore ff. de usu cap.

Tex. in l. meminimus, & ibi Bald. C. de leg. hered.

Paul. de Castr. in l. l. 11. tabularum ff. eo. & in l. fi. §. in computatione c. de iure delib.

De crimine

De crimine Proditionis, Cap. XIII.

INter crimen lęsæ Maiestatis & proditionis hoc interest. Quod illud manifeste: hoc uero occulte, aduersus Principem & Rempublicam Romanam perpetratur. Generaliter siquidem proditores sunt omnes, qui aliud actibus manifeste ostendunt, aliud occulte in mente agitant. Quos recte scriptura nouaculæ comparat. Sicut (inquit Psaltes) nouacula acuta fecisti dolum: Nimirum nequitiæ arguens proditorem, eo quod instrumentum huiusmodi ad hominis adhibetur ornatum, & plærunq; ulcerat. Proditoribus enim proprium est, ut occulte & sub prætextu honestatis offendant. Sed & quo tectior sit proditio, amicitiam quoq; simulant, proditores, blandi sunt sermone. Iuxta illud Psalmi. Melliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. Qui & adulantur, applaudunt, rident, & quæuis magnifica pollicentur: Deum obtestantur, iurant. Nam ad iurandum omniũ maxime faciles sunt, et quibus dictum uideri potest, quod est apud Sapientẽ. Omnis amicus dicet, et ego amicitiam copulaui, sed solo nomine amicus. Ac tales quidem sunt, qui ex utraq;, immo ex diuersa parte, in iudicio consistunt: quos præuaricatores, ideſt, causarum proditores, appellamus. Similiter, qui pericula intentãt ijs, quibus cum affinitas, societas, aut aliq; causæ necessitudinis, intercedunt. Propter quas, & ab omni aduersus eos doli mali suspitione abesse præsumuntur. Veluti, si socius socium in itinere comitẽ, nulla interueniente rixa, uerbere et; aut amicus amicum à tergo nihil tale suspicantem, offendat: uel discipulus Magistrum: seruus Dominum: ciuis Magistratum, in periculum aliquod incautum adducat. Atq; ad hunc sane modum gratiam prætendens, & dolum nectens Doech, quem celare & protegere debebat, eum ad mortem prodidit: Quippe per funestæ proditionis indicium, Abimelech Sacerdoti necem detulit, eò quod Prophetam hospitio suscepisset, quẽ rex inuidię stimulis accensus, persequebatur. Sic Symon quidam ad expugnandas turres, in quibus hostes Idumæi erant, à Machabæo deputatus: & qui cum eo erant, iniqui lucri cupiditate ducti, à quibusdam, qui in turribus erant, suasi pecunia, Septem millibus didrachmis acceptis, & hostes aufugere permiserunt, aduersarijsq; eorum dimissis, prodiderunt. Sic & Iudas discipulus, Christum magistrum Dominumq; suum pecunia uendens, morti tradidit. Omnium autem maxime proditores sunt, qui malo consilio & proditorio animo patriam relinquunt, aut hostili mente in eam aliquid machinantur. Vnde & recte constitutum est, ut hostium numero habeantur. Necq; enim necessitudo & coniunctio maior est, quàm qua ciuis patriæ obligatur.

Bald. in c. 1. col. 7. uers. quid de reb. quib. mod. feud. amitt.
Alex. de Imol. cons. 13. Sexti uolu.
Psalm. 51.
Ambros. lib. 3. off. c. 11.
Psalm. 54.
Lucas de pœna in L. C. delata lib. 10.
Ecclesiast. 17.
L. 1. ff. de præuaricatoribus.
Bar. in l. respiciendum. § ff. de pœnis.
Doech.
Ambros. lib. 3. off. cap. 11.
1. Reg. 22.
2. Machab. 10.
Luc. 6.
Mar. 14.
Proditores Patriæ.
L. Posthumũ. § Transfuge. ff. de cap. & post li. reuers.

Boecinus conſ. 35. primæ partis.

Maieſtati ſiquidem patriæ etiam illa, quæ deorũ numinibus æquatur, authoritas parentum uires ſubiecit, ac fraterna etiam charitas æquo animo ac libenter cedit, ut inquit Valerius Maximus. Idq; ſumma quidem cum ratione: quia euerſa domo, interdum Reipublicę ſtatus manere poteſt. At patriæ ruina penates omnes ſecum trahat neceſſe eſt. Ideoq; & patriæ naſci dicimur, & magis etiam quàm parentibus, quod & à Platone præclare ſcriptum, & à Cicerone relatum eſt. Non ſolum, inquit, nobis nati ſumus: ortuſq; noſtri partem patriæ, partem parentes, partem amici uendicant: ac propter talem quidem coniunctionem unicuiq; dulciſsima eſt patria ſua. Iuxta illud Poetę:

Val. li. 5. c. 6.

L. 1. § et generaliter ff. de uentre in poſſ. mittend l. poſtumi. § filius. ff. de capti. & poſtli reuerſ. Cicero lib. 1. off. Plato in epiſtola ad Architam Tarentinum.

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

Et Marcus Cicero. Commune patriæ ſolum omnibus charum eſt, tum uero dulce atq; iucundum. Cuius & tanta uis eſt (ut idem alibi dicit) ac tanta natura, ut Ithacam illam, in aſperrimis ſaxulis tanquam nidulum affixam, ſapientiſsimus uir immortalitati anteponeret. Immo chariorem nobis decet eſſe patriam, quam nobis noſmetipſos. Ac proinde unicuiq; (inquit) noſtrum chari ſunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares: ſed omnes omnium charitates patria una complexa eſt, pro qua quis dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus? Cuius rei multa etiam ueterũ extant exempla. Cuiuſmodi ſunt, quæ in hiſtoriis de Curtio Romano, de Genutio Cippo Prætore, de Publio Decio & eius filio, de Scipione Africano ſuperiore, de Camillis, de † Halis, de Fabriciis, de Maximis, de Æmiliis, de Codro Rege Athenienſium, de Themiſtocle, de Erithei Regis filiabus, & plæriſq; aliis, à Cicerone, Valerio, aliiſq; hiſtoricis referuntur. Sed & Romanæ leges, pro patria etiam, contra parentes & ſanguinem pugnare, immo et filio patrẽ, & patri filiũ occidere permittunt: Adeoq; prȩmio etiam afficiendum eſſe conſtituunt, ſi ad patriam defendam, & parentes & liberos interficiendos uenerint. Sic & filius in pari cauſa neceſsitatis patriæ, magis quàm parentibus ſubuenire, & aduocatus patrocinium patriæ, magis quam patri præſtare, & mandatis patriæ, magis quam parentum obedire, debet. Quanto igitur magis commendandi ſunt, ac omnibus honoribus & præmiis afficiendi, qui hiſce charitatis uinculis obſtricti patriæ, nihil non periculorum pro ea defendenda ſubeunt: tanta deteſtabilior eſt eorum immanitas, qui omni ſcelere lacerant patriam, & in ea delenda occupati ſunt: Quos recte proditores patriæ appellamus, quia patriam perſequuntur, quam nec natura ab eis quicquam ſaui criminis aduerſus ſe ſuſpicari permittit. Quales Pullus, Numitor & Fregellanus, & alij plærique fuiſſe narrantur.

Cic. in Cantiliniam oratione. 22. lib. 1. de oratore. Cic. de finib. lib. 3. Lib. 1. officio.

Valerius Max. lib. 5. c. 6.

† Fabijs

L. minime. ff. de relig. & ſumpt. fun. Bal. in l. quine ceßitati C. de Aduoc. diuerſ. iud. Alex. in l. ueluti ff. iuſt. & iure. L. milite C. de procurator. Alex. in dict. l. ueluti.

Sed

Sed & ueritatem omnes ſummo ſtudio colore, & ſuper omnia amare debemus, quam qui lædunt, uel eam ipſam tacendo, uel falſum dicendo, ueritatis proditores appellantur. Vt alibi Beatus Ambroſius teſtatur. Non ſolum (inquit) qui tranſgrediens ueritatem, palam pro ueritate mendacium loquitur: Sed etiam qui non libere ueritatem ipſam pronunciat, quam libere pronunciare oportet: aut non libere ueritatem defendit, quam libere defendere conuenit, proditor eſt ueritatis. Nã ſicut Sacerdos eſt debitor, ut ueritatem, quã audiuit à Deo, libere prędicet: Sic Laicus debitor eſt, ut ueritatẽ, quam audiuit à Sacerdotibus, probatam quidem in ſcripturis, defendat fiducialiter: quod ſi non fecerit, prodit ueritatem, perſimilis Iudæ, qui & ipſe Chriſtum, qui eſt ueritas, prodidit. Vnde, qui ueritatem produnt, Deum etiam prodere intelliguntur. Qui enim ueritatis & charitatis iuſſa ſpernunt, Deum utiq; qui charitas eſt & ueritas, produnt: maxime, cum non infirmitate uel ignorantia peccant, ſed ad ſimilitudinem Iudæ opportunitatem quærunt, qualiter remotis arbitris, mendacio ueritatem, & uirtutem crimine commutent. Quemadmodum igitur qui obſeſſam patriam ab hoſtibus, cum poſsit liberare eam, non defendit, patriæ proditor eſt. Sic qui uidet ueritatem ab impijs expugnari, cum eam potuiſſet defendere, ſi loqui uoluiſſet, tacens eam ipſam expugnare & prodere uidetur. Et hæc quidem generalis eſt proditionis appellatio.

Proditores ueritatis.

L. cum na. legatum. ff. de cond. et demonſtra.

11. q. 3. c. nolite Ioã. Chryſoſt.

11. q. 3. abijt. Beda ſuper Marcum.

Io. Chryſoſt. in expoſ. in Matthæum, Homelia 25.

At propriè proditores ſunt rebelles & infideles Imperij, qui corpore quidem inter ſubditos Imperij, animo uero inter hoſtes uerſantur. Apud illos quidem fidem & amicitiam ſimulantes, apud hos uero omnia perfidioſè & hoſtili animo aduerſus Principem & Rempublicam Romanam agentes: Veluti qui hoſtibus Imperij nuncium literaſuè miſerint, ſignumuè dederint, fecerintuè dolo malò, quo hoſtes Principis & Imperij conſilio aduerſus Rempublicam Imperij, iuuentur. Cuius item dolo malò exercitus in inſidias deductus, hoſtibuſuè proditus fuerit. Item transfuga, & qui ſecreta Principis reuelauerit. Item cuius opera, dolo malo, hoſtes Imperij pecunia, comeatu, armis, aliauè aliqua re adiuti fuerint. Quæ uero ad eundem modum aduerſus inferiores poteſtates, uel etiam priuatos exercetur perfidia: crimen quidem ipſum, ſui generis nomen retinet, ſed per proditionem tamen perpetratum eſſe dicetur. Veluti ſi priuato cuipiam clanculum calumnia intentetur, uel mors per inſidias inferatur: Crimen quidem ipſum calumnia uel homicidium uocabitur, ſed cum ea tamen adiectione, ut per proditionem cõmiſſum eſſe dicatur: nec tamen propter huiuſmodi qualitatis ad iectionem, crimen ipſum uel uariatur, uel multiplicatur. Siquidem unum Homicidium eſt, non plura, quod per proditionem cõmittitur. Quia qualitas adiecta delicto, non inducit pluralitatem delictorum,

Proditores qui ſunt propriè.

ff. ad leg. Iul. maieſt. l. 1. 2. 3. 4.

Bal. conſ. 361. in Quarta parte.

ff. de Accuſationib. l. Senatus cenſuit. ff. de noxalib. l. in delict. §. ſi de tra&a.

rū, sicut nec pluribus pœnis, qui huiusmodi crimen admisit, punitur.

De Factionibus, Caput XIIII.

Factio Duplex, Bona & Mala.

FActio est diuisio multitudinis alicuius per æmulationem, in diuersa studia, cum inter ipsos alij alijs priores esse uolunt. Quod & honestis ex causis, & ex inhonestis fieri potest. Vnde & factio in bonam & in malam partē accipitur, ac initio quidem factio honestum uocabulum erat. Vnde & factiones Histrionum, & Quadrigariorum dicebantur. Nam horum studia eò intendebantur, ut qua quisq; per æmulationē sectam instituisset, eam cæteris eiusdem ordinis antecellere, & primariam esse contenderet.

Quatuor factiones olim in spectaculis.

Erant autem in Circensibus spectaculis quatuor Quadrigariorum factiones, à quatuor coloribus appellatæ: Veneta, Prasina, Alba, & Rosea. Cassiodorus (ut alibi refert Philippus Beroaldus) factiones quatuor totidem coloribus, propter quatuor anni tempora notatas fuisse, commemorat. Siquidem Prasinus, qui uiridis est, uirenti Veri dicatus erat. Roseus flammeæ æstati. Venetus nubilæ hyemi. Albus pruinoso Autumno.

Suetonius scribit, Domitianum Imperatorem duas Circensibus gregum factiones ad quatuor pristinas addidisse: nempe, alteram aurati, & alteram purpurei panni. Hæ pernicitate cursus inter se decertabant, inter quas & una siue populari, siue Imperatorio fauore prævalebat.

Factiones philosophorum.

Eiusdem fere conditionis fuerunt, Philosophorum factiones, quæ & ipsæ uarijs contentionibus concertantes, aliæ alias superare studebant. Quippe Academici Stoicis: Stoici Peripateticis, utrisq; Peripatetici, & aliæ item alijs Philosophorum sectis, antecedere uolebant. Sic & collegia artificum uidemus similibus ferè studijs inter se digladiari, alijs alios artificij laude & gloria superare contendentibus. Quin & in publicis administrationibus factiones oriri uidemus, cum in diuersas partes diuiso populo alij in illos, alij in alios, tanquam Principes & primarios in Republica, studia sua fauoresq; conferunt.

Factiones quædam bonæ in Repub.

Atq; huiusmodi sane factiones, tum sunt licitæ, cum pro defensione Reipublicæ ineuntur: Veluti, si pars aliqua ciuium legitimos Magistratus abrogare, & alios in eorum locum subrogare uelit, nihil uetabit, quim altera pars coëat, & legitimos illos Magistratus, quo minus amoueantur, tueatur. Nam ut prior illa factio seditiosa est, & illicita: ita posterior, non solum iusta est, sed etiam præmio afficienda. Quod si enim ad defensionem rerum nostrarum amicos congregare possumus, quanto magis pro defensione Reipublicæ, bonis inter se societatem inire, & aduersus improbos ciues Rempublicam tueri licebit? Sicut & iusta est factio, quæ ob id inter bonos

Nor. in l. ut uim. ff. de iust. & iure.

bonos ciues coalita est, ut Tyranni è Republica eiiciantur, qui nulla alioqui ratione commode expelli possunt. Nam si unicuiq; licitum est, propria authoritate ius sibi dicere, si copia iudicis haberi non possit: Quanto magis idipsum, si ad Reipublicę à iugo Tyrannidis liberationem fiat, ubi auxilium superiorum deerit, permittetur? Sed nec illicita factio est eorum, qui socios & amicos congregant, quorum auxilio freti, ad certa loca securi proficisci possint. Nam & coniurationes licitæ sunt, quæ ob defensionem fiunt.

L. nullus. C. de Iudæ. l. ait prætor. §. si debitorem ff. de his quæ in fraud. cred. Bal. cons. 425. in 5. parte. l. ingenuã. ff. de cap. & postli.

Et hæc quidem bona est, & honesta factionis significatio, sed impropria tamen: propria enim significatione, factio semper in malam partem accipitur. Est enim factio malorum consensus & conspiratio, ut Salustius testatur. Inter bonos, inquit, amicitia, inter malos factio. Ad quem modum & apud Prophetam factio lasciuientium dicitur. Et de malorum factione Tertullianus. Cum enim, inquit, probi cum bonis coëunt, cum pij & casti congregantur, non est factio dicenda, sed Curia. At è cõtrario illis nomen factionum accommodandum est, qui in odium bonorum & proborum conspirant. Vnde & conspiratio & proditio nonnunquam factiones appellantur. In hac igitur significatione factionem speciem seditionis fecimus, qua scilicet ciuium animi, uel ob priuatum commodum, uel in odium aliorum, & Reipublicæ detrimentum, in diuersa studia scinduntur. Qua quidem nihil in Republica perniciosius esse potest, ut scribit Liuius. Certamina (inquit) factionum pluribus populis magis exitio sunt, quàm bella externa, quàm fames morbiue, quæquè alia in Deũm iras, uelut ultima publicorum malorum uertuntur. Et in hac significatione factio interdum etiam secta, interdum partes à scriptoribus, & à nostris partialitas uocatur. Quomodo Cicero Cæsaris Imperium sectam appellat, & eos qui Cæsari adhærent, è medijs partibus Cæsaris esse dicit. Et Antonium reprehendit, ad Hircium & Cæsarem scribentem, qui conuentum bonorum aduersus rebelles, partes potius quàm defensores patriæ appellat. Quin eas partes esse diffinit, quibus cædes bonorum, non quibus Senatus authoritas, populi Romani libertas, & Reipublicę salus proposita est.

Factio in malam partẽ propriè sumitur.

In bello Iugurtino.

Amos. 6.

Liuius lib. 4. ab urb. cond.

L. quis. cap. ad leg. Iul. maiest. l. constitutiones de appel. ff. in hac igit. Cic. in epist. Cic. Philip. 13.

Extant autem huius generis factionum innumera prope uetera exempla, tam Græcorum, quàm Romanorum, & multa etiam nostratia: Sed quæ non omnia hic enumerandi locus est, pauca tantum aliqua referemus, ut ex his alia quoq; inuestigandi, his qui harum rerum studiosi sunt, occasio præbeatur. Ac primum quidem Historiarum peritis notum est, quibus factionum certaminibus Græcorum ciuitates olim agitatæ fuerint. Nam sæpe quot discrimina regio habuit, tot in partes diuisa ciuitas fuit. Erat apud illos (ut ex multis unam commemoremus) Solone

Plutarchus in Solone.

Tres factiones olim Athenis.

Athenis existente, Diacriorum genus maxime populare, Pediorum autem paucorum administrationi uehementer studebat. Tertij uero Paralij medium quendam ac mixtum regendi modum complexi, & utrisq; impedimento erant, & ne altera pars in Republica uinceret, prohibebat. Quæ factiones post discessum Solonis, in maximas etiam seditiones conuersæ sunt: ac Pediorum factioni Lycurgus, Paralorum autem Megacles, Alemæonis filius, præfuit. Diacriorum autem Pisistratus, in qua debitorum turba continebatur, quæ uehementer diuitibus iminica & infesta erat.

Factiones Romæ.

Apud Romanos item multæ factiones fuerunt, nunc plebis aduersus nobiles, nunc pauperum aduersus diuites, nunc Equitum aduersus Senatum, nunc pluribus ad Principatum pari potentia aspirantibus, quæ & ipsę partes Duces suos & Patronos habuerunt. Nam alij diuitibus, alij pauperibus, alij Senatui, alij Equitibus, patrocinabantur. Sic alij Syllæ atq; Marij: alij Cæsaris, alij Pompei: alij Antonij, alij Lepidi, alij Octauij partibus, & tanquam factionum Ducibus adhæserunt.

Guelphi et Gibellini.

Inter nostratia numeramus factiones Guelphorum & Gibellinorum, quorum illi à Romano Pontifice: hij uero ab Imperatore, steterunt, à tali nimirum euentu. Quia commisso prælio inter Conradum Imperatorem, eius nominis Tertium, & Guelphonem Ducem Bauariæ, qui ex instigatione Rogerij Regis Siciliæ, fratris sui Henrici superbi, ope Italicorum, Longobardorum, & Siculorum, tum etiam Pontificis adiutus, Imperatori rebellabat. Qui Guelphoni adhærebant, clamarunt. Hie Guelph. Vicissim uero Regij. Hie Gnaibelm. Quia scilicet Conradus in pago Vuaiblingn enutritus fuerat, unde & multo post tempore Cæsariani Gibellinorum, & qui Pontifici & Ecclesiæ fauerunt, Guelphorum nomen retinuerunt. Bartholus hæc nomina affectionum esse scribit, quę tametsi initio eos, qui Pontifici & Imperatori adhæserunt, significauerint: sed alio tamen ab euentu, & alia item per ipsum uocabulorum interpretatione facta. Ipse siquidem historiam, non in Conradum Tertium, sed in Fridericum Primum illum, qui cognomento Barbarossa dictus est, confert, & Gibellinos à Dominis de Gebello agnatione Friderici: & Guelphos quasi Zelatores fidei dictos esse existimat. Tamen subsequentibus temporibus nomina quidem mansisse ait, ipsas uero affectiones in diuersum mutatas fuisse. Nam & fuisse permultos Guelphos & Gibellinos, qui retentis nominibus, nihilominus rebelles, Guelphi quidem Ecclesiæ: Gibellini Imperio fuerunt. Aliam originem Guelphorum & Gibellinorum refert Platina. Quippe Friderico Secundum scribit Pisis existentem, cum non sciret, qui partes suas, quiue Pontificis sequeretur, ciuitates Italiæ in duas factiones diuisisse, & qui Pontifici fauebant, Guelphos: qui Imperatori, Gibellinos

Naucl uolum. 2. generatione. 38. & generatione. 48.

Bar. in tra. de Guelph. & Gibell.

Platina in Gregorio Nono.

linos appellatos fuisse. Sic & circa annum 1300. Guelphi & Gibellini albi & nigri dicti sunt, tempore uidelicet, quo in Pistorio Cancellarij gens ditissima numero aucta, in duas partes diuisa est. Nam altera quidem Guelphorum albi, altera uero Gibellinorum nigri uocati sunt: Quas quidem factiones Florentini quoq; receperunt, sed nigri numero & potentia prævalentes, albos è Florentia eiecerunt. Similes quoq; factiones circa annum 1310. Henrico Septimo Romanum Imperium gubernante, Mediolani fuerunt, quarum altera quæ Guelphorum est, fuit Turrianorum: altera uero quæ Gibellinorum, Vicecomitum dicebatur. Sunt & hodie factiones in Italia duę, quarū altera Romano Pontifici fauens, Vrsinorum: altera Imperatori adhærens, Columnensium uocatur, quæ & ipsæ originem à Guelphis & Gibellinis ducunt. Columnenses siquidem Gibellinorum: Vrsini Guelphorum sectas sequuti sunt. Vnde & contentio illa inter Pontificem Romanum & Columnenses orta est, quos & mirum in modum persequuti sunt, ut refert Platina. Ac tales etiam factiones in Imperio fuerunt regnante Imperatore Henrico, huius nominis Quarto, alijs quidem Romano Pontifici fauentibus, Simoniacos & fornicarios usq; adeo persequebatur, ut eorum Missas audire omnibus interdiceret. Quin idem etiam censuris Ecclesiasticis percellebat Reges ac Principes, qui ad Episcopatus inuestirent, & Clericos, qui inuesti turas ab his reciperent. Alijs uero Imperatori adhærentibus, qui dicebat sibi pro more prædecessorum suorum, & ex priuilegijs Apostolicis ius ordinandi Sedem Apostolicam, & inuestiendi Episcopos & Abbates, in Imperio competere: quas factiones utroq; per totum fere Septennium fouente, totum Imperium, præda, igne, & ferro uastatum fuit. Est & aliud factionum genus, earum uidelicet, quæ ad priuata magis, quàm publica negocia respiciunt. Quales fere sunt, quas ciues nonnunquam priuatorum affectuum causa, per lasciuiam excitant: Veluti, si duo iuuenes, unius uirginis nuptias ambientes, quisq; amicorum suorum ope adamatæ uirginis compos fieri contendat: aut duorum maritorum uxores, paribus honorum prærogatiuis gaudere uelint. Cuius rei quædam apud Liuium extant exempla, sed quæ à nobis postea referrentur, quando de seditionibus, quæ ex certamine partium oriuntur, dicemus. Postremo ex diuersarum etiam religionum cultu, factiones oriuntur: Quales sunt, Iudæorum, Paganorum &c. Omnium autem pernicioſisimæ sunt factiones, quæ propter hæreses contrahuntur. Cuiusmodi apud Iudæos fuerunt factiones Saducæorum, Phariſæorum, & Essenorum, & eorum, qui Iudæ & Sadocco adhærebant: quanquam & hæ ipsæ ad Philosophorum sectas referri possunt. Quorum omnium professionem, studia, moresq;, eligantis-

Nauclerus generatione 44.

Platina in Clemente. 5.

Platina in Bonifatio 8.

Naucl. volu. 2. generatione 37.

Tri. lib. 6. c. 8. & lib. 9. c. 27. Iosephus li. 13. Iud. antiq. c. 8. & lib. 18. c. 2. & lib. 2. de bello Iud. c. 7.

sime à Iosepho describuntur. Post Christum autem natum, tot factiones in Religione nostra Orthodoxa ortę fuerunt, quot hæreses. Quarum octuaginta Epiphanius enumerat, simul & confutat: Quibus multas præterea addit Philastrius, Augustinus, Hieronymus, & plærique alij Ecclesiastici scriptores, & inter recentiores Alphonsus Minorita. Immo nulla ferè hæresis est, quæ non & ipsa, si latius serpere permittatur, in plures factiones scindatur. Quod à nobis de Arriana, & quibusdam alijs hæresibus in his libris, quos de hæreticis scripsimus, satis comprobatum est. Sed quid longe ueterum exempla petimus, cum & his temporibus nostris alias super alias hęresum factiones in Germania: non solum in uniuersa natione ipsa, sed in singulis prope familijs & domibus, & exerceri, & quotidie enasci uidemus.

Scriptores de hæresibus.

DE SEDITIONIBVS

DE SEDITIONIBVS
LIBER SECVNDVS: QVI EST DE CAVSIS SEDITIONVM.

De causa efficiente seditionum in genere, Caput I.

POSTQVAM *ea á nobis superiori* libro explicata sunt, quæ ad definitionem seditionis, & partium eius pertinere uidentur: sequitur iam recte, ut de causis quoque seditionum dicamus, quæ & ipsę ad perfectam earum cognitionem pertinent. Tum enim perfectam rei scientiam habere intelligimur, cũ causas eius cognoscimus, ut inquit Aristoteles. Sunt autem quatuor genera causarum, ex quibus seditiones oriũtur: Efficiens, Materialis, Formalis, & Finalis, de quibus ordine iam disseremus. Ac primum quidem de causa Efficiente dicemus, quæ est duplex: Principalis, & Instrumentalis. Principalis duę partes sunt: Propinqua, & Remota. Propinquam uocamus homines, quorum consilio, opera, uel ope, seditio ipsa excitatur, uel perficitur. Remotam res, propter quas homines ad commouendas seditiones prouocantur. Porro eorum, qui seditionibus operam dant, quidam earum ipsarum authores sunt: quidam socij, participes & sectatores: quos in unum collectos cœtũ, turbam, multitudinem appellamus. Authores & Principes delictorum, à Iurisconsultis generaliter principales & capitales: Seditionum uero, specialiter dementiæ, & factionum duces, à scriptoribus appellantur. Quorum alij quidem Magistratum, & publica officia gerunt. Quales olim fuerunt, Sylla, Marius, Gracchus, Apuleius, Cęsar, Antonius, Lepidus, qui inter se contendentes, quis sibi prius urbem uendicaret, uerbo in aduersantes, re autem ipsa, bellum contra patriam gesserunt, & patria uelut prauio in medio constituto, contra patriam pugnarunt, ut inquit Appianus. Alij initio quidem Imperium, ueluti possessionẽ propriam, inter se partiti, alius alium eiecit, donec unus tandem uictor totum sibi Imperium uendicauerit. Quod Antonius, Lepidus, & Octauius fecerunt. Nam inter hos Octauius Lepidum, cui Lybia ex sorte obuenerat, dignitate spoliauit. Postremo Antonium circa Actium uicit, & totum Imperium primum quidem per seditionum

Arist. l. 1. Analyt. posteriorum.

Causa efficiens seditionũ Duplex.

Bal. in l. 1. C. de ser. fug.

Sylla, Marius &c. in patriam seditiosi.

App. l. 1.

Octauius Lepidum et Antoniũ uicit.

seditionem in se transtulit: deinde autem, à populo Romano per legem Rhemiam legitimo iure acquisiuit. Alij nullo Magistratu fungentes, sed priuati, seditiones excitant, & inter hos quidam nobiles, ut Catilina, & Manlius. Alij Plebeij, ut Marius, nobilitati maxime inimicus, & alij complures. Sed & serui sæpe seditionum authores fuerunt, ut Herdonius Sabinus, qui inter initia urbis Seruile bellum tentauit: & Syrus quidam nomine Eunus, qui in Sicilia Quadraginta amplius Millium seruorum exercitum contraxit, Regijsq; decoratus insignibus, castella, oppida, uicos, miserabili direptione uastauit. Nec minorem exercitum in eadem insula conflauit Cilix quidam, qui veste purpurea, argenteoq; baculo, et regio more, fronte redimita, acrius aliquanto, quàm prior ille fanaticus, quasi & illum uindicaret, uicos, castella, oppida, diripiens, in seruos infestius, quàm in transfugas sæuiuit. De alio tumultu seruili scribit Liuius lib. 2. de bell. Maced. & Asiat. ac de alio item, lib. 4. ab urbe cond. Fuerunt & ab alijs infimę sortis hominibus, sæpe seditiones & bella ciuilia concitata. Quale fuit, quod gladiatore quodam Spartaco duce commotum fuit, qui iusto contracto exercitu, Thoram, totamq; Campaniam peruagati sunt: nec uillarum atq; uicorum uastatione contenti, Nolam, atq; Nuceriam, atq; Metapontum, terribili strage populati sunt: tandem etiam Consulares aggressus, in Appennino Lentuli exercitū cecidit. Apud Mutinā Cajj Crassi castra deleuit, sed tandem à Licinio Crasso victus est. Sed & mulieres seditiones quasdam commouisse legimus, qualis est siue uera illa, siue ficta, qua uirorum omne genus in aliqua insula à stirpe sublatum fuisse fertur: Et illa itēapud Romanos, qua mulieres in publicū se effundentes, pristinum sibi ornatum, lege Oppia abrogata, reddendum esse contendebant. Et quædam aliæ, quæ & ipsæ procul dubio neq; cœptæ sine ducibus fœminis, neq; peractæ fuerunt. Remotæ causæ seditionum ab Aristotele numerantur, lucrum, honor, contumelia, metus, præpotentia, contemptus, incrementum excessuum, dissimilitudo, negligentia: De quibus omnibus iam ordine dicemus.

Salustius in Coniuratione Catilinæ.

L. Florus lib. 3. c. 16.

Serui quidam, seditionum authores.

L. Florus lib. 3. c. 19.

Bellū Spartaci Gladiatoris.

L. Florus lib. 3. c. 20.

Mulieres quædam seditionū authores.

Liuius de bello Maced. & Asiat. lib. 4.

De

De Seditione, quæ propter contumeliam, auaritiam, & iniqua lucra eorum, qui Respublicas administrant, concitatur, Caput II.

MArcus Cicero in ijs libris, quos de Officijs scripsit, ob eam maxime causam Respublicas ciuitatesq; constitutas esse affirmat, ut his præsidijs sub bonis Magistratibus homines res suas tuto custodire possint. Quamobrem opera danda est, his qui rebus publicis præsunt, ut non solum publica bona, pro necessitate & utilitate Reipublicæ recte dispensentur, sed etiam ne subditi rebus suis contra ius & fas spolientur. Est enim in omni procuratione, negocij & muneris publici, caput, ut auaritiæ expellatur etiam minima suspitio. Est autem auaritia iniurioſa appetitio alienorum, ut idem Cicero diffinit. Ea quãdoq; ex rebus publicis fit, quandoq; ex priuatis. Publica bona sunt, tributa, uectigalia, annonę, et alia, quæ in fiscũ publicũ inferuntur, ut pœnę fiscales, debita fiscalia, usuræ fiscales, bona uacantia, & quæ sunt generis eiusdem: id crimen ueteres peculatum appellarunt. Est autem fiscus Camera, in qua pecunia publica reponitur, siue Principis & Reipublicæ Romanę: siue aliorum Principum, potestatum, & rerum publicarum. Nam & ipsi ius fisci habent. Sed & munera realia ad ius fisci pertinent, ut quæ pro publicis necessitatibus imponuntur, uel personis tantum, nullo respectu habito ad res ipsas seu patrimonia, quod Iureconsulti Capitationem appellant: uel personis pro rebus, quod imponitur pro modo patrimoniorum, per æs & libram. Ad quod genus referuntur, Collectæ, quæ & ipse munus reale sunt. Sed certam tamen, & limitatam formam non habent, sed cuilibet secundum imminentes & occurrentes necessitates, imponuntur. Veluti, si Principis uel Reipublicæ fiscus exhaustus fuerit: quo tamen casu ad impositionem Collectæ peruenire non poterit, nisi aliunde necessitatibus occurrentibus de bonis Principis, uel Reipublicæ consuli non possit. Item, si dominus captiuus, pecunia redimendus: si filia dotanda: si domino filioue eius insignia militaria conferenda: si terra aliqua domino emenda sit. Nam ob has & similes causas haud iniuste Collecta, subditis à Domino imponitur. Sed eorum tamen interueniente cõsilio, & accedente uolũtate. Nã ab inuitis & renitentibus nihil exigi potest. In publicis igitur bonis tum auaritia exercetur, cum in priuatos magis, quam publicos usus conuertuntur: Quod crimen ueteres peculatum appellarunt. Vel cum profusis publicis bonis, ad immoderatas & insolitas exactiones subditorũ perueniturꝰ

Cicero lib. 2. Officiorum.

Auaritia, causa est seditionum. Cicero lib. 4. ad Herẽnium. c. de pœnis fiscal. cred. præfer. c. de usur. fiscal. c. de bo. uacant. lib. 10. per tot. tit. L. 1. ff. ad leg. Iul. peculatus. 10. de plat in Rub. c. de iure fisci. lib. 10. L. sed Cels. in princip. ff. de contrah. emp. Bar. in l. . C. de mulierib. et in quo loco. l. 10. Iason. in l. Placet. C. de SS. Eccles. gl. in l. referipto §. fi. ff. de mu. & honor. Bar. in l. 1. ff. quidã. cuiusq; uni. 10. Bald. & Cy. in le. neminem. C. de SS. Ec. Præpos. Alexander in prælud. feud. col. 22.

uenitur. In priuatis uero bonis fit auaritia, cum qui sunt tenuioris fortunæ, à potentioribus, uel pares etiam à paribus, patrimonijs suis spoliantur. Quo uitio omniũ maxime carere debent, qui officia Magistratusq; publicos gerunt. Nullum enim uitiũ est tetrius, quàm auaritia, præsertim in Principibus, & Rempub. gubernantibus. Habere enim quæstui Rempublicã, non modo turpe est, sed sceleratũ etiam & nefarium. Quemadmodum igitur continentia & abstinẽtia eos, qui rebus publicis præsunt, omnibus commendabiles facit: ita rursus auaritia omnibus eos odiosos reddit & detestabiles. Propter continentiam & abstinentiam laudatur Scipio Aphricanus. Laudatur & Paulus, qui omni Macedonum Gaza (quę fuit maxima) potitus, tantum in ærarium pecuniæ inuexit, ut unius Imperatoris præda finem imposuerit tributorum. Laudatur & Aphricani superioris filius, & eius collega L. Mumius, nihilo locupletiores domum reuersi, Carthagine euersa. Laudantur & Principes quidam, qui ne fisco quidem & patrimonio suo pepercerunt, ut subditis res suas & iura illęsa conseruarent. Sic L. Annius Antoninus Imperator, confecto bello Marcomannico, cum ærario exhausto largitiones nullas haberet, neq; in animũ induceret, ut extra ordinẽ Prouincialibus aliquid imperaret: in foro diui Traiani auctionem ornamentorũ Imperialium fecit, uenditq; aurea pocula, Chrystallina et Murrhina, uasa etiã regia, & uestem uxoriam, ac suam sericam & auratam, & ornamenta gemmarum, quæ multa in repositorio sanctiore Adriani repererat: ac per duos quidem continuos menses uenditio celebrata est, tantumq; auri redactum, ut reliquias belli Marcomannici ex sententia persequutus, post uictoriã emptoribus potestatem dederit, ut si quis uellet, empta redderet, ac precium reciperet: Nec molestus ulli fuit, qui maluit semel empta retinere, ut Iulius Capitolinus & Eutropius testantur. Et Antonini Pij hoc fertur, cum ab uxore arguerętur, quasi parum nescio quid suis largiens, dixerit. Stulta, postquam ad Imperiũ transiuimus, & illud quod habuimus ante, perdidimus. Idem patrimonium priuatum in filiam contulit, sed fructus Reipub. donauit. Species Imperatorias superfluas & prædia uendidit, & in suis fundis proprijs uixit, nec ullas expeditiones obijt, nisi quod ad agros suos profectus est, ad Campaniam dicens: Grauem esse Prouincialibus, comitatum Principis etiam nimis parci. Alij ob id etiam laudantur, quia lucra quæ à Prouincialibus accipere potuerunt, uel remiserunt, uel accepta reddiderunt. Quemadmodum idem Antoninus Pius, procuratores suos modestè suscipere tributa iussit: excedentes modum, rationem factorum suorum reddere præcepit: nec unquam lætatus est lucro, quo Prouincialis oppressus est. Idem hæreditates eorum, qui filios habebant, repudiauit: Sed & publicatio bonorum eò Imperante rara fuit. Et Antoninus Philosophus

Cicero lib. 2. Officiorum.

Cicero eodem libro.

Laus Scipionis & Pauli Aęmylij.

Auctio rerum propriarũ per Antoninũ Imp. Philosophum.

Iul. Cap. in M. Antonino Philosopho.

Lib. 8. in l. Annio Antonino.

Antoninꝰ Pius Reipublicę amator.

Iulius Capitolinus in Antonino Pio.

Philosophus, curatoribus regionum ac uiarum potestatem dedit, ut uel punirent, uel ad Præfectum urbi puniendos remitterent eos, qui ultra uectigalia quicquam ab aliquo exegissent. Idem si quos repetundarum damnauerat, eorum liberis bona paterna restituit: ea tamen lege, ut illi Prouincialibus redderent, quod parentes acceperant. Fisco in causis Compendij nunquam iudicans fauit, & delationes, quibus fiscus augeretur, contempsit. Quin & Procuratores suos semper monuit, ne quid arrogantius facerent, & hæreditates delatas reddens proximis, aliquando respuit. Sic Octauius Augustus, legata uel partes hæreditatum, etiam à quibuscunq; parentibus relicta, sibi aut statim liberis eorum concedere, aut si pupillari ætate essent, die uirilis togæ, uel nuptiarum, cum incremento restituere consueuit. Et Pertinax legem tulit, ut testamenta priora non prius essent irrita, quàm alia perfecta essent, neue ob hoc fiscus aliquando succederet. Quin ipse etiam professus est, nullius se aditurum hæreditatem, quæ aut adulatione alicuius delata esset, aut lite perplexa, ut legitimi hæredes & necessarij priuarentur: addiditq; Senatusconsulto hæc uerba. Sanctius est, P. C. inopem Rempublicam obtinere, quàm ad diuitiarum cumulum per discriminum atq; dedecorum uestigia peruenire. Simile quid de Domitiano fertur, qui fiscales calumnias magna calumniantium pœna repressit: Cuius & illa uox fuit. Princeps, qui delatores non castigat, irritat.

Antoninus Philosophus.

Suetonius in Octauio Augusto.

Iul. Capitolinus in Pertinace.

Suetonius in Domitiano.

Vespasianus Saluium liberalem causidicum in defensione Hipparchi diuitis rei, dicere ausum. Quid ad Cæsarem, si Hipparchus sestertium millies habet: ne inhiare diuitijs diuitis rei uideretur, ipse quoq; laudauit. Hadrianus Imperator infinitam pecuniam, quæ fisco debebatur, priuatis debitoribus in urbe atq; Italia, in prouincijs uero etiam ex reliquijs ingentes summas remisit: Syngraphis in foro Diui Hadriani, quo magis securitas omnibus roboraretur, incensis, qui & in concione, & in Senatu sæpe dixit. Ita se Rempublicam gesturum, ut sciret populi rem esse, non propriam. Hæc & multa alia his similia olim Principibus laudi data sunt: quia his ipsis se publicæ, & priuatorum magis, quàm suæ utilitati, operam dare declararunt. Contra uero propter auaritiam uituperantur, qui propria cupiditate ducti, uel ærarium depeculantur, uel iniustis exactionibus subditorum bona deprædantur. Quod uitium maxime propter luxuriem contrahitur. Auaritiam si tollere uultis (inquit Cicero) mater eius est tollenda luxuries. Item, In urbe luxuries creatur, ex luxuria auaritia existat necesse est: ex auaritia erumpit audacia. Sic C. Cæsar Caligula, ex luxuria in auaritiam prolapsus est. Cum enim immensas opes prodegisset, quippe qui uities ac septies millies I I. S. non toto uertente anno absumpsit, ad rapinas conuertit animum, uario & exquisitissimo calumniarum, & auctionum,

Æl. Spartianus in Hadriano.

Cic. de Oratore.

In oratione pro S. Roscio.

Suetonius in C. Caligula.

Vectigalia noua per C. Caligulam.

& uectigalium genere. Ac primum quidem uectigalia noua atq; inaudita, primum per Publicanos: deinde, quia lucrum exuberabat, per Centuriones, Tribunosq; Prætorianos exercuit, nullo rerum aut hominum genere omisso, cui non tributi aliquid imponeret pro edulijs, quæ tota urbe uenirent. Certum statumq; exigebatur pro litibus atq; ludicibus ubicunq; conceptis Quadragesimæ summæ, de qua litigaretur, nec sine pœna, si quis composuisse uel donasse negocium conuinceretur. Ex Gerulorum diurnis quæstibus pars octaua: ex capturis prostitutarum, quantum quæq; uno

Lupanar in Pallatio.

concubitu mereret. Lupanar in Pallatio constituit, destructisq; & instructis pro loci dignitate compluribus cellis, in quibus Matronæ ingenuiq; starent. Misit circum fora & Basilicas nomenclatores, ad inuitandos in libidinem iuuenes senesq;, prębita aduenientibus pecunia fœnebris: appositiq; qui palam nomina subnotarent,

Confiscationes iniquissimæ.

quasi adiuuantium Cæsaris redditus. Idem Galliarum, Hispaniarum, Syriæq; & Græciæ Principes confiscauit, ob tam leue & impudens calumniarum genus, ut quibusdam non aliud sit obiectum, quàm quòd partem rei familiaris in pecunia haberent. Idem Cn. Lentulum Angorem, cui census maximus fuit, metu & angore ad

Suetonius in Nerone.

fastidium uitæ eo egit, ut ne quo nisi ipso hærede moreretur. Nero Claudius Cæsar, tantum in prodigendis pecunijs luxum exercuit, ut diuitiarum & pecuniæ non alium fructum esse putaret, quàm

Nero prodigus, sicut C. Caligula.

profusionem. Vnde sordidos & parcos esse dicebat, quibus ratio impensarum constaret: contra uero magnificos, qui abuterentur ac perderẽt: ac propterea laudabat mirabaturq; auunculum Caium nullo magis nomine, quam quod ingentes à Tiberio relictas opes in breui spacio prodegisset. Quare nec largiendi nec absumendi

Calumniæ & rapinæ Neronis.

modum tenuit. Hoc luxu exhaustus, & egens, calumnijs rapinisq; intendit animum. Itaq; instituit, ut ingratorum in Principem testamenta, ad fiscum pertinerent: Et, ut qui scripsissent uel dictassent ea, punirentur. Nulli item delegauit officium, ut non adijceret: Scis quid mihi opus sit: & hoc agamus, ne quid quisquam habeat. Sed & templis compluribus bona detraxit, simulachraq; ex auro uel ar-

Suetonius in Vespasiano.

gento fabricata, conflauit. Vespasianus item, tametsi optimus alioqui Princeps, tamen ob auaritiam repræhenditur, quod non

Vespasianus auarus

contentus omissa sub Galba uectigalia reuocasse, noua & grauia addidisse, & auxisse tributa prouincijs, nonnullis & duplicasse: Ipse quoq; præter hæc, negociationes pudendas palam exercuerit, coëmendo quædam tantum, ut pluris postea distraheret: sed nec Candidatis quidem honores, reisue tam noxijs, quàm innocentibus absolutiones uenditare cunctatus est. Traditur etiam Procuratorum rapacissimum quenq; ad ampliora officia ex industria solitum promouere, quo locupletiores mox condemnaret. Quibus quidem,

uulgo

uulgo pro ſpongijs dicebatur uti, quod quaſi & ſiccos madefaceret, & exprimeret tumentes. Quanquam ſunt, qui opinentur ad rapinas neceſsitate compulſum ſumma ærarij fiſciq; inopia, de qua teſtificatus ſit initio Principatus: profeſſus, quadringenties millies opus eſſe, ut Reſpublica ſtare poſſet. Cæterum hæc & ſimilia, tum luxuriæ tum auaritiæ portenta, non ſolum turpia ſunt Principibus, alijſq; Rempublicam gubernantibus: ſed omnium maxime etiam Reipublicæ pernicioſa. Quippe ex quibus ſubditi non raro ad diſcordias & ſeditiones, tum inter ſe, tum aduerſus Principes & Magiſtratus concitantur. Itaq; quod Apollo Pythius oraculum ædidit, Spartam nulla re alia niſi auaritia, eſſe perituram: Cicero interpretatur, nõ ſolum Lacedæmonijs, ſed etiam omnibus opulentis populis prædixiſſe. Sic poteſtas iudiciorum à Senatu in Equites translata, uectigalia, id eſt, Imperij patrimonium, per ſeditionem ſuppreſsit. Sic potentiorum auaritia, qua plebs depulſa agris ſuis fuit, ſeditioni Gracchanæ occaſionem præbuit, per quam lex Agraria lata eſt, ut nemini liceret ultra 50. telluris iugera poſsidere: Quæ multorum deinde cauſa malorum & ſeditionum fuit. Iam & ob auaritiam & impotentiam fœneratorum, quibus in terga quoq; ſeruiliter ſæuientibus, in Sacrum montem plebs armata ſeceſsit, ſeditio orta eſt. Fremebant enim primum ſe foris pro libertate & Imperio dimicantes, domi à ciuibus captos & oppreſſos eſſe, alijs uincula, alijs fœda recentibus uerberum ueſtigijs terga, aliasq; deformitates, oſtentantibus: Et ne id mirum quidem. Eſt enim fœnus deterrimum auaritiæ genus, à quo omnium gentium honeſti homines omnium maxime ſemper abhorruerunt: propter quod & ſubditi facile ad ſeditiones prouocantur, quod & ueterum teſtimonio & exemplo confirmat Appianus. Per idem tempus (inquit) Optimates in urbe contendere cœpere, cum quidamdebita cum uſuris emerent, lege quadam ueteri iubente, ſupra fœnus fœnerari minime licere: qui id feciſſet, eandem mulctam ab illo ſubeundam eſſe. Abhorruiſſe mihi quidem uidentur ueteres Romani fœnoris conſuetudinem: Quemadmodum & Græci, nec ſecus ac cauponandi quæſtum quendam exiſtimaſſe, grauem intolerabilemq; pauperibus, & inimicitias ultro procreantem. Qua ratione commoti Perſæ, commodari deceptibile quoddam, mendacijſq; refertum eſſe exiſtimant. Conſuetudine deinde temporis fœnus approbante, hi quidem ſecundum morem exigebant: illi uero ueluti ex bello & ſeditionibus redditiones exhibebant. Erant & qui fœneratores pœna mulctandos eſſe prædicarent. Quippe Aſellius Prætor, ad quem iſta ferebantur, cum fœnus diſſoluere nullo modo poſſet, iudicia illis uiciſsim attribuerat, quæ difficultatem ex moribus legeq; prodentem, diffinirent. Legem itaq; ueterem innouari moleſte ferentes,

Lib. 2. offic.

L. Florus lib. 3. cap. 12.

L. Florus lib. 3. c. 14.

L. Florus lib. 3. c. 23.

Fœnus cauſa ſeditionum.

Appi. lib 1. de ciuilibus Ro. bellis.

qui fœnus exercebant, seditione mota, Asellium interemere. Quæ cædes ac dissensiones, longo post tempore intestinæ ciuilesq; per partes extitere. Sed & multa sæpe tristia iudicia Romæ in fœneratores facta sunt, nimirum, ut horum ipsorum auaritia suppressa, seditiones uel ortæ comprimerentur, uel futuræ euitarentur.

Tit. Liuius lib. 7. ab urbe cond.

Postremo multas quoq; eiusdem generis seditiones, ex nostratibus Historijs commemorare possem, ex ijsdem ferè auaritiæ radicibus ortas: Quippe quarum aliæ propter mutationem monetæ, aliæ propter diminutionem libræ, aliæ propter nouas pensiones & uectigalia, aliæ propter salis, aliaq; noua & insolita tributa, aliæ propter subsidium rebus uenundandis impositum, aliæ propter iniustas exactiones, aliasue similes causas, in Germania, Gallia, Anglia, alijsq; nationibus excitatæ traduntur. Sed quarum exempla notiora uulgatioraq; sunt, his qui Historias norunt, quàm quæ debeant: & numerosiora, quàm quæ possint hoc loco omnia à nobis enumerari.

De bello Maced. & Asiat. lib. 5.

Seditiones ex Auaritiæ radicibus.

De seditionibus, quæ propter honores inæqualiter distributos, oriuntur, Cap. III.

IN distribuendis honoribus æqualitas seruari debet, quæ ut amicitiæ author est, ut est apud Platonem: ita inæqualitas discordiarum & seditionum causa. Neq; uero æqualitatem ita accipimus, ut æqualia omnibus omnia, id est, iuuenibus ac senibus, doctis & indoctis, stultis ac sapientibus, robustis ac debilibus, reddenda sint: sed ut cuiq; pro dignitate sua distribuatur. Quod quidem iustitiæ munus est, quam Aristoteles communium bonorum distributiuam uocat. Ea est, qua honores, præmia, & pœnæ, secundum æqualitatem proportionum honoris, præmiorum, dignitatis & meritorum, pœnæ item & delictorum, distribuuntur: alioqui inæquabilibus æqualia erunt inæqualia, ut idem Plato ait. Et ut summum ius in summam iniuriam uertitur: ita summa æqualitas, summa fit inæqualitas. Atq; ex hoc iustitiæ fonte emanant leges, quibus sancitur. In deferendis honoribus ordinem adhibendum esse, & rationem dignitatis personarum habendam, ut scilicet non alijs quàm dignis conferantur, & inter plures ijs, qui sunt digniores. Sed & à minoribus ad maiores perueniendum, nec ad honores assumendos esse, nisi idoneos: nisi idonei non erunt, qui honoribus fungantur: ac propterea spurios, facinorosos, Iudæos, hæreticos & infames, ab honoribus

lib. 5. Eth. c. 2. & 3. lib. 6. de legib.

L. honor §. de honorib. & l. ut gradatim ff. de munerib. & honorib. l. eum qui C. de Decurionib. lib. 10. l. contra C. de re milita. li. 12.

noribus & publicis muneribus esse repellendos. Similiter honoris augmentum non ambitione, sed labore ad unumquenq; deuenire debere. Item celsiorem gradum honorum eos obtinere debere, quibus laborum assiduitas, & stipendiorum prolixitas suffragatur. Item ad honores euehendos esse, quibus meritorum astipulantur insignia, & si quæ sunt similes. Fit autem sæpe, ut hac regula distributiuæ iustitiæ ab his, qui rebus publicis præsunt, neglecta, indigni ad honores uocentur: aut qui sunt minus idonei, his qui sunt digniores præferantur, & qui de Republica optime meriti sunt, honoribus arceantur: Contra uero facinorosis & infamibus hominibus publica munera, honoresq; demandentur. Quæ quidem summa inæqualitas est, propter quam boni iniuria se affici & neglectui haberi existimantes, ad iram concitantur: Et irati subinde uindictam meditantur. Est enim ira apparentis ultionis appetitus cum dolore, propter apparentem immerito uel in se, uel in suos contemptum, ut inquit Aristoteles: & cum uindicare se propter impotentiam non possunt, tum ad seditiones conuertuntur.

L. decurionatus ff. de uacat. mu. l. generat. §. spurios & l. spurij. ff. de decurionib. l. neq; famosis. C. de dignitatib. lib. 12. l. fi. C. de Tironib. lib. 12. l. si quando. C. de diuers. off.

Lib. 2. Rhetoricorum ad Theodect.

Vnde recte dictum est, inæqualitatem in distribuendis honoribus seditionum causam esse: ipsi enim inhonorati, alios honoratos cernentes, seditionem aggrediuntur. Cuius rei unum tantum ex Liuio exemplum proferre libet. Fabius Ambustus ex duabus filiabus alteram & minorem Licinio Stoloni illustri uiro, sed tamen Plebeio: alteram maiorem S. Sulpitio Patricio, coniugem dedit. Quarum Plebeia, cum sororē salutaret, cuius uir Tribunus militum consulari potestate erat, fasces lictorios foribus appositos, cum indecenter expauisset, ob id satis insolenter risui sorori fuit, miranti id ignorare sororem: Id ægre ferens se honore anteiri, à sorore patri causam doloris scisciranti, confessa simul & questa est, impari se iunctam esse, & in domo nuptam, quam nec honos, nec gratia intrare posset. Hæc patre cum genero communicante, gener animum ad Tribunatum conuertit, sperans in eo Magistratu ad alios etiam honores uiam sibi aperturum. Hinc seditio non parua inter Patricios & Plebeios orta. Siquidem C. Licinius, & L. Sextius Tribuni creati, promulgant leges: Vnam de ære alieno, ut deducto eò de capite quod usuris pernumeratum esset, id quod supereſſet, triennio æquis portionibus persolueretur. Alteram de modo agrorum, ne quis plus quàm quingenta iugera agri possideret. Tertiam, ne Tribunorum militum comitia fierent, Consulumq;: utq; alter ex plebe crearetur. Hæ igitur leges, utcunq; Appio Claudio resistente, tamen latæ sunt. Et primus Licinius Stolon Consul creatus est, ut Plinius scribit: alij tamen L. Sextium eiusdem ordinis factum esse existimant. Iam & ambitio eorum, qui ad honores etiam indigni aspirant, sæpe seditionum causa fuit: res quidem in

Exemplū de Fabio Ambusto.

Plin. de uir. illust. c. 20. Tit. Liuius li. 6. ab urb. cond.

conditam Bucephaliam uocauerit: cuius mortem quoq; acerrime tulit, amicum quendam & familiarem amisisse se existimans. Simile quiddam de equo Iulij Cæsaris tradit Suetonius, quem pedibus prope humanis, & in modum digitorum, ungulis scissis, apud se natum magna cura aluit, nec patientem sessoris alterius, primus ascendit. Quanto magis inter homines, opinio iustitiæ, prudentiæ, aliarumq; uirtutum obedientiam, eorum autem, quæ his contraria sunt, inobedientiam efficiunt, & subditos ad rebellionem aduersus dominos suos prouocant? Iam & ex eò inobedientia subditorum nascitur, quia à dominis suis in nimiam familiaritatem admittuntur. Nam ex conuersatione æquali, contemptio dignitatis nascitur. Proinde ueteres id præsidibus prouinciarum obseruandum esse putarunt, ut in adeundo quidem se faciles præberent, sed contemni tamen se minime sustinerent: ac propterea à nimia eorum familiaritate abstinerent, & ita in administrationibus publicis uersarentur, ut authoritatem dignitatis suæ non solum non minuerent, sed etiam ingenio suo augerent. Sed & humilitas loci, generis, uel conditionis, multis sæpe causa fuit, ut contemptui haberentur, & obedientia eis subtraheretur: Veluti si priuatus nullo antea publico functus munere, publicæ administrationi præficiatur, aut Plebeius dignitate nobilium decoretur, aut infimæ sortis homo regno administrando præficiatur. Quemadmodum Marius, triginta Tyrannorum unus, qui Gallieni tempore ad Imperij gubernacula euecti sunt: ex fabro ferrario in Imperatorem à militibus electus, cum triduo regnasset, à quodam milite, qui eius quondam in officina fabrili operarius fuerat, contemptus, & ab eodem etiam occisus est: his etiam interemptoris uerbis additis, Hic est gladius, quem ipse fecisti. Quanquam is generis sui & conditionis uilitatem adeo non ueritus est, ut de suo quoq; artificio nonnihil gloriatus sit. Siquidem eius Concio prima talis fuisse dicitur. Scio commilitones, posse mihi obijci artem pristinam, cuius mihi omnes estis testes. Sed dicat quisq; quod uult, utinam semper ferrum exerceam: non uino, non floribus, non mulierculis, non popinis, ut facit Gallienus, indignus patre suo, & sui generis nobilitate, depeream. Ars mihi obijciatur ferraria, dum me & exteræ gentes ferrum attrectasse suis cladibus recognoscant in Italia. Denicq; ut omnis Alemania, omniscq; Germania, cum cæteris quæ adiacent gentibus, Romanum populum ferratam putant gentem, ut specialiter in nobis ferrum timeant. Vos tamen cogitetis uelim, feciſse uos Principem, qui nunquam quicquam scierit tractare, nisi ferrum. Quod idcirco dico, quia scio mihi à luxuriosissima illa peste nihil opponi posse, nisi hoc, quod gladiorũ armorumq; artifex fuerim. Contra uero Maximinũ Imperatorẽ, siue superbia siue metu contemptus,

Suet. in Iulio Cæsare.

l. obseruandum ff. de off. præs.

Faber ferrarius factus Imp.

Concio eius ad milites.

contemptus, ita generis sui puduit, ut ignobilitatis tegendæ causa, omnes conscios generis sui interemerit. Fuit autem utroq; parente, patre & matre, barbaro natus, & in prima pueritia pastor, nonnunquam procer, qui latronibus insidiaretur, & suos ab incursionibus uindicaret. Author Iulius Capitolinus. Quemadmodum igitur florere Respublicas uidemus, si qui illis præsunt, prudentes sunt, iusti, atq; alijs uirtutibus præditi, & ut Plato dicit, si aut Philosophi imperent, aut Imperatores philosophentur: Quod uerbum Antonino Philosopho Imperatori frequens in ore erat. Ita tumultibus & seditionibus æstuent necesse est, in quibus dominantur, qui uel propter improbitatē, uel imprudentiam, uel propter nimiam familiaritatē, uel propter generis conditionem, aut fortunæ tenuitatem, à subditis contemptui habentur. Quales sane fuerūt uariq; militum in diuersis Romani orbis partibus seditiones, Gallieno Imperij gubernacula tenente, nimirum ob id concitatæ, quod is Princeps, tum propter uitam, quam egit turpissimam: tum propter res minus à se prudenter gestas, ac lubricam eius fallacemq; fidem, non solum à uiris, sed etiam à mulieribus contemptui habebatur. Vnde annos, quibus Gallienus & Valerianus Imperium tenuerunt, triginta Tyranni extiterunt: Quorum unusquisq; per rebellionem Imperatoris Romanorum titulum & nomen usurpauit. Inter quos & Zenobia & Victorina mulieres imperarunt, interim Gallieno uino & popinis uacante, ac Lenonibus se nimis & meretricibus dedente, ac bona naturæ luxuriæ continuatione deperdente: Et cum inter hæc tempora uarias mundi partes, Romano Imperio subditas, amitteret, quasi detrimentis uilium ministeriorum uideretur affici, iocabatur. Nam inter cætera cum nunciatum esset, Ægyptum defeciuisse, dixisse fertur. Quid, sine lino Ægyptio esse non possumus? Cum autem uastatam Asiam & Elementorum concursionibus, & Scytharum incursionibus comperisset. Quid, inquit, sine Aphronitris esse non possumus? Perdita Gallia, arrisisse ac dixisse perhibetur. Non sine Trabeatis Sagis tuta Respublica est? Illud ad humilitatem generis & conditionis pertinet, quod de Gratidio, C. Marij Proconsulis Asiæ legato refertur. Nam hunc à Proconsule ad L. Syllam Consulem accipiendarum Legionum causa missum, milites trucidarunt, id indignati, quod à summo Imperio ad eum, qui nullo in honore uersaretur, transire cogerentur. Iam uero & propter contemptū partium, inuicē sese spernentium, ad seditiones peruenitur. Veluti in paucorū potētia (libet enim exemplis Aristotelis uti) quando plures sunt illi, qui à Repub. excluduntur. Potentiores enim se putant: Et in populari statu opulenti, contemnentes inordinationē & malam administrationē eorum, qui Rempub. gubernāt. Ceu apud Thebanos post puguā in Oenophitis cōmissam, mala gubernatione

Iul. Capitol. in Maximinis duobus.

Trebellius Pollio de 30. Tyrannis.

Contempti bilis Imp. Gallienus.

Valerius Max. lib. 9. cap. 7.

Arist. lib. 5. pol. c. 3.

conditam Bucephaliam uocauerit: cuius mortem quoq; acerrime tulit, amicum quendam & familiarem amisisse se existimans. Simile quiddam de equo Iulij Cæsaris tradit Suetonius, quem pedibus prope humanis, & in modum digitorum, ungulis scissis, apud se natum magna cura aluit, nec patientem sessoris alterius, primus ascendit. Quanto magis inter homines, opinio iustitiæ, prudentiæ, aliarumq; uirtutum obedientiam, eorum autem, quæ his contraria sunt, inobedientiam efficiunt, & subditos ad rebellionem aduersus dominos suos prouocant? Iam & ex eò inobedientia subditorum nascitur, quia à dominis suis in nimiam familiaritatem admittuntur. Nam ex conuersatione æquali, contemptio dignitatis nascitur. Proinde ueteres id præsidibus prouinciarum obseruandum esse putarunt, ut in adeundo quidem se faciles præberent, sed contemni tamen se minime sustinerent: ac propterea à nimia eorum familiaritate abstinerent, & ita in administrationibus publicis uersarentur, ut authoritatem dignitatis suæ non solum non minuerent, sed etiam ingenio suo augerent. Sed & humilitas loci, generis, uel conditionis, multis sæpe causa fuit, ut contemptui haberentur, & obedientia eis subtraheretur: Veluti si priuatus nullo antea publico functus munere, publicæ administrationi præficiatur, aut Plebeius dignitate nobilium decoretur, aut infimæ sortis homo regno administrando præficiatur. Quemadmodum Marius, triginta Tyrannorum unus, qui Gallieni tempore ad Imperij gubernacula euecti sunt: ex fabro ferrario in Imperatorem à militibus electus, cum triduo regnasset, à quodam milite, qui eius quondam in officina fabrili operarius fuerat, conterritus, & ab eodem etiam occisus est: his etiam interemptoris uerbis additis, Hic est gladius, quem ipse fecisti. Quanquam is generis sui & conditionis uilitatem adeo non ueritus est, ut de suo quoq; artificio nonnihil gloriatus sit. Siquidem eius Concio prima talis fuisse dicitur. Scio commilitones, posse mihi obijci artem pristinam, cuius mihi omnes estis testes. Sed dicat quisq; quod uult, utinam semper ferrum exerceam: non uino, non floribus, non mulierculis, non popinis, ut facit Gallienus, indignus patre suo, & sui generis nobilitate, depeream. Ars mihi obijciatur ferraria, dum me & exteræ gentes ferrum attrectasse suis cladibus recognoscant in Italia. Denicq; ut omnis Alemania, omniscq; Germania, cum cæteris quæ adiacent gentibus, Romanum populum ferratam putant gentem, ut specialiter in nobis ferrum timeant. Vos tamen cogitetis uelim, feciisse uos Principem, qui nunquam quicquam scierit tractare, nisi ferrum. Quod idcirco dico, quia scio mihi à luxuriosissima illa peste nihil opponi posse, nisi hoc, quod gladiorũ armorumq; artifex fuerim. Contra uero Maximinũ Imperatorẽ, siue superbia siue metu contemptus,

Suet. in Iulio Cæsare.

l. obseruandum ff. de off. præs.

Faber ferrarius factus Imp.

Concio eius ad milites.

contemptus, ita generis sui puduit, ut ignobilitatis tegendæ causa, omnes conscios generis sui interemerit. Fuit autem utroq; parente, patre & matre, barbaro natus, & in prima pueritia pastor, nonnunquam procer, qui latronibus insidiaretur, & suos ab incursionibus uindicaret. Author Iulius Capitolinus. Quemadmodum igitur florere Respublicas uidemus, si qui illis præsunt, prudentes sunt, iusti, atq; alijs uirtutibus præditi, & ut Plato dicit, si aut Philosophi imperent, aut Imperatores philosophentur: Quod uerbum Antonino Philosopho Imperatori frequens in ore erat. Ita tumultibus & seditionibus æstuent necesse est, in quibus dominantur, qui uel propter improbitatẽ, uel imprudentiam, uel propter nimiam familiaritatẽ, uel propter generis conditionem, aut fortunæ tenuitatem, à subditis contemptui habentur. Quales sane fuerũt uarię militum in diuersis Romani orbis partibus seditiones, Gallieno Imperij gubernacula tenente, nimirum ob id concitatæ, quod is Princeps, tum propter uitam, quam egit turpissimam: tum propter res minus à se prudenter gestas, ac lubricam eius fallacemq; fidem, non solum à uiris, sed etiam à mulieribus contemptui habebatur. Vnde annos, quibus Gallienus & Valerianus Imperium tenuerunt, triginta Tyranni extiterunt: Quorum unusquisq; per rebellionem Imperatoris Romanorum titulum & nomen usurpauit. Inter quos & Zenobia & Victorina mulieres imperarunt, interim Gallieno uino & popinis uacante, ac Lenonibus se nimis & meretricibus dedente, ac bona naturæ luxuriæ continuatione deperdente: Et cum inter hæc tempora uarias mundi partes, Romano Imperio subditas, amitteret, quasi detrimentis uilium ministeriorum uideretur affici, iocabatur. Nam inter cætera cum nunciatum esset, Ægyptum defeciuisse, dixisse fertur. Quid, sine lino Ægyptio esse non possumus? Cum autem uastatam Asiam & Elementorum concursionibus, & Scytharum incursionibus comperisset. Quid, inquit, sine Aphronitris esse non possumus? Perdita Gallia, arrisisse ac dixisse perhibetur. Non sine Trabeatis Sagis tuta Respublica est? Illud ad humilitatem generis & conditionis pertinet, quod de Gratidio, C. Marij Proconsulis Asiæ legato refertur. Nam hunc à Proconsule ad L. Syllam Consulem accipiendarum Legionum causa missum, milites trucidarunt, id indignati, quod à summo Imperio ad eum, qui nullo in honore uersaretur, transire cogerentur. Iam uero & propter contemptũ partium, inuicẽ sese spernentium, ad seditiones peruenitur. Veluti in paucorũ potẽtia (libet enim exemplis Aristotelis uti) quando plures sunt illi, qui à Repub. excluduntur. Potentiores enim se putant: Et in populari statu opulenti, contemnentes inordinationẽ & malam administrationẽ eorum, qui Rempub. gubernãt. Ceu apud Thebanos post pugnã in Oenophitis cõmissam, mala gubernatione

Iul. Capitol. in Maximinis duobus.

Trebellius Pollio de 30. Tyrannis.

Contempubilis Imp. Gallienus.

Valerius Max. lib. 9. cap. 7.

Arist. lib. 5. pol. c. 3.

bernatione popularis ſtatus interijt. Et in Megarenſibus, cum per inordinationẽ & Magiſtratuum negligentiam ſuperati ſunt. Et Syracuſis ante Gelonis Tyrannidem: & Rhodij populus, antequam contra inſurgeretur. Et ad hoc genus refertur ſeditio, quam Romæ Canuleius, Tribunus plebis, aduerſus Patres cõcitauit, qua in id contendit, quod & tandem à Patribus etiam exegit, ut promiſcua eſſent plebis Patrumq; connubia, & ut alter Conſulum ex plebe crearetur.

Titus Liuius lib. 4. ab urbe condita.

Cauſa cõtemptus Laicorum contra Clerum.

Illud quoq; uidemus, in magnum ſæpe Laicorum contemptum uenire Epiſcopos, Prælatos, omnemq; adeo Clerum: quia uel indoctos eos, minusq; ad diſpenſanda miniſteria diuina idoneos, uel morum leuitate atq; turpitudine corruptos eſſe uident. Quæ res & ipſa multarum ſæpe ſeditionum, hæreſum, & ſchiſmatum, cauſa fuit. Nec id mirum quidem. Nam cum alioqui Laici Clericis oppidò ſint infeſti, tum in eos maxime eorum acerbantur odia, cum eos ipſos tum doctrina deficientes, tum uita & moribus ſcandalum alijs prębentes, uiderint. Vt ueriſsime à Beato Auguſtino dictum ſit, Neminem in Eccleſia Dei nocere amplius, quàm qui peruerſe agens, nomen uel ordinem ſanctitatis & Sacerdotis habet. Delinquentem nanq; hunc redarguere nullus præſumit, & in exemplum culpa uehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur. Nam hinc occaſionẽ nacti Laici, non ſolum culpabiles ipſos, ſed totum etiam ordinem Clericorũ contemptui habẽt. Quod & in maximum non modo ipſorum, ſed etiam ipſius Eccleſiæ damnum redundat. Ac propter talem contemptum aduerſus eos, ad grauiſsimas tandem ſeditiones, hæreſes, & ſchiſmata conuertuntur. Ac ex eadem cauſa hæreſes & ſchiſmata noſtri temporis, partim orta, partim etiam deinde propagata, noſcuntur. Etenim propter ignorantiam Epiſcoporum & ſacerdotum, inſtigatoribus Apoſtatis quibuſdam Monachis, eò proceſſerũt, ut iam non uereantur eos ipſos, tanquam ſacrarum ſcripturarũ rudes & indoctos, docendi & prædicandi munere indignos eſſe, pronũciare, & procul etiam arcere, ſed etiam hęc eadem ipſi (quod nullo, neq; diuino neq; humano, iure eis permiſsũ eſt) uſurpare, omnẽq; adeo tam docendi, quàm ſacra adminiſtrandi poteſtatem, Laicis, etiam nullo ſexus diſcrimine habito, & uiris & mulieribus permittere. Quæ res tandem eò etiam creuit, ut iam non uereantur Laici (quod & olim in Gallia factũ, ſed authoritate Ro. Pontificis denuo reſtinctũ fuiſſe, narrant hiſtoriæ) ſacerdotum ſermones, quos pro officio paſtorali ad populum habent, utriuſq; Teſtamenti teſtimonijs ut authoritatibus, ſiue in prauum ſenſum detortis ſcripturis ueros: ſiue ſecundum uerum diuinarũ ſcripturarum ſenſum falſos, in os prędicantium reſiſtentes, quin ipſis etiam Bibliorum locis in medium productis, reprobare.

c. nemo. 83. diſt.

Laicorum inſultationes contra Catholicorum conciones.

De seditionibus, quæ propter metum fiunt, Cap. V.

VEnio iam ad metum, quem & ipsum seditionũ causam esse diximus. Est autem Metus, instantis periculi uel futuri causa, mentis trepidatio. Sed & quod per uim fit, id metu quoq; fieri uidetur. Est autem uis maioris rei impetus, qui repelli non potest. Propter metum igitur ad seditiones deueniunt, qui instantium uel futurorum periculorum terrore perculsi, ea ipsa priusquam afferantur, declinare aggrediuntur. Veluti, si scelerati homines Iudiciorum metu aduersus Magistratus insurgant: aut subditi Tyrannorum uim & crudelitatem formidantes, ne tale quid patiantur, eorum Imperium auersentur. Ac in primo quidem genere conscientia scelerum, ac metu Iudiciorum exagitatus Catilina, seditionem in patriam omnium, nisi industria M. Ciceronis sopita fuisset, cruentissimam futuram excitauit. Huic enim ab adolescentia bella intestina, cædes, rapinæ, discordia ciuilis, grata fuere, qui & repetundarum reus, ad nullos honores peruenire potuit: Sed & familiares illi fuerunt Lentulus Antronius Cethegus, & quicunq; alienum æs conflauerant, quo flagitium & facinus redimerent. Propterea omnes undiq; parricidæ, sacrilegi, conuicti iudicijs, aut pro factis iudicium timentes: ad hoc, quos manus atq; lingua periurio, aut ciuili sanguine alebat. Postremo omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat: Quibus socijs confisus Catilina, propter metum infligendarum ob perpetrata facinora pœnarum, opprimendæ Reipub. consilium cœpit. Sic apud Rhodum olim nobilitas contra plebem insurrexit metu iudiciorum, quæ ibi parabantur.

L. 1. & 2. ff. de eo quid met. causa.

Metu iudiciorũ Catilina factus est seditiosus.

Iam & ex eadem causa nostris quoq; temporibus Anabaptistarum seditio conflata est. Nam & ipsi multorum sibi immanissimorum scelerum conscij, metu pœnarum in Anabaptistas non ita pridem constitutarum, ciuitatem Vuestualiæ Monasterium occupantes, ac ualidissimis præsidijs munientes, constituto inter ipsos Personato quodam rege, non solum Episcopo Monasterienſi, eius loci domino, sed uniuerso etiam Imperio rebellarunt. Quod malum procul dubio latius etiam serpsisset, nisi quorundam Principum & Ordinum Imperij potentia, restinctum & compressum fuisset. Ad alterum genus referuntur seditiones, quæ propter pœnas innocentibus inique, aut nocentibus durius, quàm oportet, irrogatas: aut aliàs iniurias subditis à potentioribus illatas, commouentur. Nam iustitiæ æquitatis q; ratio exigit, ut in irrogandis pœnis nihil à iudicante durius aut remissius constituatur, quàm causa deposcat. Nec enim seueritatis aut dementiæ gloria affectanda

Seditio Anabaptistarũ Monasterij.

l. respiciendum ff. de pœnis.

c. corripiatur 43.24. c. ita plane 23. 44.

ctanda est, sed perpenso iudicio, pro ut quęcp res expostulat, statuendum est: & ita constituendæ pœnæ & correctiones, ut ex charitate ueniant, non ex furore, pro culparum diuersitate diuersæ, uel minores uel ampliores, & ut delicta non sæuientis plectantur animo, sed medentis. Sane hac iustitiæ & æquitatis regula, in inferendis pœnis custodita, recte suum officium iudicantes, etiam sine subditorum offensione, absoluent: neglecta uero, occasionem præstabunt, ut & ad iram qui sunt offensi concitentur, & ne quid simile deinceps patiantur, formidantes, ad ultionem prouocentur. Atcp huiusmodi Gracchanę seditionis causam quidam fuisse putant, nempe Mancini Consulis, ob fœdus turpiter ictum, hostibus per Feciales factam deditionem. Quæ cum iniusta T. Graccho eiusdem fœderis authori uideretur, immanem ciuitatis dissensionem commouit. Sic & iniuria à Magistratibus affecti, subditi ad uindictam & seditiones conuertuntur. Atcp ex hac causa orta seditio est aduersus Tarquinium Superbum Regem, nimirum propter uim et libidinem ipsius in Lucretiam intentatam, & nefandum stuprum ei illatum, & miserabilem eius cædem, quæ & ob superbiam Regis, & uarias iniurias ab eo plebi illatas, miserias & labores plebis in fossas cloacascp exhauriendas demersas, eó uscp creuit, ut Imperium Regi abrogaretur, exulescp esse iuberentur, L. Tarquinius cum uxore & liberis. Similis & ex eadem causa orta seditio fuit, quam in urbe Decemuiratus libido conflauit. Nam in eo Imperio Appius Claudius eo insolentiæ elatus est, ut ingenuam uirginem stupro destinaret: oblitus & Lucretiæ, & Regum exactorum, & iuris, quod ipse composuerat. Quam rem, quum iniquo animo ferret puellæ pater Virginius, homo plebeij generis, & filiam in medio foro interfecit, & milites ad uindicandum facimus accendit: qui creatis Decem tribunis, Auentinũ occuparunt, Decemuiros abdicare se Magistratu præceperunt, eoscp omnes aut morte aut exilio punierunt. Eiusdem ferè generis est seditio, quam in militibus excitauit Appij Claudij sæuitia. Is enim cum plebem odisset plusquam paterno odio, quod opponente & resistente Cõsule, legem obtinuisset, ut Plebeij Magistratus tribunitijs comitijs fierent, &c. sæuo Imperio exercitum stimulare cœpit, eacp sæuitia eò inobedientię adegit exercitum, ut ipsius Imperium prorsus neglecto,

Vell. Paterculus lib. 2. Ro. hist.

Tit. Liuius lib. 1. ab urb. cond. Eutropius, l. 1.

Tit Liuius l. 3. ab urb. cond. L. Florus lib. 2. c. 24. Pli. de uiris illustris c. 21.

Pomponius Iureconsultus in l. 2. ff. de orig. iur.

productus in hostem, uoluntaria fuga terga hosti daret: & productus in hostem, non solum ut Fabianus exercitus uincere noluerit, sed etiam uinci uoluerit, ne triumphum imperati quæreret.

De seditionibus, quæ propter aliquorum præpotentiam & incrementum excessuum, in Republica fiunt.

Caput VI.

IN Republica bene constituta, certa amicitiarum, diuitiarum, et honorum, æqualitatis proportio esse debet. Quemadmodum enim in cæteris artibus æqualitas quædam proportionis obseruatur: a qua si discedatur, opus sibi nõ recte cõstare uidetur. Neq; enim pictor excedentem mensuram pedem animal habere patitur, quamuis pulcherrimus pes ille sit: neq; nauiũ artifex proram, aut aliam partem nauis: neq; magister chori, eum qui pulchriorẽ et meliorẽ toto choro uocẽ emittit, sinet in choro esse: Ita & in Republica, si quis superexcellat, quasi nullã ad cæteros æqualitatis proportionem habens, ciuili corpori minime congruere uidetur. Ideoq; & propter præpotentiã, & incrementũ excessuum, seditiones fiunt. Quorum illud ad singulares personas: hoc uero ad ordines Reipublicæ spectat. Primum igitur, si qui maiores & potentiores sunt, uel unus, uel plures, quàm secundum ciuitatẽ et potentiã Reipublicæ, mox consequitur, ut unius dominatio uel gubernatio uiolenta fiat, ut inquit Aristoteles. Vnde & qui ad eam ipsam consequendã contendunt, & qui aspirantibus ad eam reluctantur, ad seditiones deuenire solent. Sunt enim qui flagrantissima laudis et honoris cupiditate æstuãtes, quanto in Republica amplioribus honoribus fungũtur, tanto maiorum adipiscendorũ cupiditate accenduntur, nec ante satiantur, quàm dominationem in omnes sibi comparent: immo nec tum quidem satiantur, nisi & superbissimo dominatu quoscũq; libet pro libidine sua supprimant: grauiter ferentes, aliquid à se factum infirmari, ut de T. Graccho refert Velleius Paterculus. At talis sane Decemuirorum insolentia fuit, qui Consulari sibi mandata potestate abusi, primũ quidem insigne Imperij, quod penes unũ erat, in omnes retulerunt, ac omnes omnia proprijs libidinibus agitarunt. Itaq; inter cætera, quæ insolentissime cuncti præsumebant, cum hoc insigne regium in orbẽ suam cuiusq; uicẽ per omnes iret, subito omnes cum Duodenis fascibus, cæterisq; Imperij insignibus, prodierũt. Et de nouo improbę ordinationis incœpto, ablegata religione Consulũ, emicuit agmen Decem Tyrannorum, augentesq; insolentissimo fastu plurima, die quo deponere Magistratus mos erat, cum ijsdem insignibus processerunt. Qua re territis omnibus, non solum infimis, sed etiã primoribus Patrum: maxime uero plebe, quæ misere ab istis Tyrannis tractabatur. Nam & uirgis cędebant alios, alios securi subijciebãt, quorũ bona potẽtioribus donabãtur. De dominis suppliciũ

Arist. lib. 5. polit. c. 3. & lib. 3. pol. c. 9.

Lib. 2. Historiæ. Romanæ.

Titus L. lib. 3. ab urb. cond. Orosius lib. 2. c. 13.

Insolentia Decemuirorum.

sumebatur, acerrimum in ipsos odium conflatum est. Quod & eo processit (interim inuidiam augente Appij Claudij in Virginiam uirginem illata iniuria) ut non tam priuatæ iniuriæ uindicandæ, quàm publicæ libertatis asserendæ causa plebs ipsa in Auentinum secesserit, à quo etiam non ante discesserit, quàm Decemuiri se Magistratu abdicarunt. Ad eundem ferè mòdum, Sylla, Marius, Cæsar, Antonius, Lepidus, & plærique alij, summa ambitione ad summos honores contendentes, adeóque ad regnum aspirantes, in alios dominari, & rerum potiri uoluerunt: quæ res & ipsa maximas seditiones excitauit.

De seditionibus, quæ propter incrementum excessuum fiunt, Caput VII.

IAm & propter incrementum excessuum fiunt seditiones, non quidem singularium in Republica personarum. Nam hæ ad præpotentiam pertinent, ut antea diximus: Sed diuersorum potius in Republica ordinum, quorum & ipsorum certa æqualitatis proportio esse debet. Vt enim corpus ex partibus suis constat, quas simul pro modo quamque suo crescere oportet, ut commensurationis maneat harmonia, & nisi ita fiat, corrumpitur. Veluti, si pes quatuor cubitorum sit, reliquum uerò corpus duorum palmorum longitudinem habeat, interdum etiam in alterius animalis figuram transire queat, si non solum quantitate, uerum etiam qualitate immoderatum fieret incrementum. Et quemadmodum in fidibus ac tibijs, atque cantu ipso ac uocibus, concentus est quidam tenendus, ex distinctis sonis certa proportione concinentibus, isque concentus ex dissimillimarum uocum moderatione, concors tamen efficitur, & congruens. Qui mutata uocũ proportione, in eã dissonantiam transmutatur, ut ne ferri quidem ab eruditis auribus possit: Ita & ciuitas & Respublica diuersis ordinibus, uelut ex partibus, constat. Cuiusmodi exempli causa in Republica Romana fuerunt Ordines Patritiorum, Equitum & Plebeiorum: qui si certa inter se proportione consentiant, tum bene constituta & concors Respublica dicetur, nimirum ex summis, mediis, & infimis interiectis Ordinibus, ut sonis consensu dissimillimorum concinentibus, certa ratione coalita: & quæ harmonia in Musicis dicitur, ea in ciuitate concordia appellatur, arctissimũ uidelicet & optimum in Republica uinculum incolumitatis. Sin uero mutata partium ciuitatis harmonia & concordia, unà pluresue latenter succrescant, dissonantia & discordia inter eas oriatur necesse est. Sic Romana Respublica tum recte sibi constitit, & ex omni parte secum ipsa consensit, quando summis, mediis,

Aristot. lib. 5. Polit. c. 3.

Commensuratio partium in corpore.

August. lib. 2. c. 21. de ciuitate Dei, qui refert Ciceron. lib. 2. de repub.

medijs, & infimis Ordinibus Patritiorum, Equitum, & Plebeiorum, suus cuiq; honos ex dignitate sua delatus & datus fuit, æqualitate proportionis ubiq; seruata. Contra uero male cohæsit, ac uarijs discordijs & dissensionibus attrita, sucrescere & extolli contra morem maiorum unus Ordo super alium, & ad ampliores dignitates aspirare cœpit. Cæterum duo sunt, quibus incrementum excessuum in Republica fit: Fortuna & Industria. Per fortunam fit, uelut apud Tarentum (ut refert Aristoteles) cum superati prælio, ab Iapygensibus nobilitatis magnam partem amisissent, & Argiui post cædem suorum in Hebdoma à Cleomene Sparciata factam, coacti sunt, Inquilinos quosdam ad Rempublicã recipere. Et Athenis cum terra male pugnaretur aduersus Lacedæmonios, nobilitas attenuata est, cum ex descripto se submittere ad bellum cogeretur. *Arist lib. 5. Polit. c. 3.*

Per Industriam autem fit, ueluti cum unus Ordo alteri honoris & dignitatis prærogatiuam data opera præripit. Quod Equites opera Tiberij Gracchi fecerunt, qui iudicijs à Senatu in Equestrem Ordinem trãslatis, legem tulit, ut Equester Ordo bis tantum uirium in Senatu haberet, quàm Senatores ipsi. Statuerat enim, ut 300. Senatores essent, Equites 600. ex qua re multæ subinde seditiones coortæ fuerunt: Quibus in tantum aucta potestas Equitum fuit, ut fata fortunasq; Patrum, uitasq; Principum, in manu haberent, qui & interceptis uectigalibus, iure suo Rempublicam peculati sunt. Sed nec nostris temporibus huiusmodi seditionum fomenta desunt, quibusdam Ordinibus Imperij, alijs quidem suas honorum dignitatumq; prærogatiuas præripere, eosq; uelut in Ordinem redigere conantibus: Alijs uerò ad nouos honores, quibus hactenus nunquam functi sunt, aspirantibus. Quæ res, ut multis sæpe odiosis contentionibus in conuentibus procerum agitatæ sunt: ita nisi Cæsaris intercessione, siue authoritate potius aliquando componãtur, periculum est, ne quæ iam uelut priuata sunt singulorum Ordinum, ea euentu aliquo non bono, quasi publica mala olim in Rempublicam sint redundatura. Neq; uero ob augmentum tantum, sed etiã ob nimiam extenuationem aliquorũ Ordinũ, in reliquis incrementũ excessuum fieri cõtingit. Quę enim proportio esse potest, ubi potẽtiores omnia, tenuiores uel pauca uel nihil possident? Quę concordia, ubi non solum de bonis cõmunibus nihil participant pauperes: sed etiam quæ sunt eorũ propria, à potentioribus diripiuntur? pares quidẽ in oneribus sustinẽdis, in cõmodis uero participãdis prorsus excluſi. Quales temporibus Gracchorum Romæ fuerunt Plebeij, de quibus in concione Tiberius Gracchus dicere solebat. Feras quidem bestias lustrum atq; tectum, quo se reciperent, in Italia habere: illis uero, qui quotidie pro Italia pugnarent, atq; interirẽt, præter aërem ignemq;, nihil in Italia esse, sine lare, sine sede, cũ liberisq; coniugibusq; uagari. *T. Liuius lib. 85. & 60. Appianus lib. 1. bell. ciuil.* *Plutarchus in Gracchis.* *Querela inuidiosa cõtra potentes.*

Mentiri autem Imperatores Romanos, cum milites hortarentur, ut pro aris atq; focis depugnarent. Carere enim ijs Romanos ciues, non lares paternos, non monumenta maiorum eos tenere: sed pro aliena luxuria opulentiaq; pugnare, pro alijs uulnera ac mortes subire, dominos orbis terrarum uerbo quidem appellari, re autem uera, terræ glebum non habere. In hac igitur inæqualitate, ut olim plebs Romana à Patribus secessit: ita nihil mirũ, si & hodie ex simili causa tenuiores ad seditiones aduersus diuites excitentur. Quippe non solum iniuriæ atrocitate, ad uindictæ cupiditatem accensi, sed etiam paupertatis onere pressi, ad nihil non audendum prouocati. Nam (ut uulgo dici solet) nihil boni suadet paupertas, et ut Poëta inquit.

Horatius ode 23. lib. 3.

Magnum pauperies opprobrium iubet,
Quicquid uis & facere & pati,
Virtutisq; uiam deserit arduæ.

De seditionibus, quæ propter dissimilitudinem loci, & naturalis originis eorum, qui in una Republica degunt, oriuntur, Caput VIII.

QVam & dissimilitudo eorum, qui in una Republica uersantur, ciuiliũ discordiarũ causa est. Hæc Quinq; ferè ex rebus nascitur. Origine & loco, genere, officio, artificio, & religione. Propter originem & locum dissimiles sunt, qui ex diuersis locis naturalem originem ducunt, ut Germanus et Hispanus, Gallus & Anglus, indigena & alienigena. Propter genus dissimiles sunt, qui stirpe & gentilitate disiuncti sunt, ut nobiles & plebeij. Officio, qui diuersis in Republica muneribus funguntur, ut Doctores, scribæ, milites. Artificio, qui diuersas artes profitentur, ut Lanij & fullones, fabri, ferrarij & aurifabri, &c. Propter religionem dissimiles sunt, ut Iudæi, Christiani, Catholici & hæretici, Lutherani & Zuingliani. Propter dissimilitudinem igitur originis seditiones oriuntur, inter milites diuersarum nationum in uno exercitu, ueluti si Itali et Germani, Galli & Hispani, Franci et Sueui, inter se in uno exercitu discordent: aut in una ciuitate Iudæi & Gentiles, qualem circa Cæsaream inter Iudæos & Syros Iosephus ex tali fere causa commotã fuisse tradit. Iudæi siquidem postulabant, ut eorum fieret ciuitas, Iudæum eius fuisse conditorem dicentes: Erat autem rex Herodes. Æmuli uero Syri, conditorem quidem fatebantur Iudæum, ipsam uero ciuitatem fuisse Gentilium uindicabant. Ob has ergo causas inter se populus uterq; iurgabat, et contentio usq; ad arma procedebat, &

Ioseph. lib. 2. de bell. Iud. c. 12.

& quotidie ad conflígendum audaces quiq; partes alterutræ prosiliebant. Neq; enim Iudæorum seniores cohibere tumultus gentis suę poterant, & Græcis turpissimum uidebatur, Iudęis inferiores uideri. Similiter inter alienigenas & indigenas, rara est in una & eadē ciuitate cōcordia, ut Aristoteles scribit. Ego uero plurimū referre puto, plures ne sint an pauci, qui in ciuitatē admittūtur alienigenę: et an artibus & moribus ciuitatis imbuti sint, an eorū rudes et imperiti. Quoniā si pauci fuerint, & si cū cæteris dissentiant: tamen, quia & numero & uiribus indigenis inferiores sunt, nullū ab eis dissensionis periculū erit. Sin uero uel numero, uel potētia superiores, tū uiribus suis confisi, facile ad seditiones conuertūtur. Cuius rei aliquot exēpla ab Aristotele referuntur. Quale est, quod Achæi Sybarim una cum Trœzenijs incolentes, Trœzenios pepulerunt. Vnde ortum est odium Sybaritis: & in Turijs idem fecerunt Sybaritæ, contra illos qui eos receperant. Nam plus habere uolentes, de suis agris pulsi sunt. Et apud Byzantium aduenæ in oppressionem ciuium coniurati, cognita re, prælio & armis expulsi sunt. Et Amissæi exules ex Chio susceptos, tandem armis deijcere coacti sunt. Sanctæi uero, qui Samios receperūt, mox ab eis sunt propria ciuitate deiecti. Appolloniatę, qui sunt in Euxino ponto, aduenis receptis, seditione agitati sunt. Et Syracusani post Tyrannos expulsos, cum hospites & conductos milites fecissent ciues, in seditionem & prælium inciderunt. Et Amphipolitæ, receptis Chalcidensium colonis, pulsi tandem ab illis sunt fere omnes. Et ad eundem modum artium & morum ciuitatis ignari & imperiti alienigenæ, facile ad seditiones aduersus indigenas concitantur. Inter quos tamen haud ægre concordia coalescit, si diutina consuetudine ijsdem artibus & moribus fuerint assuefacti, non secus atq; si equos iungas inter se ignotos, qui ab initio quidem non facile sese ferunt: at ubi diutina assuetudine alter alterius habitui assueuerit, tum facile sub idem iugum coalescunt, & concordes fiunt. Atq; hac sane ratione Romani olim alienigenas, non solum ciuitate Romana donarunt, sed publicos etiam honores & munera, eis detulerunt. De qua re pulchra admodum Claudij Imperatoris ad Senatum apud Cornelium Tacitum extat oratio. Nam cum de supplendo Senatu ageretur, ac primores Gallię, qui fœdera & ciuitatem Romanam pridem assequuti, ius adipiscendorum honorum in urbe expetissent, ac multus super ea re uariusq; rumor, & studijs diuersis apud Principem certaretur: asseuerantiū, non ita ægram Italiam, ut Senatum urbi suæ suppeditare nequiret, suffeciſſe olim indigenas consanguineis populis: nec pœnitere ueteris Reipublicæ Princeps contra disseruit, & uocato Senatu, ita exorsus est. Maiores mei, quorum antiquissimus clausus origene Sabina, simul in ciuitatem Romanam, & in familias Patritiorum

Arist. lib. 5. pol. c. 3.

Oratio Claudij Imp. in Senatu. *Cor. Tac. lib. 11. Aug. hist.*

aſcitus eſt, hortantur uti paribus Conſilijs Rempublicam capeſſant, transferendo huc, quod uſquam egregium fuerit. Neq; enim ignoro Iulios Alba, Coruncanos Camerio, Porcios Tuſculo: & ne uetera ſcrutemur, Etruria Lucaniaq; & omni Italia in Senatum accitos. Poſtremo ipſam ad Alpes promotam, ut non modo ſinguli uiritim, ſed terræ gentesq; in nomen noſtrum coaleſcerent. Tunc ſolida domi quies, & aduerſus externa floruimus, cum Tranſpadani in ciuitatem recepti, cum ſpecie deductarum per orbem terræ legionum, additis prouincialium ualidiſsimis, feſſo Imperio ſubuentum eſt: num pœnitet Balbos ex Hiſpania, nec minos inſignes uiros è Gallia Narbonenſi tranſiuiſſe? Manent poſteri eorum, nec amore in hanc Patriam nobis concedunt. Quid aliud exitio Lacedæmonijs & Athenienſibus fuit, quanquam armis pollerent, niſi quod uictos pro alienigenis arcebant? At conditor noſtri Romulus, tantum ſapientia ualuit, ut plæroſq; populos eodem die hoſtes, dein ciues habuerit. Aduenæ in nos regnauerunt. Libertinorum filijs Magiſtratus mandati: non, ut plæriq; falluntur, recens, ſed priori populo factum eſt. At cum Senonibus pugnauimus, ſcilicet Volſci & Equi nunquam aduerſam nobis aciem inſtruxere? Capti à Gallis ſumus, ſed & Tuſcis obſides dedimus, & Samnitum iugum ſubiuimus: Attamen ſi cuncta bella recenſeas, nullum breuiore ſpacio, quàm aduerſus Gallos confectum, continua inde ac fida pax. Iam moribus, artibus, affinitatibus noſtris mixti, aurum & opes ſuas inferant potius, quam ſeparati habeant. Omnia P.C. quæ nunc uetuſtiſsima creduntur, noua fuere: Plebeij Magiſtratus, poſt Patritios: Latini, poſt Plebeios, cæterarum Italiæ gentium, poſt Latinos. Inueteraſcet hoc quoq;, & quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit. Hæc Claudius Princeps. Quam ſententiam ſecuto Senatu, mox Heduis Senatorum ius in urbe datum eſt.

Romuli ſapientia.

P.C. Patres Cõſcripti.

Reſpu. ab alienigenis bene adminiſtrata.

Sed & maiore ſæpe cum laude & gloria Reſpublicæ, ab alienigenis quàm indigenis adminiſtrantur, ut recte dictum ſit.

Multi ſuam rem bene geſſere, & publicam patria procul.
Multi qui domi ætatem agerent, propterea ſunt improbati.

Ennius apud Ciceronem in epiſt. ad Trebatium.

Qua ſane ratione factum eſſe putauerim, ut Romanorum Imperatorum Conſtitutiones, olim in deferendis publicis muneribus, alienigenas indigenis prætulerint. Tametſi enim indigenę naturali quodam neceſsitudinis uinculo patriæ & ciuibus aſtricti ſint, propter quod & publicam utilitatem, magis quàm alienigenæ curare præſumuntur, ut pulchre alibi docet Ioannes Neuizanus: Et apud Xenophontem eadem de re pulchram ſententiam profert Cyrus.

Io. Neuizanus in conſ. ſuo, quod eſt inter conſ. Alberti Princ. 12.

Xenophon li. 8. de pædia Cyri.

Cyrus. Itaq; , inquit, si alios quosdam tentabis regni concustodes efficere, nusquam aliunde: prius incipe quam ab eo, qui ex eodem loco natus est. Quare & homines ciues alienis præferendi sunt: & qui unà sunt aliti, ijs, qui contubernales non sunt: Tamen propter eam ipsam naturalem charitatem, qua se complectuntur indigenæ, ueteres ueriti, ne Præpositi publicis officijs multa in ciuibus corrigenda per gratiam dissimularent: Tum etiam, quia uidebant indigenas minus timori esse, & ut Euangelica uox habet, raro in patria sua gratum & acceptum esse Prophetam, alienigenis ea, quàm indigenis demandare maluerunt. Quod multis legibus declaratur. Quales fere sunt. Nulli patriæ suæ administratio, sine speciali permissu Principis, admittatur. Item, Nullus in prouincia, in qua oriundus est, uel in qua habitat, siue larem constituit, publicum officium gerere debet. Item, In prouincia propria non debet quis administrationem sumere, nisi ex certa scientia id ei concedatur à Principe. Item, Nemo in prouincia sua assidere potest ultra tempus, à constitutionibus concessum, quod est quatuor Mensium.

Luc. 4.

Leges in fauorem alienigenarũ.

l fi. C. de off. rect. Prouinciæ.

l. nullus. C. de diuersis off. li. 12.

l. fi. C. de cri. sacrilegij. ubi Saly.

l. hij qui ff. ex quib. caus. maior.

l in consiliarijs C. de Assess. orib.

Immo & pœna in eos constituta fuit, qui in sua prouincia ultra tempus à iure destinatum, iudicibus assedissent. In Consiliarijs (inquiunt, Theodosius & Valentinianus) obseruari censemus, ut in eum, qui in sua prouincia ultra quatuor Menses moderatoribus assederit, aduersus leges antiquas, & diuorum retro Principum scita, proscriptio bonorum, & accusatio publicæ crimimis, immineat.

Bald. in l. Parabolam. C. de Epis. & Cle.

Cæterum in deligendis Magistratibus extraneis, ea moderatio seruanda erit, ut populo, cui gubernando præponuntur, accommodati sint, gnari uidelicet & consuetudinis eorum, & in primis linguę patriæ, ut scilicet Græcis præsint, qui sciunt Gręce: qui autem Romane loquuntur, his præsint, qui eandem locutionem habent. Sic & Italis Italicæ, Germanis Germanicæ, Gallis Gallicæ, Hispanis Hispanicæ linguarum periti adhibeantur. Quod si enim secus fiat, accidit, quod Apollonius apud Philostratum in Peloponeso accidisse testatur. Nam cum illic uir præsideret, Græcæ linguæ ignarus, ita, ut nec ipse Græcos, nec ipsum Græci intelligerent: errabat ipse plærunq;, & in multis etiam fallebantur Peloponesiaci. Assessores nanq; Consiliarij & iudicij consortes, pecunia corrupti, peruerse causas iudicabant: calumnias in Præsidem, uelut in seruum, referentes. Sed & honestissimos esse oportet, quibus in aliena prouincia uel ciuitate publica munera demandantur. In electionibus siquidem id obseruatur, ut boni sint, qui eliguntur, si fuerint indigenæ: optimi, si alienigenæ.

Ne ignotæ linguæ prę ficiantur Magistratus.

Philostratus libro 5. de uitâ Apollonij.

Gl. in c. licet. 8. q. 1.

De seditionibus, quæ propter dissimilitudinem generis, officiorum et artium, excitantur, Cap. IX.

Diſsidia inter Nobiles & Plebeios.

INter seditiones, quæ propter diſsimilitudinem generis & ſtirpis oriuntur, frequentiores ſunt, quas inter ſe Nobiles & Plebeij concitant. Illi quidem, quia nobilitate generis freti, ſpretis Plebeijs, publica munera & honores ſoli, et quaſi ex debito poſcunt: Hij uero, quia uirtutem magis quàm nobilitatem gentis, in ijs qui ad honores uocandi ſunt, ſiue Nobilibus ſiue Plebeijs, ſpectandam: nec aditum ad honores Plebeijs, fortibus alioqui & ſtrenuis, ob generis humilitatem præcludendum, eſſe cenſent. Ac tales quidem olim fuerunt Tribunitię ſeditiones, ex concertationibus uidelicet Conſulum, & Tribunorum plebis ortæ: Quarum multa quidem ex hiſtorijs Romanis exempla proferri poſſent, ſed quæ hiſtoriarum ſtudioſis notiora ſunt, quàm quæ hoc loco enumerentur.

Diſcordiæ inter Conſules et Tribunos plebis.

T. Liuius li. 2. ab urb. cond. Dionyſ. Halicar. lib. 6.

Cæterum, quod ad cauſas huius generis ſeditionis pertinet, non aliunde facilius & perfectius cognoſcentur, quàm ex orationibus, quas inter ſe diſſentientes Conſules & Tribuni, Nobiles & Plebeij, uel gliſcentibus iam uel graſſantibus ſeditionibus, habuerunt. Cuiuſmodi ferè ſunt, quas Appius Claudius in prima ſeceſsione plebis in montem Sacrum: Martius Coriolanus, Tribunitię poteſtatis hoſtis, ante damnationem ſuam aduerſus Plebeios: & rurſus, quas Marcus Valerius pro Plebeijs aduerſus Appium Claudium, & L. Brutus aduerſus Martium Coriolanum. Similiter, quas Gracchi, alijq; in fauorem Plebeiorum, pro legibus Agrarijs dixerunt: Quibus haud abſimilis eſt oratio Marij, qua ſe etiamſi nouum hominem, honoribus tamen dignum, ac Nobilibus etiam nulla uirtute prędítis, quantalibet ueteris proſapiæ dignitate ac maiorum imaginibus ſplendentibus, præferendum eſſe demonſtrat. Et Cicero ſuo quoq; tempore gloriatur, ſuo labore perfectũ, ne uiris fortibus ignobilitas generis obijceretur: Et clauſtra nobilitatis ita à ſe fuiſſe refracta, ut aditus ad Conſulatum non magis nobilitati, quàm uirtuti pateret. Quibus ſane alijſq; innumeris propè eiuſdem generis orationibus, perſpicuum fit, ex eo maxime diſcordias inter Nobiles & Plebeios ſuboriri. Quia Nobiles à uirtute maiorum ſuorum degenerantes, nec famam eorum & gloriam ſua quoq; uirtute adæquantes, indignos ſe eſſe muneribus & honoribus, quibus funguntur, demonſtrant: Imperiũ in Plebeios ſuperbe magis & inſolenter, quàm prudenter exercentes. Plebeij uero & noui homines, qui olim per uirtutẽ Nobilitatem ſoliti erant anteuenire, furtim & per latrocinia potius, quam bonis artibus ad honores & Imperia nitũtur. Quod ſæpe Tribunos feciſſe legimus, qui cõcordię impatientes, non ſolũ ad nouos ſemper honores contenderunt: ſed & ægri aliquid in Republica eſſe uoluerunt,

Saluſt. in bello Iugurthino.

Cicero in oratione pro L. Murena.

Saluſtius in bello Iugurthino. T. Liuius ab urb. cond. lib. 4.

runt,ut esset, ad cuius curationē ipsi à plebe adhiberentur. Vnde & semper nouandi res causas inuenerunt,ac plebis animos,quo minus dicto patrū audientes essent,& obedientes sollicitarunt. Nam ad hūc modū dissoluta uera illa in Repub.& consonante Harmonia,& Ordinum concordia, omnia quoq; seditionibus agitentur necesse est. Propter dissimilitudinē officiorū fiūt seditiones, quoties Magistratus diuersis officijs prępositi,inter se discordāt,ut iam de Consulibus & Tribunis dictū est: Qui inter se digladiantes, sępe atrocissimas seditiones concitarūt. Cuius rei multa apud Liuiū,alioscq; Romanarū Historiarū scriptores,exempla reperiūtur. Et ex eadem ferè causa,inter sacros quoq; Magistratus interdū seditiones oriuntur,qualis est, quam alibi ex Iosepho refert Euseb. Inflāmatur aūt,inquit, seditio acerbissima a Pōtificibus,aduersum Sacerdotes et Primarios plebis Hierosolymorū,quorū singuli conquirentes sibimet perditorū iuuenū, et nouis rebus gaudentiū manum,Duces semetipsos propriq; factionis instituebāt,qui cōfligentes ad inuicē,primo cōuitijs lacessere,tum deinde & saxis sterner e:nec quisq; erat, qui coĕrceret,sed agebantur omnia tancq; in urbe non habente Rectorē. Igitur Pontifices in tantā uenere proteruiā,ut seruis suis ad areas missis,inuaderent decimas, quę Sacerdotibus debebātur:et accidebat,ut nonnulli ex minoribus Sacerdotibus,quorū alimoniæ ui fuerāt direptæ,inedia deperirent, ita seditionū uiolentia, ius fasq; confuderat. Quin sępe etiā propter discordiā Collegarū,in eodem officio seditiones cōmouentur,qualis fuit,quæ Cæsare et Bibulo, simul Consulatū administrātibus,coorta est: ac tanta quidem atrocitate,ut ad uulnera tandē peruentū fuerit, ut Appianus scribit. Sic Appij Claudij,et P. Seruilij Consulū cōtrarijs studijs effectū est,ut seditio plebis aduersus patres,propter nexos ob æs alienū concitata, quam antea Seruilius cōposuerat,solo Appij in Collegam odio demū recruduerit. Sed & propter dissimilitudinem artiū,qui eas profitentur, ad seditiones deueniūt,ad quod genus referūtur Philosophorū concertationes,quarū sæpe in Dialogis suis meminit Lucianus. Et ad eundem modum aliarū quoq; artium professores, discordare solent:Cuiusmodi olim fuerūt contentiones Thomistarū & Scotistarū in Theologia,et aliorū similiter in alijs artibus professorum. Sed & æmulatio quædā inter mechanicos artifices esse solet,propter quam ad discordias peruenīūt. Immo & sępe unius et eiusdē artis professores inter se dissentiūt,quę tamē cōcertationes plęrūq; magis prodesse solēt cq; obesse,ut alibi testatur Hesiod.

Semper, inquit, uicino uicinus est æmulus, hunc ut
Condere cernit opes, properantem gnauiter, atqui
Concertatio conducit mortalibus ista.
Odit ita fabrumq; faber, figuloq; molestus
Est figulus, mendico protinus inuidet alter
Mendicus, Cantor Cantorem liuidus odit.

Liuius lib. 2, et 3. ab urb. cond.

Euseb. in Eccles hist. lib. 2 c. 20.

Discordia inter Consules Collegas.

Appianus lib. 2. de bellis ciuilib.

T. Liuius lib. 2 ab urb. cond.

Contentiones inter artium professores.

Aemulatio inter artifices.

Hesiodus in opere, cui titulus: Opera & Dies.

De sedi-

De seditionibus, quæ ex diuersitate atq; dissimilitudine Religionum descendunt, Cap. X.

PRopter dissimilitudinem Religionis fiunt seditiones, pluribus uidelicet inter se dissentientibus in Religione, uel unà & eadem, uel pluribus & diuersis. In unà & eadem, ut quando in Ethnicorum Religione Ethnici: in Iudaica Iudæi: in Christiana, qui nomen in Baptismo Christo dederunt, Christiani inter se discordant. In diuersis, ut quando cum Christianis uel Iudæis Pagani: uel cum Paganis Iudæi, de his quæ ad alterutrorum Religionem pertinent, altercantur. Ac ad primum quidem genus pertinet seditio, quæ olim Romæ propter sacra Bacchanalia orta est. Ea eiusmodi fuit. Erat locus, quem Bacchis sacrum esse fingebant eius seditionis authores. Id autem sacrarium fœminarum erat, nec quenquam uirum eò admitti solitum: ac primum quidem tres in anno statutos dies habebant, quibus interdiu Bacchis initiarentur, non uiri, sed mulieres. Deinde mutato in diuersum ritu, ex diurno sacro factum est nocturnum, & pro tribus in anno diebus, quinos singulis mensibus initiorũ dies fecerũt, quibus non solũ fœminę, sed etiam uiri initiabantur: nec initiabantur annis 20. Captabãt enim ætates & erroris et stupri patientes. Ex quo inde promiscua sacra facta sunt, & permixti uiri fœminis, & noctis accedente licẽtia, nihil ibi facinoris, nihil flagitij prætermissum. Plura uirorum inter se, quàm fœminarum stupra, & ut quisq; introducebatur, simul Sacerdotibus uelut uictima tradebatur. Sed & locus talis erat, qui circumsonabat ululatibus, cantuq; Symphoniæ, & Cymbalorum & Tympanorum pulsu, ne uox quiritantis, cum per uim stuprum inferretur, exaudiri posset: Et si qui minus patientes dedecoris erant, & pigriores ad facinus, eos pro uictimis immolari nihil nephas ducebant. Hæc summa inter eos Religio erat, uiros uelut mente capta, cum iactatione fanatica corporis, uaticinabantur: Matronæ Baccharum habitu, crinibus passis, cum ardentibus facibus, decurrebant ad Tyberim, demissasq; inaquam faces, quia uiuum sulphur cum calce inerat, integra flamma efferebant, raptos à dijs homines dicebant: Quos machinæ illigatos, ex conspectu in abditos specus abripiebant, eos esse dicebant, qui aut coniurare, aut sociari facinoribus, aut stuprum pati noluissent. Ac sub tali quidem prætextu Religionis, supra septem millia uirorum ac mulierum conspirarunt, tantaq; perditorum utriusq; sexus hominum multitudo conflata fuit, ut uix discuti tam nefaria coniuratio posse uideretur: Sed quæ tamen Posthumi Consulis prudentia & consilio, sine tumultu & cæde, tandem compressa & extincta est.

T. Liuius lib. 9. de bello. Maced. & Asiat.

Atq;

Atq; huic haud dissimilis est Biccardorum seditio, ante annos plus minus Centum et uiginti, in Bohemia ortã, & à Biccardo quodam ex Gallia Belgica nomen sortita. Is non paruam mulierum uirorumq; plebem ad se trahens, ac nudos incedere iubens, nouam sectam instituit, sectatoresq; suos Adamitas uocauit, occupata insula quadam amne Lusmitio cincta, filium Dei se dixit, & Adam uocari. Connubia eis promiscua fuere, nephas tamen iniussu Adam mulierem cognoscere: sed ut quisq; libidine incensus, in aliquam exarsit, eam manu præhendit, & adiens Principem. In hanc, inquit, spiritus meus concaluit. Cui Princeps. Ite, inquit, crescite, et multiplicabimini, & replete terram. Ex his Quadraginta uiri insulam exiere, & intrantes uicinas uillas, euaginatis gladijs, super Ducentos homines agrestes interfecere. Hæc & alia de ipsis scribit Æneas Syluius.

Secta Adamitarum authore quodam Biccardo.

Æneas Syluius in hist. Bohemica cap. 41.

Hos nostra ætate sequuti Anabaptistæ, simili prope furore & ijsdem ritibus, uenere usi sunt publica & mixta. Adeo non cessat Diabolus, semel sopitas impietates & errores, denuo in multorum perniciem uelut ab Orco reuocare, quoties occasio offertur. Sed nec nouam fuisse crediderim eam, quam à Biccardis introductam fuisse sectam dixi. Nam & Epiphanius, qui Basilio Magno, & Gregorio Theologo, & Ioanni Chrysostomo, contemporaneus fuit, temporibus Valentis & Gratiani, circa annum à natiuitate Domini Quadringentesimũ, Adamitarũ hæresim fuisse refert: ideo sic appellatorum, quia & ipsi nudi incesserunt, quippe latibula & speluncas in Hypocaustis, idest, locis qui subtus incenduntur, habuerunt: quas ingressuri, siue uiri siue mulieres, foris exuebãtur, & sic nudi ingrediebãtur, uelut ex matre uniuerso corpore.

Lib. 2. To. 2. hæres. 52.

Eiusdem generis est seditio, cuius alibi meminit Iosephus, quam apud Iudæos Eleazarus dux militum, temporibus Claudij Imperatoris, ex tali ferè causa commouit. Quia cum hostias Cæsaris, quæ pro Romano populo offerri solitæ erant, reiecisset, persuadens his qui sacrificijs ministrabant, ut nullius munus aut hostia, qui non esset de Iudæorum gente, susciperetur: Contra uero Pontifices & Pharisæi, non solum Iudæorum, sed etiam gentium munera recipienda dixissent, idq; maiorum suorum exemplo, qui exterarum etiam Gentium sacrificia susceperint: maximus propter huiusmodi dissensionem tumultus in ciuitate inter Pontifices, & eos, qui Eleazaro adhærebant, concitatus fuit, quo per Septem dies durante, graues utriusq; partis cædes factæ sunt.

Ioseph. de bello Iud. lib. 2. c. 17.

Omnium autem pernicioſissimę sunt in hoc genere seditiones, quæ in Religione nostra Christiana inter Catholicos & hæreticos oriuntur: illis quidem Catholica dogmata & ritus in Ecclesia custodientibus, his uero adulterinas & Catholicæ ueritati contrarias doctrinas confingentibus. Ex qua quidem causa dubium non est, ortam fuisse seditionem apud Corinthum, propter quam ex persona

Seditiones ex hæresibus.

Euseb. lib. 5. Eccle. Hist. c. 6.

Romanæ

Romanæ Ecclesiæ Clemens ad Corinthios Epistolam scripsit, quâ eos in pacem reuocauit, & fidem eorum, quæ concussa fuerat, renouauit. Sic Arriani propter doctrinam consubstantialitatis aduersus Homousianos: Et alij similiter hæretici, ad impugnanda alia Catholica dogmata aduersus Catholicos, multas sæpe & easdem crudelissimas seditiones concitarunt. Et propter eandem rationem ob diuersos ritus sæpe inter Catholicos & hæreticos seditiones subortę fuerunt: qualis fuit, quam Ioannes Chrysostomus ab Arrianis passus est. Quam ad hunc modum narrat in Tripartita Socrates. Arriani, inquit, extra ciuitatem collectas agebant. Sabbato autem atq; Dominica, intra portas & porticus congregati, Hymnos & Antiphonas ex Arriano dogmate compositas, decantabant. Et hoc maxima noctis parte facientes, diluculo cum ipsis Antiphonis, per mediam ciuitatem egressi portam, ad suam Ecclesiam concurrebant. Cunq; hoc crebro, quasi ad uituperationem Orthodoxorum, facere non cessarent, frequenter etiam hoc cantabant: Vbi sunt qui dicunt tria uirtute unum? Tum Ioannes, metuens, ne simplices huiusmodi cantibus traherentur, instituit suũ populum, ut et ipsi nocturnis occuparentur Hymnis, ut & illorũ obscuraretur opus, & fideliũ professio firmaretur. Studium ergo Ioannis ualde utile, cum turba periculisq; finitum est. Nam cum clariores Hymni Homousianorũ noctu apparerent (fecerat enim etiam cruces argenteas, quæ cum argenteis cereis portabantur, expensas ad hæc Eudoxia Augusta prębente) tum Arriani zelo tracti, usq; ad cædem insurgunt. Vna ergo nocte, facta congressione, lapide in fronte percussus est Brison, eunuchus Augustæ, qui ad Hymnos exercendos fuerat deputatus: sed etiam quidam ex populo utriusq; partis extincti sunt. Ex his motus Imperator, prohibuit Arrianos Hymnos publice decantare. Sed & quælibet hęresis per sese rebellio est, etiãsi nullus ex ea tumultus oriatur. Nam hoc ipso, quod Catholicę doctrinæ aduersantur hæreses, simul etiam qui eas amplectuntur, Catholicæ Ecclesiæ, & eorum qui illi præsunt, obedientiã abiicere intelliguntur. Sæpe etiam accidit, ut inter se quoq; hæretici, propter dissimilitudinem falsorũ dogmatum, dissentiant: Immo & una sæpe hæresis in multas & diuersas partes scissa, ipsa sibi aduersetur. Quales fuerunt Martionis, Arrij, & quorundã aliorum sectæ, ut in libris nostris de hæreticis demonstrauimus. Quanquam raro ex hac causa ad seditiones inter se perueniant, nimirum eo spectantes, ut quantũlibet inter se discordes, Catholicã magis Ecclesiam, quàm ipsę se inuicẽ persequantur. Etsi enim capitibus diuisæ sunt, tamen caudas habent colligatas, de uanitate in idipsum conuenientes, ut inquit Innocentius Papa. Persimiles sanè uulpibus Samsonis, quę uultibus quidẽ diuersæ, caudis uero colligatæ, igne suppositio, ad incendendas Philistinorum segetes immissæ fuerunt. Qua nimirum figura

Trip. lib. 5. c. 32.

Seditio Arrianorum cõtra Chrysostomum.

Trip. lib. 10. c. 8.

Hæresis per sese rebellio est.

Euse. li. 5. c. 13. Ruffino in Eccles. hist. li. 10. c. 25. c. excommunicamus de hæreticis, Iud. 15.

figura recte significatur, hæreticos omnes simul ad destructionem quidem bonorum fructuum conuenire: secum uero in doctrina discordare, ut pulchre alibi docet, pius iuxta & doctissimus Ambrosius Catharinus, Episcopus Minoriensis. Ad alterum autem genus referuntur seditiones, quæ inter Gentiles & Christianos oriuntur. Qualis est, quam idem Socrates in Tripartita commemorat. Erat, inquit, locus quidam in ciuitate antiquis temporibus desolatus atq; neglectus, multaq; sorde completus: hic Pagani olim deo Mithræ sacrificantes, homines immolabant. Quem locum Constantius quasi uacantẽ Ecclesiæ Alexandrinæ concesserat. Hic Georgius (is erat Christianorum Episcopus) uolens oratorium extruere, locum repurgari faciebat. Quod dum fieret, inuentum est illic Adytum, in multa profunditate constructum, in quo Paganorum mysteria celebrabantur. Erant enim ibi caluariæ hominum plurimæ, maiorum pariter & infantium, qui perhibebantur illic extincti, ut ex eorum uisceribus artes Magicas exercerent. Hæc igitur Christiani reperientes in Adyto Mithræ, studuerunt ad irrisionem Paganorum uniuersis hæc facinora referare, diuulgabantq; capita hominum, quæ compererant. Hæc Alexandriæ Pagani uidentes, & opprobrium non ferentes, ira succensi sunt, & omne quod ad præsens inuenerunt arma iudicantes, impetu contra Christianos facto, multos interemerunt: alios gladijs, alios fustibus aut lapidibus, alios funibus strangulantes, quosdam etiam crucifigentes ad sacræ crucis iniuriam, plurimos diuersis uulneribus affligentes. Et ita factum est, ut neq; proximis parceretur, sed Philosopus Philosophum percusit, & frater fratrem, parentes filios, & inuicem in mutua nece grassati sunt. Quamobrem Christiani eundem locum purgare quieuerunt.

Lib. 1. de coniunctione, et iudicio præsentium temporum. c. 13.

Trip. l. 6. c. 8.

Adytũ Mithræ & nefanda sacrificia Paganorum.

Seditio propter illud Adytum.

Sed nec longo post tempore alia eiusdem generis, & ex eadem fere causa, excitata fuit seditio. Mortuo enim Constantio Imperatore, sub quo, quæ iam narrata sunt, perpetrata fuerant, populus Paganorum impetu facto in eum, quem dixi Georgium, uinculis eum alligauerunt, quem paulo post, uenientes ad carcerem, peremerunt, eiusq; cadauer imponentes Camelo, à mane usq; ad uesperam per totam traduxerunt ciuitatem, & circa serum diei concremauerunt.

Trip. li. 6. c. 9.

Nec dissimilis huic sub Theodosio Imperatore in Alexandria nata est seditio, quam ad hunc modũ narrat idẽ Socrates, apud Cassiodorum in Tripartita, cui eo quoq; maior fides adhibenda est, quia suo tempore, quæ commemorat, acciderunt. Præceperat, inquit, Imperator, ut opera Theophili in Alexandria Paganorum templa destruerentur. Theophilus potestate percepta, studuit Paganorum destruere mysteria, & templum quidem Mithræ purgauit, Serapidis uero subuertit. Verum Mithræ sacra, ubi homicidia perpetrabant, publice patefecit. Serapidis autem & aliorum risu plena

Tripart. lib. 9. cap. 27.

monstrauit, iubens per mediam plateam portari uerenda, quæ Pagani cum maximo honore uenerabantur. Hæc Pagani uidentes, maxime Philosophi, iniuriam ferre nequiuerunt. Vno namq; impetu contra Christianos facto, neces innumeras perpetrarunt, resistentibusq; Christianis, clades hæc usq; ad immensum bellum processit. Mortui denicq; sunt in ea congressione Paganorum pauci, Christianorum uero plurimi, ex utraq; parte innumeri uulnerati. Porro Pagani metu Principis, postquam cæde fuerant saciati, per loca singula celabantur, multi quoq; etiam de ciuitate fugerunt. Inter quos Helladius Ammoniusq; Grammatici, apud quos ego ualde puer Constantinopoli legi. Et Helladius quidem Sacerdos Iouis esse dicebatur: Ammonius uero Simiæ. His ita gestis, Theophilo in destructione templorum auxilia subministrabant, Præfectus Alexandriæ, & Dux ordinis militaris. Idola autem Idoleiorum conflabantur ad faciendas ollas, & ad Alexandrinæ Ecclesiæ diuersos usus, cui ab Imperatore donati fuerant dij, ad expensas egentium. Cum igitur Theophilus omnes contriuisset deos, unum tantummodo reliquit Simiæ simulachrum, iubens id publice proponi atq; seruari, ne sequenti tempore Pagani negarent, tales se adorasse deos. Quam rem noui ego grauiter tulisse Ammonium Grammaticum, dicẽtem, Paganos nihil tam graue perpessos, nisi quod non conflatum est et ipsum: sed pro derisione unum illud Idolum seruaretur. Helladius autem gloriabatur, dicens. Quod in congressione Christianorum, nouem ipse peremisset. Sed & Iudæi semper Christianis propter religionem fuerunt infensi, propter quod & uarias aduersus eos seditiones, easdemq; atrocissimas concitarunt, & uarias iniurias eis intulerunt. Qualis est, quam idem Socrates in Tripartita ex huiusmodi ferè causa ortam esse scribit. Iudæi, inquit, cum essent semper Christianis infensi, Horoste Præfecto Alexandriæ festiuitatem quandam, quam Politiam uocant, in Theatro celebrante, ubi & aderant quidam fautorum Cyrilli, tum Episcopi Alexandrini, inter quos & Hierax Doctor Puerilium literarum, & Cyrilli auditor: uidentes in Theatro Hieracem Iudæi, clamabant aduersus eum, quod propter nihil aliud ueniisset, nisi ut in Theatro seditiones inter populos excitaret. Quibus fauens Præfectus, arreptum Hieracem publice fecit in Theatro agi uerberibus. Cyrillus uero conuocatis Primoribus Iudæorum, admonuit, ne contra Christianos seditiones ulterius excitarent. Porro turba Iudæorum hoc parui pendens, in atrocissimam aduersus Christianos conuersa est seditionem, in qua & plurimi Christiani trucidati fuerunt: de quibus tandem uindictam sumens Cyrillus, in Synagogas eorum irruit, & illas quidem abstulit, Iudæos autem expulit ciuitate, eorumq; substantiam diripere populo imperauit. Hocq; modo Iudæi à temporibus Alexandri Macedonis illam habitantes urbem

Cruenta seditio contra Christianos.

Simiæ simulachrũ.

Tripar. lib. 11. c. 12.

Cyrillus Episcopus Iudæos expulit.

urbem, tunc nudi prorsus expulsi sunt, & per singula loca dispersi.

Idem de alia seditione Iudæorum aduersus Christianos, in hunc modum scribit. Post modicum uero tempus, inquit, Iudæi rursus illicite contra Christianos agentes, puniti sunt in loco, qui dicitur Mestar, posito inter Chalcidem & Ancyram Syriæ. Hic itaq; Iudæi consueta quædam ludicra celebrantes, per ebrietatem accensi, inter alia Christianis ipsiq; Christo derogare cœperunt: illudentes Cruci, & spem in eo qui est crucifixus habentibus. Compræhendentes enim infantulum Christianum, alligatum cruci suspenderunt, & primum quidem deludebant & irridebant eum, postea uero correpti uæsania, ipsum infantulum uerberibus pere-merunt. Ob hoc ergo dira congressio inter eos atq; Christianos exorta est. Quod cum Princeps cognouisset, Prouinciarum iudicibus mandatum est, ut huiusmodi quærerentur authores, & punirentur: & hoc modo dignam ultionem malitiæ suæ receperunt. *Trip. lib. 11. cap. 13.*

Iudæorum facinus cõtra Infantulũ Christianorũ.

Quin illud etiam Iudæis & Paganis peculiare fuit, ut omnium seditionum causam & culpam in Christianos transferrent, etiamsi aliis ex causis excitatarum: Sicut Iudæi Christum ipsum seductorem turbarum appellarunt. Et Tertullus Paulum Apostolum, coram Felice Præside accusans: Inuenimus, inquit, hunc hominem pestiferum, & concitantem seditiones omnibus Iudæis in uniuerso orbe, & authorem seditionis sectæ Nazarenorum. *Ioan. 7.* *Act. 24.*

Et Iulianus ille Apostata Imperator, Christianis interdixit peregrinis, ne uenirent Cyzicum, credens, quod religionis causa excitarent seditiones. *Trip. lib. 6. cap. 27.*

Et idem Iulianus Episcopos præcepit ciuitatibus expellere, quasi turbas facerent in populo, inter quos cum Titum quoq; Bostrensem Episcopum expellere iussisset, & ob id Titus libellum Principi obtulisset, in eò contestatus, quod inimica inter se esset turba Paganorum, & Christianorum, & se suadente Christianos à seditione quiescere. Imperator per hanc occasionem Tito inimicitias commouere studens, Bostrensibus scripsit. Titum eorum accusatorem fuisse dicendo, ipsius monitis non sua uoluntate populum à seditione cessasse, propter quod & populo, ut eum uelut hostem expellerent, suadebat. *Trip. lib. 6. cap. 28.*

De seditionibus, quæ à populo ob Religionem in diuersas partes scisso, propter alterutrarum partium Doctores & Prælatos concitantur, Caput XI.

IAm & multarũ sæpe seditionum causa fuerunt diuersa populi studia & affectus, quibus erga Magistros & Prælatos diuersarum Religionum, afficiuntur. Nam ita fere fit, ut quemadmodum propter dissimilitudinẽ dogmatum & rituum, Religio ipsa diuiditur: ita populus quoq; propter diuersa Religionis studia, in diuersas partes scindatur, & quam quisq; Religionem & sectam sequitur, eius quoq; Doctorem colat atq; ueneretur, impugnatorem uero hostili mente persequatur. In huiusmodi enim dissensionibus, nõ solum Ecclesiæ Præsules ratiocinationibus inter se certant: sed etiam populus ipse diuiditur. Alij nanq; illi, alij isti consentiunt, ut de Alexandro Constantinopolitano, et Eusebio Nicomediensi, & quibusdam alijs Episcopis contraria fidei dogmata asserentibus, Ecclesiasticæ tradunt historiæ.

Trip. lib. 1, cap. 17.

Ac primum quidem ad hoc genus referuntur seditiones, quæ ad uindicandas iniurias, alterutrarũ partium Prælatis illatas, excitantur.

Seditio propter Io. Chrysost. excitata. Tri, l. 10, c. 13.

Qualis sane fuit, quę Io. Chrysostomo à quibusdam aduersę partis Episcopis damnato, ac deinde à Principe quoq; ipso in exilium acto, à populo concitata fuit, de qua ita scribit Socrates in Trip. His, inquit, ita præparatis, conuenientes Episcopi in suburbano Chalcedonensi, quod Rufini nomine uocitatur, ubi est in honorẽ Petri & Pauli Apostolorũ Basilica constituta, euocauerunt Ioannem, satisfacturum pro quibus accusabatur, iusseruntq;, ut cum eo uenirent Serapion, & Tigrius eunuchus Presbyter, & Paulus Lector: Isti enim simul accusabantur. Cunq; Ioannes euocantes uelut inimicos refugeret, uniuersalem Synodũ fieri proclamauit: At illi nihil morati, quater eum euocauerũt. Qui cum noluisset occurrere, sed Synodum fieri proclamaret, damnauerunt eum, in nullo culpantes, nisi quod uocatus noluisset obedire. Cunq; hoc fuisset circa uesperã nunciatum, populus ad maximam seditionem excitatus est, & noctu concurrentes, eum trahi ab Ecclesia non sinebant, sed clamabant, ut apud maius Concilĩ de eo agitaretur examen. Porro iussio Principis urgebat, uelociter eum ejici, & in exilium deportari. Hoc cognoscens Ioannes tertio damnationis die, circa meridiem seipsum populo ignorante contradidit. Cogitabat enim, ne ulla propter illum seditio nasceretur: & ille quidem in exilium ducebatur. In populo aũt seditio enormis est exorta: ita, ut etiam multi inimicorum eius misericordia mouerentur, dicentes, eum calumniam passum, quem paulo ante desiderabant uidere depositum. Cæterum populo in huiusmodi seditione discurrente, & ad ipsa Regalia proclamante, idem Ioannes denuo ab

ab exilio reuocatus est. Augusta siquidem Eudoxia permota, rogauit Imperatorẽ, ut eum reuerti præciperet, quo reuertẽte, & populo contendente, ut in Episcopali sede sederet, & orationem pacis præberet. Cum coactus sermonẽ ad populum fecisset, alia subinde inter Constantinopolitanũ populum & Alexandrinum suborta seditio est. Finito siquidem sermone, Theophilus Alexandrinus Episcopus, inimicus Io. Chrysostomi, quæstionem de ordinatione Heraclidę contra eum mouit, ut Ioannẽ huius rei occasione deponeret. Verũ Heraclides non aderat, iudicabatur aũt uelut præsens, quasi quosdam iniuste cecidisset, cathenisq; uinctos misisset in pompã Ephesi per mediam ciuitatem. Cunq; pars Ioannis diceret, auditorium debere iuste constitui, Alexandrini contendebant, ut Heraclidis accusatores susciperẽtur. Hinc ergo seditio & cædes inter Constantinopolitanum populum & Alexandrinũ uehemens est exorta, ob quam rem plurimi uulnerati, pauci etiam mortui sunt, ut in Tripartita tradit Socrates. Similis Constantinopoli tumultus propter Macedonum Catholicum Episcopum subortus est, quem cum Imperator Anastasius, Chalcedonensem Synodũ anatematizare detrectãtem, iniurijs affecisset: multitudines cum mulieribus & liberis, Abbatibusq; Orthodoxorum Monachorũ congregatæ, conclamarũt. Tempus Martyrij Christiani: ne derelinquamus patrẽ nostrũ iniurijs lacessere Imperatorẽ satagentem, ut Manichęum, & indignũ Imperio. Quę seditio eo creuit, ut Imperator ostia pallatij claudere, & naues præparare ad fugiendum cogeretur. Autor Nicephorus. Eiusdem fere generis sunt seditiones, quæ mortuis aut depositis alterutrarum partium Prælatis, suboriuntur. Fit enim sæpe, ut seditiones, quæ uiuentibus diuersarũ religionũ Episcopis, quasi sub cinerib. sepultę occultãtur: ijsdem mortuis, subito erumpãt, & in apertũ producãtur. Quod Leontio Arriano, Antiochenã Ecclesiam gubernãte, accidit. Quippe quo uiuente, etsi Arriani & Catholici in dicẽdis Hymnis dissentientes, illi quidem Gloria Patri & Filio, uelut æqui honoris gloriam dicebant: hij uero Patri in Filio per interpositionẽ prępositionis Filium secundum esse monstrabant, nec tamen tumultũ aliquem mouebant: Tamen eo mortuo, quę antea latuerat, subito cõmota fuit seditio, quod & ipse uiuens diuinauerat. Nam tãgens caput suum iam canũ, dixisse fertur. Hac niue soluta, lutũ coget immensum. Omnium aũt maxime in electionibus huiusmodi seditiones fiunt, in quibus scilicet pro diuerso partium studio & fauore, diuersa etiam suffragia in personas diuersarũ religionũ conferuntur. Sic mortuo Alexandro, Constantinopolitanæ Præsule Ecclesiæ, cũ populus in duas diuisus esset partes, alijq; defenderẽt Arrianũ dogma, alij uero Nicæni decreta Concilij: Arriani Macedonium, Catholici Paulum Catholicũ elegerunt Episcopos. Ex qua dissensione orti sunt nõ parui tumultus & seditiones.

Alia propter eundẽ Io. Chrysostomi seditio.

Tri. li. 5. c. 14.

Tri. li. 4. c. 35.

Tri. li. 4. c. 28.

nes. Nam propter Macedoniũ Constantinopoli ortũ est intestinum bellum, cũ multi sanguinis effusione, qua re motus Constantius Imperator, & ipse Arrianus, Paulum Ecclesia pepulit, unde alia excitata seditio est. Quippe Hermogene magistro militũ ad hoc ab Imperatore destinato, Paulum manu militari expellere conãte, Catholici ei resistẽtes, eius domũ incẽderũt, ipsumq; trahẽtes, interemerũt. Arriani uero Paulũ tanq; seditionis authorẽ, ad periculũ usq; mortis perduxerũt. Quin & Macedonius ipse, uicinas Constantinopolitanę urbis prouincias & ciuitates seditionib9 turbauit, affligens eos, q ei assentire nolebãt, nõ solum Orthodoxos, sed etiã Nouatianos, propterea q Cõ substãtialitatis nomen recipiebãt. Sic apud Mediolanũ, mortuo Auxentio Arriano Episcopo, dissensio grauis, & periculosa seditio inter Catholicos & Arrianos orta fuit, ut exitium etiam urbi, nisi mitigaretur, parare uideretur. Nam Arriani Auxentij secta similem sibi fieri concertabant: rursum Orthodoxi sui dogmatis nitebantur habere Episcopum. At ea seditio diuo Ambros. in Episcopũ electo, facile sedata fuit, non solum quia multa antea secundum leges & publicã disciplinã, pro quiete & trãquillitate publica orauerat: sed etiam quia populo postulante, Episcopus ordinabatur. Cuius unius autoritas, qua apud populum ualebat, tantũ effecit, ut animi dissentiẽtes subita quadam conuersione in unum consensum unãq; sentẽtiam, fuerint reuocati. Similis seditio apud Antiochiam orta est, Eustachio Catholico Episcopo per calumniam Arrianorũ depositio. Nam in electione Episcopatus, tãtus ignis accensus fuit, ut pene ciuitas uniuersa periclitari uideret, nimirũ populo in duas partes diuiso, alijs quidem Eusebium Palestinæ transferri contendentibus: alijs aũt postulantibus, ut Eustachius reuerteretur. Erat enim in utraq; parte & populus ciuitatis, & militaris manus, et tanq; aduersus hostes ita cuncti mouebãt, ut pene usq; ad gladios peruentũ fuerit. Quin propter ipsas etiã translationes Episcoporũ, sępe tumultus & seditiones excitãtur: quas ut euitarent, ueteres etiam lege Canonica sanxerunt, ut ne de ciuitate in ciuitatẽ, nec Episcopum, nec Presbyterũ, nec Diaconũ, transferri liceret. Sic & Gaiano Alexandrino Episcopo, iussu Theodoræ Augustæ depositio, & à Narsete in exilium misso, ac Theodosio in eius locum suffecto, magna seditio orta fuit, paucis quidem Theodosio cõmunicãtib9, maiore aũt parte populi pro Gaiano pugnãte. In qua multi occisi sunt, nõ solum ciues, sed etiam milites, mulierib9 etiam in milites grassantibus: De superioribus n. domorũ iactarũr super milites, quicquid manibus occurrerat. Quo schismate ciuitas ipsa longo etiã post tempore diuisa fuit, ut alij Gaianitę, alij Theodosiani in ea uocarẽtur: Id est, Phantasiastę & Corrupticolę, à duabus uidelicet sectis ita appellati, quas Seuerus & Iulianus introduxerant, quorũ ille corpus Christi corruptibile: hic uero incorruptibile esse affirmabat.

Trip. li. 3. c. 32.

Ruff. li. 11. Eccl. hist. c. 11.

Tri. li. 7. c. 8.

Trip. li. 2. c. 15.

Carth. Sexti. c. 15.

Liberatus in Breuiar. c. 20.

Liberatus in Breuiar. c. 19.

Hi igitur uenientes in multitudine, ciuitatis Ecclesiam illam diuiserunt, & illos quidem fecerunt Corrupticolas: incorruptibilitatis aũt assertores, Phantasiastas appellari.

De seditionibus, quæ propter negligentiam eorum, qui præsunt rebus publicis, oriuntur, Caput XII.

IAm & negligentia eorum, qui Respub. administrant, multarũ sæpe seditionũ causa fuit. Est aũt Negligentia earũ rerũ, quæ ad uniuscuiusq; officium pertinẽt, prætermissio. Quemadmodũ in ordine Ecclesiastico Pontifices, & Prælatos recte negligẽtes appellabimus, qui nec honestã, & ordini suo conuenientem uitam ducũt: nec oues sibi cõmissas, quo minus à lupis in ouile irrumpẽtib9 diripiantur, curant & custodiunt. Nec uerbo Dei & Sacramẽtorum pabulis reficiunt, & mercenarijs magis, q̃ fidelib9 pastoribus, eas pascendas cõmittunt. Sic & prophanos Magistratus negligentes uocabimus, qui nec iuste & honeste uiuũt ipsi, nec sibi cõmissis subditis iustitiã administrant: Id est, non id curant, ut suum cuiq; tribuatur pro cuiusq; dignitate, & ut honeste uiuatur, & ne cui noceatur, sed cõmuni utilitati seruiatur: Et ne boni à malis opprimantur. Tum curã etiam administrationis suæ, sæpe pessimis etiam hominibus cõmittunt, ut ab his regi potius, q̃ regere ipsi uideant. Quales olim inter Ro. Principes fuerũt, Tyberius, qui se atq; Rempub. unius Seiani hominis facinorosissimi permisit. Et Sergius Galba trium arbitrio regi se passus est: Iunij, Legati ei9 in Hispania cupiditatis immensæ: Cornelij Laconis, arrogantia socordiaq; intolerabilis: & Iceli Liberti. His n. diuerso uitiorũ genere grassantib9, adeo se abutẽdũ permisit, & tradidit, ut uix sibi ipse constaret: modo acerbior partiorq;, modo remissior ac negligẽtior, quàm Principi conueniret. Et Honorius Imp. eadem facilitate, ne dicã leuitate, Reipub. moderationẽ Ruffino, Malzezari, & Stiliconi concredidit, qui quanta apud Principẽ autoritate ualuerint, Panegyrici Claudiani Poëtæ in ipsos cõpositi declarãt. Sed quanto maiora à Principe beneficia acceperunt, tanto deinde in ipsum facti ingrati, grauiores pœnas pependerũt. Siquidem Ruffin9, cui Orientalis audiæ à Theodosio Honorij patre cura commissa fuerat, malo perfidiæ deprauatus, cum barbarorũ solatijs regnum tentaret inuadere, morte iustissima pœnas luit. Malsceltzer rerũ secundarũ insolentia tumẽs, quia Ecclesiã Dei temerare ausus fuerat, ex qua quosdam non dubitauit extrahere, sacrilegij pœnã passo9, post aliquantulũ temporis & ipse perijt. Stilico quoq; Occidẽtis tutor Imperij, immemor collatorũ in se à Prĩcipe beneficiorũ: immemor itẽ affinitatis (nã socer erat Honorij) regnũ & ipse Eucherio affectãs filio, ingẽtia Reipub. intulit mala, propter quod & ipse miserabilem exitũ sortitus est. Possem & alia huius rei ueterũ, & quędam etiã nõ ita procul à memoria nostra

Quid negligentia.

Prælati negligentes.

Magistratus negligentes.

Cornel. Tac. Suet. in Sergio Galba.

Paul. Diac. li. 13. Re. Ro.

Vindicta in Ruffin. & Stilic.

remota exempla afferre, sed quæ malo historiarũ studiosis, & præsentium quoq; temporum obseruatoribus inquirenda relinquere. In his igitur & similibus rebus qui inertes & desides sunt, eos nemo dubitat officijs suis deesse, atq; ob id merito etiam negligẽtes appellari. Nam quod ad Ecclesiasticos attinet, nõ implent, quam eis Apostolus imponit curam, dicẽs. Attendite uobis & gregi uestro, in quo uos Spiritus sanct. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Sic nec prophani Magistratus præstant, quod scriptura eos admonet. Diligite (inquiens) iustitiam, qui iudicatis terram. Et iterũ. Facite iudicium & iustitiam, et liberate ui oppressum de manu calumniatoris: & aduenã, & pupillum, & uiduam, nolite contristare, neq; opprimatis inique. Sed nec eorum negligentiam dissimulat scriptura, siquidem negligẽtes sacerdotes arguens Propheta. Non ascendistis, inquit, ex aduerso, neq; posuistis uos murũ pro domo Israël, ut staretis in prelio in die Domini. Et ad Reges, Principes, & Magistratus prophanos dicitur. Prębete aures uos, qui continetis multitudines, & placetis uobis in turbis nationũ. Quoniã data est à Domino potestas uobis, & uirtus ab altissimo, qui interrogabit opera uestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, nõ recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neq; secundum uoluntatẽ Dei ambulastis. Horrende & cito apparebit uobis: quoniam iudicium durissimũ in his qui prẽsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes aũt potenter tormenta patientur.

Act. 20.

Hiere. 22.

Ezech. 13.

Sapient. 6.

Primũ igitur ad hoc genus pertinẽt seditiones, quas ex controuersijs religionis nasci paulo ante demonstrauimus. Cuiusmodi sunt hęreses & schismata, & quæ ex his excitantur, turbæ & tumultus. Nam inde hęreses & schismata oriunt, iuxta parabolam Euangelicã: Quia dormientibus Prælatis, & ea, quæ ad diligẽtem culturã agri Dominici pertinent, negligentibus, uenit inimicus diabolus, & superseminat in medio tritici, id est, Catholicorũ zizania, quæ sunt hæreses & schismata, ut sancti patres interpretantur. Sicut enim Arriana hæresis, ut Constantini Principis diligentia in Concilio Nicæno damnata atq; suppressa fuit: Ita negligentia Constantij in immensum aucta, totũ prope orbẽ turbauit, atq; deuastauit. Ex cuius reliquijs, longo post tempore perniciosissima quoq; Mahumeti secta orta est, quæ & ipsa hodie magnã orbis partẽ detinet. Sic Eutichiana hæresis negligẽtia Theodosij Iunioris, in Concilio illo Latrocinali Ephesino Secundo (Sic enim à diuinissimo Leone appellatur) tantum uirium collegit, ut etsi diligentia Martiani Imperatoris in Concilio Chalcedonensi postea sopita fuerit: tamen multo post tempore, quantalibet succedentium Patrũ & Principum diligentia & prudentia, radicitus extirpari non potuerit. Quippe quæ ad Iustiniani usq; tempora durauit, qui & ipse unà cum coniuge Theodora ab initio Eutichiani fuerunt,

Matth. 13.

Eutichiana hæresis.

fuerunt,ut Eccleſiaſticæ tradunt hiſtoriæ. Et Vuentzeslai negligentia Huſsitica hæreſis in Bohemia, non ſolum nata, ſed ita etiam confirmata eſt,tantũq; roboris accepit, ut tametſi in Concilio Conſtãtienſi,ante annos plus minus centũ & triginta,damnata fuerit,tamen hodie etiam maiorem Bohemici Regni partem occupet: quam & ipſam noſtris temporibus (incertum Pontificũ,ne an Principum negligentia) denuo recrudeſcentem,non ſolum in Germania,ſed in cęteris etiam Chriſtiani orbis Regnis & Nationibus,quàm latiſsime diffuſam ac propagatam eſſe uidemus. Quanquam hæc ipſa,ut cæteræ quoq; hæreſes & ſchiſmata,ad Prętorũ magis Eccleſiaſticorum, quàm ſęcularium Poteſtatum negligentiam referri poſsint. Nam ex eo maxime hęreſes & ſchiſmata in Eccleſia oriuntur,quod Põtifices & Prętati Cõcilia tam uniuerſalia q̃ localia,cõgregare atq; celebrare negligunt. Nam ut hęreſes & ſchiſmata omniũ maxime Conciliorũ autoritate extirpãtur: Ita eorundẽ intermiſsione & nouę naſcuntur, & iam natę latius etiam propagãtur. Ex qua ſane cauſa cũ multę aliæ, tum & illa ipſa,quam dixi,Huſsitica,& ante eam Vuiclephica,hæreſes,& primũ natæ, & poſtea auctę ac propagatę,& ex his aliæ quoq; ſubortæ fuerunt:quas ut Conciliorũ intermiſsio olim peperit,ita hodie nihil aliud quàm Conciliorũ quoq; authoritas abolere poteſt.

Huſsitica hæreſis.

Cõciliorũ intermiſsio noxia.

Sed & propter facilitatẽ & negligẽtiam Principũ & Magiſtratuum ſæcularium,in his rebus,quę ad prophanarũ rerũ adminiſtrationem pertinẽt,ſeditiones oriuntur. Cuius rei multa apud hiſtoricos extant exempla,ſed inter quæ magis inſigne eſt,cuius antea quoq; meminimus,quod ſub Gallieno Principe accidit: quo ſcilicet gubernacula Imperij tenente,propter ipſius tum uitę morũq; prauitatẽ,tum inertiam & negligentiam,triginta ſimul Tyranni diuerſas Imperij prouincias per rebellionẽ occuparunt.

Gallieni Imp. negligentia.

Omnium aũt maxime ſeditiones ex eo oriuntur, quia Magiſtratus,tam Eccleſiaſtici quàm ſæculares,in coẽrcendis ſubditorũ delictis ſunt negligentes. Nam generaliter inferiorũ culpæ ordinum,ad nullos magis referendæ ſunt,quàm ad deſides negligentesq; Rectores,qui multam ſæpe nutriunt peſtilentiam, dum auſteriorẽ diſsimulant adhibere medicinã. Quemadmodum inter Tribum Beniamin, & alias Tribus Iſraẽl, maxima & eadem cruenta ſeditio orta eſt. Quia Tribus Beniamin homines ſuos de Gabaa,propter immaniſsimũ ſcelus, quod in uxorẽ Leuitæ perpetrauerãt,punire detrectarunt.

c. inferiorum 86. diſt. Iudic,20.

Poſtremo ad idem genus referuntur ſeditiones,quæ ex populi negligentia oriuntur. Veluti ſi ad Magiſtratus & ſummas Poteſtates in Repub. aſſumi permittat,qui non ſunt amici ſtatus eius, per quem Reſpublica gubernatur: Ac per eum modum apud Horeum euerſa eſt paucorũ gubernatio per Heradeodorũ,qui Magiſtratũ,nactus gubernationẽ ciuitatis,ex paucorum potentia ad populare ſtatum traduxit,ut Ariſtot. teſtatur.

lib.5. pol. c.8.

De alijs

De alijs quibusdam cauſis ſeditionum, Caput XIII.



VNt & multæ aliæ ſeditionum cauſæ, quas omnes longum eſſet enumerare: nos aliquas tantum, quas quotidiana nobis hiſtoriarum lectio ſuggeſsit, ſed promiſcue tamen & nullo certo ordine, quatenus ad præſentem tractatum pertinere uidebitur, his, quæ Ariſtotelem ſequuti, de cauſis ſeditionum ordine iam commemorauimus, uelut Auctarij uice adiiciemus. Ac primũ quidem inter militares ſeditiones quędam ob fractam & mutatam fidem eorum, qui ducunt exercitus, oriuntur. Sic militibus Volas oppugnantibus, cum Tribunus militum, eam prędam militis fore edixiſſet, ſed oppido expugnato fidem mutaſſet, aduerſus eum ſeditio concitata eſt. Sic & ob eiuſdem ſtolidam & uęcordem acerbius in concione prolatam uocem, magna inter milites oborta ſeditio eſt. Nam Feſto Tribuno plebis legem Agrariam ferenti, ſimul Volas quoq; ut mitterentur Coloni laturũ ſe dicenti, cum dixiſſet. Malum quidem militibus meis, niſi quierint: maximã ea uox in caſtris indignationẽ cõmouit. Vnde & Quęſtor P. Seſtius coẽrcere ſeditionem uolẽs, ſaxo ictus turba excedere coactus eſt. Et Poſthumius ad hunc tumultum accitus, aſperiora omnia quęſtionibus & ſupplicijs agens, nec irę modum faciens, ita militum exaſperauit animos, ut Tribunus militum, qui tumultum ſtolida ſua uoce excitauerat, ab exercitu ſuo lapidibus cooperiretur. Quanquam hæc ſeditio ad contumeliam etiam referri poſsit, de qua ſupra diximus. Quia milites ob id contumelia ſibi affecti uidebantur, quod ager Nolanus, quem armis cepiſſent, eis à Tribuno denegatus uideretur. Cui haud diſsimilis eſt, qua exercitus in Fabium Conſulem, ut eius Imperio reluctaretur, cõmotus eſt. Siquidem memor legem Agrariam ab eo impeditã, cum hoſtium copias & tuto & facile delere liceret, immobilis perſiſtẽs, neutiquam uincere uoluit. Titus Liuius ex licentia, diutino ocio collecta, ait ortam ſeditionẽ, eam quam nunciata morte Scipionis, C. Albius Calenus, & C. Actius Vmbrius, ſub hoc prætextu commouerunt, quod ſtipendium nõ eſſet militibus ad diem datum. Similem ferè, & ex eadem cauſa ortam, narrat Cornelius Tacitus ſub Germanico. In ea ſiquidẽ milites laſciuiæ ſueti, & laborũ intolerantes, ueniſſe tempus aiebant, quo Veterani maturã miſsionẽ, Iuuenes largiora ſtipẽdia, cuncti modũ miſeriarũ expoſcerẽt, ſęuitiamq; Centurionũ ulciſcerentur, & eiuſdem generis alia multa uociferabantur. Cauſu quoq; oriuntur ſeditiones, quando uidelicet nulla intercedente deliberatione aut Conſilio, ſed incidente improuiſo aliquo caſu, ad diſcordias & tumultus peruenitur. Qualis eſt, quam Socrates in Tripartita, ex huiuſmodi cauſa ſubortam eſſe narrat. Domus (inquit) in qua erat

Tit. Liuius li. 4. ab urb. cõd.

Verbum ſtolidum ſeditionem parit.

Val. Max. lib. 9. cap. 3.

Tit. Liuius li. 2. ab urb. cond.

T. Liuius lib. 8. ſec. bel. pun.

Cor. Tac. li. 1. Auguſt. hiſt.

Seditiones caſu exortę

Trip. li. 5. c. 31.

arca,

arcã, Constantini Principis corpus habens, ruinam minabatur. Ideoq; custodes eius, & qui ad orationem intrabant, erant positi sub timore. Macedonius ergo cogitauit Imperatoris ossa transferre, ne arcam ruinæ casus comprimeret. Hoc cognoscentes populi prohibebant, dicentes. Non oportere Principis ossa transferri, ne quasi exsopiri uiderentur. Ob quam rem in duas partes populus est diuisus, alijs dicentibus, nullam esse translato mortuo lęsionem, alijs asserentibus esse nephas: cum quibus etiam erant ὁμοσίῶ defensores. Macedonius autem paruipendens uerba contradicentium, transtulit corpus Imperatoris in Ecclesiam, ubi corpus iacet Martyris Achatij. Quo facto, concursus discordantium populorũ ad illam uenit Ecclesiam, & ad manus usq; peruentum est: ita, ut multi hominum morerentur, & uestibulum Ecclesiæ ac uicina porticus sanguine compleretur. Eiusdem generis est, quam propter nuptias duorum iuuenũ ortam fuisse, ad hunc modum narrat Liuius. Inter duos (inquit) iuuenes unius uirginis nuptias ambientes, uirgo erat Plebeij generis, hanc duo iuuenes uxorẽ expetiuerunt: alter genere par, tutoribus fretus, qui & ipsi Plebeij erant. Alter nobilis, nulla re, prætercq; forma puellæ captus, Optimatiũ studijs adiutus. Itaq; certamen partium in domum puellæ penetrauit, matre partes nobilis tuente, quæ quàm splendidissimis nuptijs iungi puellam uolebat, tutoribus suum defendentibus: Res in iudicium deducta, matris & tutorũ postulatis auditis, Magistratus secundũ parẽtis arbitrium, dant ius nuptiarum, prævaluit uis alterius partis. Nam manu facta, uirginẽ ex domo matris rapiunt. Iuuenẽ alterũ copia Optimatium sequitur, quibus concurrentibus, fit atrox prælium, pulsa plebs armata ex urbe profecta, colle quodam capto, in agros Optimatium ferro ignicq; excursiones facit, urbẽ obsidere parat: Optimates in auxilium urbis obsessę Romanos uocãt. Plebs ad expugnandam secum Ardeam Volscos excuere, quam obsidentibus Volscis, Consul Romanus exercitũ contra eos ducens, omnes ad internicionẽ deleuit, uix nuncijs cædis relictis. Et ad hunc modum ea primũ casu excitata, deinde non paruo negocio extincta fuit seditio. Aristoteles nonnunq; situ ciuitatũ, seditionum causam esse scribit, ut quando talis est locus, ut non ad unã eandemq; gubernationem sit aptus, ut Clazomenijs accidisse ait, qui in Chytro habitãt, contra eos, qui habitãt in Insula, & Colophonijs erga Notios. Et Athenis quoq; nõ eodem modo, sed multo magis populares fuisse, qui Pyręo habitarũt, quàm qui in urbe. Vt. nin prędijs transitus fossarũ, etiamsi admodũ paruę sint, interrumpit ordines militũ: Ita in ciuitate dissimilitudo omnis uidetur dissensionem facere. Sic de Alexandria refert Ammianus Marcellinus, eam quasi fataliter & suopte more fuisse seditiosam: Ita, ut ubi causæ etiam non suppeterent, seditionibus crebris agitaretur, & tumultibus. Cui

Tit. Liuius li. 4. ab urb. cõd.

lib. 5. pol. c. 3.

lib. 22.

consentit,

Trip. lib. 11. cap. 12. consentit, quod Socrates in Tripartita scribit. Alexandrinorum populum plus quàm alias generationes seditionibus deditũ fuisse. Appianus, in eo libro, qui Syrus inscribitur, narrat Magos Seleuco Regi de fortuna urbis Seleuciæ à se condendæ consulenti, de die & hora fundamentorum urbis respondisse. Sunt etiam, qui Romam fataliter seditiosam fuisse tradant, idq; mali à prima statim fraterna seditione, Romuli & Remi, in posteros quoq; descendisse. Quod Poeta hic carminibus significare uidetur.

Horatius libro Epodõ ode 7.

Quoquo scelesti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?
Parum ne campis, atq; Neptuno super
Fusum est Latini sanguinis?
Non ut superbas inuidæ Carthaginis
Romanus arceis ureret,
Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacra catenatus uia:
Sed ut secundum uota Parthorum, sua
Vrbs hæc periret dextera.
Neq; hic lupis mos, nec fuit leonibus
Vnquàm, nisi in dispar feris.
Furorne cæcus, an rapit uis acrior?
An culpa? responsum date.
Tacent, & ora pallor albus inficit,
Mentesq; perculsæ stupent.
Sic est, acerba fata Romanos agunt,
Scelusq; fraternæ necis,
Vt immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

Iam & propter peccata nostra Deus seditionibus nos, aliisq; persequutionibus affligi permittit. Sicut à Iudæis ex eo tempore, quo Christum crucifixerunt nunquam seditionum furor recessit, nunquam bella mortesq; cessarunt, donec eos ultimum & exitiale malum obsidionis temporibus Vespasiani incluſit.

c. scisciteris 7. q. 1. Euseb. lib. 2. c. 6. Eccles. historiæ.

Nimiam

Nimiam fœlicitatem, esse causam seditionum,
Caput XIIII.



Vltæ & uariæ à nobis seditionum causæ enumeratę sunt: sed quæ ad unam omnes, à qua ueluti fonte quodam deriuantur, referendæ uidentur, ea nimirum est nimia fœlicitas. Nam & luxus, auaritia, ambitio, contemptus, præpotentia, incrementum excessuum, negligentia, dissimilitudo, praui mores, atq; aliæ eiusdem generis seditionum causæ, ab una illa, quam diximus, nimia fœlicitate descendunt. Prǽcipua seditionũ causa, Nimia est fœlicitas.

Porro fœlicitatem uocamus, non eam, quæ in usu Iustitiæ, Prudentiæ, Fortitudinis, Temperantiæ, aliarumq; uirtutum consistit: Sed quam uulgus ex uniuscuiusq; uiuendi modo & uoluntate æstimat, aliis quidem in uoluptate, aliis in diuitijs, aliis in honore, aliis in aliis similibus rebus, fœlicitatem ponentibus. Quid hic fœlicitas dicitur.

Etenim quæ prioris generis fœlicitate gaudet Respublica, à discordijs & seditionibus immunis est. Nam ad hunc modum Respublica tum fœlix esse dicitur, quum res populi bene & iuste geritur, siue ab uno Rege, siue à paucis Optimatibus, siue ab uniuerso populo. Iustitia siquidem uirtus est, qua concordia, arctissimum atq; optimum omnium in Republica uinculum incolumitatis, conseruatur. Cum uero iniustus est Rex, quem Tyrannum appellamus, aut iniusti Optimates, quorũ consensus factio esse dicitur, aut iniustus ipse populus, quem & ipsum Tyrannum appellare possumus: non solum non fœlix, sed nulla etiam Respublica esse dicetur. Quia neq; res populi esset, quæ non iuste geritur, sed Tyranni factione capessitur. Immo nec populus quidem esset, qui non esset cœtus iuris consensu, & utilitatis communione sociatus. Iustitia est uinculum concordiæ in Repub.

Ac talis quidem Respublica Romanorum fuit, primum sub Regibus, ac deinde multo etiam tempore sub Consulibus: qua tempestate (ut scribit Salustius) omnes laudis auidi, pecuniæ liberales erant. Gloriam ingentem, diuitias honestas uolebant, boniq; mores domi militiæq; colebantur. Concordia maxima, minima auaritia erat: apud quos ius bonumq; non legibus magis, quàm natura ualebat. Iurgia, discordias, simultates cum hostibus, exercebant: Ciues cum ciuibus de uirtute certabant. Duabus his artibus, audacia in bello: ubi pax euenerat, æquitate, fecq; remq; publicam curabant. Respub. Ro. sub Consulibꝰ optima.

Huic contraria est fœlicitas, quam posterioribus temporibus Romani in diuersum mutatis moribus constituerunt. Nam (ut idem Salustius ait) postquam labore atq; iustitia Respublica creuit, Reges magni bello domiti, nationes fere & populi ingentes, ui Fœlicitas Rempub. destruit.

ſubacti: Carthago, æmula Imperij Romani, à ſtirpe interijt. Cuncta maria terræq; patebant: ſequire fortuna cœpit: qui labores, pericula, dubias atq; aſperas res facile tolerauerant, ijs ocium diuitiæq; optandæ, alijs oneri miſerieq; fuere.

Auaritia et ambitio duæ peſtes Reipub.

Igitur cupido pecuniæ primo, deinde Imperij creuit: ea quaſi materies omnium malorum fuere. Nanq; auaritia fidem, probitatem, cæteraſq; bonas artes ſubuertit: pro his ſuperbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia uenalia habere, edocuit. Ambitio multos mortales falſos fieri ſubegit, aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promptum habere: amicitias inimicitiaſq;, non ex re, ſed ex commodo æſtimare, magiſq; uultum, quàm ingenium bonum habere. Hæc primo paulatim creſcere, interdum uindicari: poſt, ubi contagio quaſi peſtilentia inuaſit, ciuitas eſt immutata, Imperium ex iuſtiſsimo atq; optimo, crudele intolerandumq; factum eſt: Auaritia & ambitio hominum animos exercebant. Poſtquam igitur diuitiæ honori eſſe cœpere, & eas gloria, Imperium, potentia, ſequebantur: hebeſcere uirtus, paupertas probro haberi, innocentia pro maleuolentia duci cœpit. Igitur ex diuitijs iuuentutem luxuria atq; auaritia cum ſuperbia inuaſere, rapere, conſumere: ſua paruipendens, aliena cupere, pudorem, pudicitiam, diuina atq; humana promiſcua, nil penſi atq; moderati habere.

Falſa fœlicitas in prauis morib.

His igitur moribus infecta Reſpublica, quid mirum, ſi aliam quoq; cum his conſentientem fœlicitatem, ſi modo in ſceleribus fœlicitas eſſe poteſt, proponendam ſibi putauit. Sed age, audiamus iã qualis omnino ſit iſta fœlicitas, cuius imaginem ad hunc ferè modum referunt, qui eam colunt, ut ſcribit Auguſtinus. Nullo modo curamus, inquiunt fœlices illi, peſsimam ac flagicioſiſsimam non eſſe Rempublicam: Tantum ſtet, tantum floreat copijs referta, uictorijs glorioſa, uel quod eſt fœlicius, pace ſecura ſit. Et quid ad nos? Immo id ad nos magis pertinet, ſi diuitias quiſq; ſemper augeat, quæ quotidianis effuſionibus ſuppetant, per quas ſibi etiam infirmiores ſubdat quiſq; potentior.

Auguſt. lib. 2. c. 20. de ciuit. Dei.

† *ſecuritatis.*

Obſequantur diuitibus pauperes cauſa † ſaturitatis, atq; ut eorum patrocinijs quieta inertia perfruantur, diuites pauperibus ad clientelas & ad miniſterium ſui faſtus abutantur. Populi plaudant non Conſultoribus utilitatum ſuarum, ſed uoluptatum largitoribus. Non iubeantur dura, non prohibeantur impura. Reges non curent quàm bonis, ſed quàm ſubditis regnent: prouinciæ Regibus non tãquam rectoribus morum, ſed tanquam rerum dominatoribus, & delitiarum ſuarum prouiſoribus, ſeruiant, eoſq; non ſynceriter honorent, ſed nequiter ac ſerui liter timeant. Quid alienæ uitæ potius, quàm quis ſuæ uitæ quiſq; noceat, legibus aduertatur. Nullus ducatur ad iudices, niſi qui alienæ rei, domui, ſaluti, uel cuiquam inuito fuerit importunus, aut noxius. Cæterum de ſuis, uel cum ſuis, uel cũ quibuſcunq;

Vita uoluptuoſa.

cunq; uolentibus, faciat quisq; quod libet. Abundent publica scorta, uel propter omnes, quibus frui placuerit: uel propter eos maxime, qui habere priuata non possunt. Extruantur amplissimæ atq; ornatissimæ domus, ubi opipara conuiuia frequententur, ubi cuiq; libuerit, & potuerit, die noctuq; ludatur, bibatur, uomatur, defluatur. Saltationes undiq; concrepent, theatra inhonestæ lætitiæ uocibus, atq; omni genere, siue crudelissimæ, siue turpissimæ uoluptatis exæstuent. Ille sit publicus inimicus, cui hęc fœlicitas displicet. Quisquis eam mutare uel auferre tentauerit, eum libera multitudo auertat ab auribus, euertat à sedibus, auferat à uiuentibus. Illi habeantur Dij ueri, qui hanc adipiscendam populis procurauerint, adeptamq; seruauerint. Colantur ut uoluerint, ludos expoſcant, quales uoluerint, quos cũ suis, uel de suis possunt habere cultoribus: tantum efficiant, ut huic fœlicitati nihil ab hoste, nihil à peste, nihil ab ulla clade timeatur. Hæc est igitur fœlicitas illa, ad quam omnes seditionum causas referri dicebamus, & id non omnino mala ratione. Nã quæ isto modo fœlix est Respublica, diuitijs quidem abundat, in ocio delitiatur, uoluptatibus indulget, uictorijs gloriosa, & ab hoste externo secura dominatur: Verum his rebus ciuium moliti atq; corrupti animi, in ea uitia prolabantur necesse est, quibus ad discordiam, contentiones, & seditiones prouocantur. Etenim uoluptatem luxus, luxum auaritia, auaritiam iniqua lucra & ambitio, & quæ sunt reliqua eiusdem generis, comitantur, ex quibus enasci seditiones, supra demonstrauimus. Sed & ocium & securitatem, multa mala sequuntur.

Fœlicitas terrena.

Et in primis uitijs insuescunt, qui in ocio degunt. Quemadmodum exercitus L. Syllæ, quem in Asia ductauerat, ubi loca amœna, uoluptaria, feroces militum animos molliuerant: tum primum insueuit amare, potare: signa, tabulas pictas, uasa cælata mirari, ea priuatim & publice rapere, delubra spoliare, sacra prophanaq; omnia polluere, ut Saluſtius scribit. Sic & Hannibalis exercitum, quem post Cannensem pugnam Capuæ hybernans, in tectis habuit, aduersus omnia humana mala sæpe ac diu durantem, bonis inexpertum & insuetum: quem nulla uis mali uincere potuit, nimia bona ac uoluptates immodicę, somnus, uinũ, epulę, et scorta, balneaq; et ocium, perdiderunt: & ita corpora animosq; eneruauerunt, ut magis deinde præteritæ uictoriæ eos, quàm præsentes tutarentur uires, ut Liuius testatur. Ideoq; negocium populo Romano, melius quam ocium committebatur, ut Appium Claudium dicere solitum accepimus. Non quod ignoraret, quàm iucundus tranquillitatis status esset, sed quod animaduerteret, præpotentia Imperia agitatione rerum ad uirtutem capessendam agitari, nimia quietem desidia resolui. Et recte subdit. Sane negocium horridum nomine ciuitatis nostræ mores in suo statu cõtinuit: blãdę appellationis quies plurimis uitijs respersit.

Corrupti delitijs milites.

Saluſt. de coniuratione Catilinæ.

T. Liuius li. 3. ſecundi belli Punici.

Val. Max. lib. 7. c. 2.

Lib. 3. c. 12. Epitomes.

Ex hac igitur fœlicitate nimia, omnes prope ciuiles Romanorum dissensiones enatæ sunt. Quod & Lucius Florus testatur his uerbis. Hęc est, inquit, illa tertia ętas populi Ro. transmarina, qua Italia progredi ausus, orbe toto arma circũtulit. Cuius ætatis superiores centũ anni sancti, pij, et aurei, sine flagitio, sine scelere, dum syncera adhuc, & innoxia pastoriæ illius sectæ integritas, dumq; Pœnorũ hostium imminens metus, disciplinam ueterem continebat. Postremi centum, quos à Carthaginis, Corinthi, Numantiæq; excidijs, & Attali Regis in Asiatica hæreditate, deduximus in Cæsarem, & Pompeium, sequutumq; hos, de quo dicemus, Augustum, ut claritate rerum bellicarum magnifici, ita domesticis cladibus miseri & erubescendi. Quippe, sicut Galliam, Thraciam, Ciliciam, uberrimas ualidissimasq; prouincias, Armenios etiam, & Britannos, ut non in usum, ita ad imperij speciem magna nomina acquisisse pulchrum atq; decorum: Ita eodem tempore dimicasse domi cum ciuibus, socijs, municipijs, gladiatoribus, totoq; inter se Senatu, turpe atq; miserandum.

Nimia potentia Rem pub. corrũpit.

Ac nescio, an satius fuerit populo Romano, Sicilia & Aphrica contentum fuisse, aut his etiam ipsis carere dominãti Italia sua, quàm eò magnitudinis crescere, ut uiribus suis conficeretur. Quæ enim res alia furores ciuiles peperit, quàm nimia fœlicitas? Syria prima nos uicta corrupit. Mox Asiatica Pergameni Regis hæreditas. Illæ opes atq; diuitiæ afflixere sæculi mores, mersamq; uitijs suis, quasi sentina Rempublicã pessundedere. Vnde enim populus Romanus agros et cibaria flagitaret, nisi per famẽ, quam luxus fecerat? Hinc ergo Gracchana, & prima, & secunda, & illa tertia Apuleiana seditio. Vnde ut regnaret de Iudiciarijs legibus diuulsus à Senatu Eques, nisi ex auaritia? ut uectigalia Reipublicę, atq; ipsa iudicia in quæstu haberentur?

Vnde enascũtur bella.

Hinc rursus & promissa ciuitas Latio, & per hoc arma sociorum. Quid autem bella seruilia? unde nobis, nisi ex abundantia familiarium? unde gladiatorij aduersus dominos suos exercitus, nisi ad conciliandum plebis fauorem effusa largitio? Quum spectaculis indulget, supplicia quondam hostium artem facit. Iam ut speciosiora uitia tangamus, nonne ambitus honorum ab hisdem diuitijs incitatus? Atq; inde Mariana, inde Syllana potestas: aut magnificus apparatus conuiuiorum, & sumptuosa largitio, nonne ab opulentia, paritura mox egestatem? Hæc Catilinam hostem patriæ suæ impegit.

Denicq; illa ipsa Principatus & dominandi cupido, unde, nisi ex nimijs opibus uenit? Hęc Cæsarem atq; Pompeium, furialibus in exitium Reipublicæ facibus armauit.

De

Quibus modis seditiones, per fraudes seditiosorum collectis coactisq; in eorum societatem hominibus, augeantur atq; corroborentur? Cap. XV.



Actenus de causa efficiente Principali seditionum dictum est: Reliquũ iam est, ut de Instrumentali dicamus. Porro Instrumentalem accipimus media, quibus uelut instrumentis quibusdam seditiones non solum excitantur, sed etiam augentur atq; corroborantur. Quemadmodum aũt in cæteris rebus duobus modis, id est, aut ui, aut fraude fit iniuria, ut inquit Cicero: Ita & duo sunt media, quibus seditiones exercentur, Vis & dolus, ut scribit Aristoteles. Vis infertur uel statim ab initio et inconsulto, gliscente iam seditione: uel ex interuallo & consulto. Ab initio & inconsulto, ut quoties tumultus subito & casu oriuntur. Ex interuallo & consulto, ut quæ pręparata aliquanto tẽpore seditione, & interueniente deliberatione aliqua, irrogatur. Fraus duplex est: quædã enim in congregandis cogendisq; ad corroborandã seditionẽ hominibus concipitur. Quædam uim infert his, qui seditiosorũ conatibus resistunt, uel inferendam illatãuè ab eisdem repulsat. Vis in armis: Dolus in fraudulentis consilijs, uersatur. Fraus quasi uulpeculæ: Vis leonis uidetur. Vtrunq; alienissimum ab homine est, sed fraus odio digna maiore, ut idem ait Cicero. Ad primum igitur genus fraudis pertinent consilia, quibus id agunt seditionũ authores, ut quas parturiũt seditiones, & maturius enascantur, & natæ uberius crescãt, augeantur, & quàm latissime propagentur. Ea rursus duplicis sunt generis. Nam quædam occultè, quædam apertè capiuntur. Prioris generis sunt, clandestinæ consultationes, & occulta colloquia, quibus singulorum animos pertentant, & multorum exploratis ingenijs, eos sibi societate iungunt. Quos & ipsos à moribus suis minime abhorrentes, dissensionum studiosos, & ad excitandos tumultus idoneos esse depræhenderint, homines uidelicet sceleratos, callidos, & uersutos, & ad quiduis audendum promptos & imperterritos. Alterius generis sunt, deliberationes, quæ uel secessione in loco aliquo abdito, uel in publicis conuentibus fiunt, in quibus collecta iam multitudine, per eos, qui prudentia aliqua & eloquentia cæteris præstare uidentur, causam, quam occulte antea deliberarunt, publice cognoscendam proponunt: quam & argumentis ad eam rem pertinentibus confirmant, & quæ sunt his contraria confutant. Omnium autem maxime legum, & qui earum ministri sunt, Magistratuum authoritatem deijciunt: rati nimirũ, hac ipsa tanquam scelerum suorum uindice sublata, nihil superesse, quod eorum conatibus obsistere possit. In quibus omnibus, nihil etiam eorum omittunt, quæ

Causa Instrumentalis seditionum.

Vis. *Lib. 5. Politicorum c. 4.*

Fraus duplex.

Clandestinæ consultationes seditiosorũ.

Opprimere legum et Magistratuum Authoritatem.

ad concitandos affectus eorum, apud quos causa agitur, quacunq; ratione pertinere uidentur. Si quid enim fauorabile, inuisum aut miserabile in re est, aut uideri potest: id totũ ante oculos ponunt, nunc metum inijcientes, nunc inuidiam, odiũ, iram concitantes, nunc ad commiserationem commouentes, & lachrymas etiam ipsa oratione excutientes. Postremo, quo firmior inter eos constet fides, & semel cõtracta cõspiratio, iuris quoq; iurandi religione eã ipsam cõfirmant. Verũ, quo clarius hæc omnia cognoscantur, exemplis quoq; ea ipsa probanda uidentur. Catilina seditionẽ aduersus patriam meditatus, primũ omniũ societatem cũ pessimis quibusq; hominibus contraxit.

Consilia ad Seditiones.

Saluſt. de coniur. Catilinæ.

Idonei ad seditiones socij.

Nã quicũq; impudicus, adulter, Ganeo, alea, manu, uẽtre, pene, bona patria dissipauerat: quicq; es alienũ grande cõflauerat, quo flagitiũ et facinus redimeret. Præterea omnes undiq; parricidæ, sacrilegi, cõuicti iudicijs, aut pro factis iudicium timentes: ad hoc, quos manus atq; lingua periurio, aut ciuili sanguine alebat. Postremo omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, hij Catilinæ proxime familiares erant. Quod si quis etiam à culpa uacuus, in amicitiã eius inciderat, quotidiano usu atq; illecebri, facile par similisq; ceteris efficiebatur. Sed maxime iuuenũ, uel adolescentium familiaritates appetebat, eorũ animi molles & ætate fluxi, dolis haud difficulter capiebãtur. Nã ut cuiusq; studiũ exætate flagrabat, alijs scorta præbebat, alijs canes atq; equos mercabatur. Postremo neq; sumptui, neq; modestiæ suæ parcebat, dum illos obnoxios fidosq; sibi faceret, ut hæc & alia multa, ad eandem rem pertinentia, de eo scribunt Salustius, Cicero, Appianus, & alij Romanarum rerum scriptores. Ac talem quidem societatem & familiaritatem, per occulta colloquia cum singulis contraxit, quos & singulos consiliorum suorum participes fecit.

Iuuenes à Catilina illecti.

Deinde, ubi cum singulis egit, in rem fore credens uniuersos appellare & cohortari, in abditã partem ædiũ secedit, atq; ibi orationem huiusmodi habuit, ut idem refert Salustius. Nisi (inquit) uirtus atq; fides uestra satis spectata mihi foret, ne quicquam opportuna res cecidisset. Spes magna, dominatio in manibus frustra fuissent, neq; ego per ignauiam, aut uana ingenia, incerta pro certis captarem: Sed quia multis & magnis tempestatibus uos cognoui fortes, fidosq; mihi, eo animus ausus est, maximum atq; pulcherrimum facinus incipere, simul quia uobis eadem, quæ mihi bona malaq; esse intellexi. Nam idem uelle, atq; idem nolle, ea demum firma amicitia est: Sed ego, quæ mente agitaui, omnes iam antea diuersi audistis. Cæterum mihi indies magis animus accenditur, cum consydero, quæ conditio uitæ futura sit, nisi nosmetipsos uindicemus in libertatem. Nam postquam Respublica in paucorum potentium ius atq; ditionem concesit, semper illis Reges, Tetrachæ, uectigales esse: populi, nationes, stipendia pendere. Cæteri omnes, strenui, boni,

Oratio Catilinæ ad suos in abdito loco.

boni, nobiles, atq; ignobiles, uulgus fuimus, sine gratia, sine authoritate: his obnoxij, quibus si Respublica ualeret, formidini essemus. Itaq; omnis gratia, potentia, honos, diuitiæ, apud illos sunt, aut ubi illi uolunt: Nobis reliquere pericula, repulsas, iudicia, egestatem. Quæ quousq; tandem patiemini ò fortissimi uiri? Nonne emori per uirtutem præstat, quàm uitam miseram atq; inhonestam, ubi alienæ superbiæ ludibrio fueritis, per dedecus amittere? Verum enimuero per Deûm atq; hominum fidem, uictoria in manu nobis est, uiget ætas, animus ualet: Contra, illis annis atq; diuitijs omnia consenuere. Tantummodo incœpto opus est, cætera res ipsa expediet. Etenim quiuis mortalium, cui uirile ingenium est, tolerare potest, illis diuitias superare, quas profundant in extruendo mari, & montibus coæquandis: nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse: illos binas aut amplius domos continuare, nobis larem familiarem nusquam ullum esse? cum tabulas, signa, toreumata emunt, noua diruunt, alia ædificant. Postremo omnibus modis pecuniam trahunt, uexant, tamen summa libidine diuitias suas uincere nequeunt.

At nobis est domi inopia, foris æs alienum, mala res, spes multo asperior: Denicq; quid reliqui habemus, præter miseram animam? Quin igitur expergiscimini: En illa, illa quam sæpe optastis libertas. Prætera diuitiæ, decus, gloria in oculis sita sunt: Fortuna omnia ea uictoribus præmia posuit. Res, tempus, pericula, egestas, belli spolia magnifica, magis quàm oratio mea uos hortentur. Vel Imperatore uel milite me utimini, neq; animus neq; corpus aberit à uobis. Idem quoq; oratione habita, cum populares ad iusiurandum sceleris sui adduxisset: humani corporis sanguinem, uino permixtum, in pateris circumtulit, ut cum inde post execrationem omnes degustassent, sicut in solennibus sacris tum fieri consueuit, alius alij tanti facinoris conscij, magis inter se fidi forent. Cõiuratio humano sanguine cõfirmata.

Iam uero quod ad mouendos affectus pertinet, non dicendo tantum, sed etiam faciendo & rebus ipsis, uelut spectaculis quibusdam ob oculos positis, concitatis affectibus, quo uisum fuerit flectere auditorum animos deliberant. Quam rem & casus sæpe, nulla etiam intercedente deliberatione, adiuuat. Deliberationis fuit illud, quod in seditionẽ ob Cæsaris necem ortam, in forum præcipitato ipsius cruenta prolata fuit. Quod spectaculum Romanum populum in furorem egit. Similiter corpus ipsius lecto impositum, quæ ita imaginem sceleris repræsentarunt, ut non occisus Cæsar ipse, sed tamen maxime occidi uideretur. Ad cõmouendos affectus spectacula quædam. *Quintil. lib. 6. orat. inst.*

Similiter illud, quod Leuita cadauer uxoris suę, quam uiri ciuitatis Gabaa per furorem libidinis occiderant, in duodecim partes ac frusta concidit, & ad concitandos omnes, ad uindictam *Iud. 20.*

sceleris, in omnes partes Israël misit: horrendum sanè spectaculum, quo & commotus est populus Israël, ut pugna contra Tirbum Beniamin instituta, tam horrendum scelus ulti, uiginti quinq; millia occiderint, ex omni eorum numero sexcentis tantum uiris, qui per fugam elapsi fuerant, relictis. Ad casum uero pertinere uidetur illud, quod Romę seditione propter ęs alienũ & fœnus, quibus plebs à potentioribus grauabatur, accidit. Nam plebe inualidam sẽ esse ad dissoluendum æs alienum dicente, propter exhaustos in militiam sumptus, aliaq; damna & incõmoda, quæ domi militiæq; acceperãt. Contra uero Creditoribus huiusmodi calamitates omnibus fuisse communes contendentibus, & ob id nihil plebi remittentibus, cum iam uarius esset concursus, & cateruæ hominum inter se diuersæ: Ecce uir senior in foro apparuit, pannis armisq; obsitus, barba promissa, & capillis, qui efferauerant speciem oris, clamans, & implorans ab hominibus auxilium. Concurrente autem propius turba, stans ipse eò, unde à multis conspiciendus esset, se fuisse ait liberum, militasse bellis omnibus, atq; duo de Triginta prælijs decertasse, præmiaq; uictoriæ ex illis sæpenumero accepisse. Verum ubi urbem tempora detinuere, in ultimas eam angustias adducentia, coactum ait se, pecuniam sumere mutuo, soluendorum tributorum necessitate: ac posteaquam rus ei populati sunt hostes, resq; urbanas uictus quotidianus absumpsit: Non habens (inquit) unde possem æs alienum dissoluere, abductus sum à Creditore seruus, cum duobus filijs. Imperante uero domino opus quoddam haud facile, cõtradicens ei, uerbera accepi plurima. Et hæc dicens, proiecit pannum, ostenditq; pectus plenum cicatricibus: dorsum uero ex uerberibus repletum sanguine. Ad hæc uisa auditaq;, clamor ingens oritur, nec foro iam se tumultus continet, sed passim totam urbem peruadit, nexu uincti solutiq; se undiq; in publicum proripiunt. Quo quidem spectaculo ita omnium affectus tum ad iram, inuidiam & odium, aduersus Creditores: tum ad commiserationem misere ob æs alienum oppressæ plebis concitati sunt. Et ita multitudinis accensis animis, ipsa quoq; inflammata seditio fuit, ut nisi Consules ad comprimendam seditionem interuenissent, etiam ad manus & arma uentum fuisset.

Seditio propter æs alienũ plebis.

Spectaculũ de uiro militari, à Creditore suo indigne tractato.

Liuius lib. 2. ab. urb cond. et D. Halicarnaseus lib. 6. antiquitatum Ro.

Illud quoq; ad hanc speciem fraudis pertinet, qua seditiones coacta hominum multitudine corroborantur. Quia quos non possunt uerbis & eloquentiæ fuco, eos pecunia, aliisq; datis muneribus, & magnificis promissionibus, corrumpunt, tum minis quoq; & terriculamentis compellunt. Quod cum omnibus seditiosis proprium, tum uero maxime hæreticis & schismaticis peculiare est.

Alia species fraudis seditiosorum.

Eusеb. lib. 5. c. 28.

Sic Notalis Confessor Catholicus, deceptus aliquando ab Asclepiodoto quodam & Theodoto collectarijs, qui ambo discipulierant Theodoti Coriarij Hæresiarchæ, qui Romæ ausus est dicere,

dicere purum hominem fuisse Christum. Ob quem errorem, & à Victore Romanę urbis Episcopo eiectus est, & à Communione Ecclesiæ repulsus: certa pactione quinquaginta Denariorū menstruæ præstationis, nominari se Episcopum illius factionis passus est. Sed qui admonitus à Domino in somnis, & cum eas uisiones negligentius susciperet, tandem etiam ab Angelis per totam noctem uerberatus, & pœnis grauibus excruciatus, cum errorem suum deflens, omnem Ecclesiam prouocasset, ut indulgentiam sibi à Christo continuis & iugibus pro ipso precibus implorarent: uix aliquando in Communionē Ecclesiastici corporis reuocatus est. Sic et de Timotheo Herulo, Eutichianæ sectatore hæresis, narrant Historiæ, eū noctu Monachorum cellas circuisse, et unumquemq; ex nomine uocasse, & respondentibus dixisse, Ego Angelus sum, dicere omnibus, ut abscedant à Cōmunione eorū, qui Chalcedone conueniissent, et Timotheum Herolum in Episcopum Alexandrię proueherent. Verum cum is eā sedē huiusmodi fallacia obtinere nō posset, multitudine inquietorum uirorum empta per seditionem, eam ipsam adeptus est.

Fraus Exācommunicati hæretici.

Niceph. in Eccles. Historia.

Petrus Gnaphæus, Zenonem Imperatorem hæreticū sequutus, denarios Millia hominum, Apollinaristarum errore infectorum, mercede contra Catholicam fidem conduxit. Sic Vlphilas Gothorum Episcopus, qui primus literas Gothicas adinuenit, et scripturas diuinas in eam conuertit linguā, semper antea Nicænā fidem amplexus, tandem uerbis pecuniisq; ab Eudoxio Arriano corruptus, eò actus est, ut Communionē Valentis Imperatoris Arriani amplecteretur.

Tri. li. 5. c. 38.

Tri. li. 8. c. 13.

Tri. li. 7. c. 13.

Iam & ad auertendos à Catholicæ Ecclesię Cōmunione homines, ea fraude utuntur hæretici et schismatici, ut quos intelligunt fiduciam aliquam in potentiam Catholicorū collocare, eos ab eà spe deducentes, & ad desperationem adducentes, quasi per metum suorum criminū, socios atq; participes faciant. Sic Arriani tempore, quo maximus Tyrannus de Britannorum partibus aduersus Theodosium Principem Romanorū infestabat Imperiū, Constantinopoli positi, diuersas opiniones in populo seminātes, dixerunt, & exercitū Imperatorē amisisse, & ipsum Tyranni ducibus subiugatū, aliaq; multa, quę solēt inimici uoto malitiæ iactare: Ita, ut crebro hęc audiētes, non uana aut incerta, sed uera iā crederēt: eo nimirū animo hęc cōminiscētes, ut & Catholici de uictoria et potētia Catholici Imperatoris desperātes, à Cōmunione Catholicę fidei deficerēt: Et hęretici ea spe erecti et firmati, cōstantius in errore suo perseuerarēt, et atrocius Catholicos persequerētur, sicut et euentus docuit. Nā eo rumore Arrianorū populus accensus, domū Nectarij Catholici Episcopi cōcremauit. Sic Lucius et Magnus Arriani, tēporibus Valentis Imp. Arriani impietatis Duces, antea multis modis Catholicos pſequuti, tādem ad minas et alia terriculamēta, ac postremo ad bona etiā uerba conuertunt,

Trip. lib. 9. c. 20. & c. 23. Sparsi in populum falsi rumores.

Trip. lib. 7. c. 40.

Presbyteros

Presbyteros & Diaconos Decem et nouem tanquam sceleratos homines compræhendentes, quorũ quidam Octogesimũ etiam transcenderant annum, his uerbis eos adoriuntur. Flectimini, inquit Magnus, miserrimi, & Arrianorũ concordate dogmatibus. Flectimini: ignoscet enim uobis diuinitas, licet ueræ Religionis cultũ exhibeatis, non sponte, sed uiolenter hoc faciẽtes. Necessitati nanq; satisfactio adest: Spõtaneã uero uoluntatem accusatio digna subsequitur. Quapropter huiusmodi rationes præ oculis habentes, promptè sequimini, & dogmati Arrino subscribite, quod nũc prędicat Lucius, bene scientes, quod si obediatis, pecunias, quęstus, honores, ab Imperatore percipietis: Resistentes uerò, carceres, supplicia, tormenta, flagella, uincula sustinebitis. Pecunijs simul, possessionibusq; priuati, & postea pulsi, loca crudelia inhabitare damnabimini. Sic iste fortissimus seductor minas seductioni contẽperans, inuitabat atq; cogebat, ut omnes à pia sententia deuiarẽt. At illi nihil amarius existimantes, quàm pietatis proditionẽ, huiusmodi responderũt uerbis, uirtute fortiq; sensu seductionẽ minasq; subdentes. Quiesce iam, quiesce his nos terrere sermonibus, cessa uerba uana proferre: Nos neq; nouũ, neq; recentẽ colimus Deũ. Et licet inaniter furias, teq; cõcutias, sicut uehemens uentus, in dogmatibus pietatis ad mortẽ usq; cõsistimus.

Fraudulẽta exhortatio Magni, Arriani.

Intrepida responsio Catholicorum.

Victor de persequutione Vandalorum lib. 11.

Et ad eundẽ modũ Anabaptistę & Arriani, Catholicos in Aphrica minis et blandis uerbis corrũpere conati sunt: Quod his uerbis testatur Victor, qui et ipse quę scripsit, corã etiam uidit. Superueniẽtes, inquit, Comites duo subtilitate dãnabili, blandis sermonibus cũ Dei Confessoribus (Quos tũ carceribus inclusos tenebãt) agere cœperũt. Quid uobis, inquiunt, uidetur, ut ita pertinaces Domini nostri pręceptis minime obtemperetis, qui esse poteratis in cõspectu Regis honorabiles, si eius festinetis facere uoluntatẽ: Statim illis clamãtibus & dicentibus ingẽti uociferatione. Christiani sumus, Catholici sumus, Trinitatẽ unum Deũ inuiolabilẽ confitemur. Includuntur grauiore quidem, sed adhuc latiore custodia, ubi nobis copia dabatur et introire, & uerbũ admonitionis fratribus facere, & diuina mysteria celebrare. Et Augustinus refert, multos Catholicos in Aphrica ad reiterandum Baptisma, ab Anabaptistis fuisse coactos. Sed nec satis habent seditiosi, aliorũ sibi societatem & familiaritatem comparasse, nisi & quos semel deceperũt, eorũ etiam fidẽ, interposita iurisiurandi religione, obstringant. Sic Apuleius lata lege Agraria, ac populo ipsius promulgationi instante, Senatum pręfixo quinq; dierum termino, in legẽ iurare, aut iusiurandum non præstantes, Senatu amouere cogebat: Et ulterius uiginti Talentorum pœna populo soluendo eos condemnare. Nec apud ueteres tantum ea seditiosorum malignitas fuit. Nam & posterioribus temporibus, ut est natura hominum semper ad dissensiones prona, seditiosi ad seditiones uel excitandas,

August. epist. 111.

Seductos ad sectam iureiurando obstringere.

Appianus de bell. ciuili lib. Ro. lib. 1.

tandas, uel fouendas & confirmandas, ijsdem prope diuersis etiam temporibus concionibus usi sunt. Sic longo post tempore Friderico Primo Imperij gubernacula tenẽte, ac cõtra ipsum multorũ conspiratione facta, rebelles ipsa etiã iurisiurandi Religione, seditionem ipsam cõfirmare conati sunt. Siquidem aduersus Imperatorẽ conspirantibus, maxima parte Cardinaliũ sedis Apostolicæ, & Guilielmo Rege Siciliæ, & uniuersæ prope Italiæ ciuitatibus, id inter cõspiratores cõuenit, & iureiurando interueniente, confirmatũ est, ut nulli ab altero recedere liceret, uel Imperatoris gratiã, nisi cõsentientibus omnibus, requirere: Et si Pontifex, qui eiusdẽ factionis erat patronus, in mortui Pontificis locũ eligeretur. Ad eundẽ modũ hæretici quoq; & schismatici, Catholicos cogere solent, & non solũ iureiurando ad negandã Catholicã ueritatẽ adigere, sed etiã sub prętextu iurisiurandi, uarijs eos perplexitatibus innectere: De qua re tale Regis Vandalorũ Hunerici, Arriani & Anabaptistæ, extat exemplũ. Nam institutio ab eo in causa Religionis colloquio, cũ uenissent Episcopi, charta eis ostenditur inuoluta, diciturq; illis. Dominus noster Rex Hunericus, licet doleat, quod fueritis contemptores, & adhuc uoluntati eius obedire tardetis, ut eius efficiamini Religionis, cuius est ipse: nunc tamen bonum de uobis cogitauit. Si iuraueritis ita, ut quod ista charta continet, faciatis: dimittit uos Ecclesijs & domibus uestris. Ad quod uniuersi Episcopi responderunt, semper dicimus & diximus, & dicturi sumus. Christiani sumus, Episcopi sumus, Apostolicam fidem unam & ueram tenemus. Factoq; post confessionem silentio modico, illi qui à Rege fuerant destinati, festinabant extorquere Episcopis sacramentum.

Conspiratio contra Fridericũ Imp. I.

Naucl. uol. 2. genera. 30, Victor lib. 3. de persequ. Vandalorum.

Colloquiũ sub Hunerico Rege Arriano.

Tunc Beati uiri, Hortulanus & Florentinianus Episcopi, pro omnibus, & cum omnibus dixerunt, Nunquid animalia nos irrationalia sumus, ut nescientes, quid charta contineat, facile aut temere iuremus? Accelerauerũt quoq; illi à Rege destinati, scripturæ eius propalare tenorem, qui huiusmodi sermonibus fuerat coloratus. Sic enim calumniosa series continebat. Iurate, si post obitum domini nostri Regis, eius filium Hilderichum desideratis esse Regem, uel si nullus uestrũ ad regiones transmarinas epistolas dirriget: Quia si sacramentum huius rei dederitis, restituet uos Ecclesijs uestris. Cogitauit tũc multorũ pia simplicitas, etiã cõtra prohibitionẽ diuinam sacramentũ dare, ne Dei populus in posterũ diceret, quod uitio sacerdotũ, qui iurare noluerũt, nõ fuerint Ecclesię restitutę. Alij quoq; astutiores Episcopi, sentiẽtes dolũ fraudis, nequaq; iurare uoluerũt, dicentes, prohibitũ fuisse Euãgelica authoritate, ipso Domino dicẽte. Nõ iurabis in toto. Quibus ministri Regis, secedãt in parte, in quiunt, qui iurare disponunt: qui cũ secederẽt, Notarijs scribentibus

Respõsum forte Episcoporum Catholicorum.

Iuramentũ inique exactum.

quis

quis quid diceret, & ex qua ciuitate fuisset exceptum est. Similiter factum est & de illis, qui minime iurauerunt. Statimq; pars utraq; custodiæ mancipatur. Post uerò pars, quæ celabatur, apparuit.

Iniquissima sententia Hunerici Regis in Episcopos Catholicos.

Iurantibus dictum est. Quare contra præceptum Euangelij iurare uoluistis? Iussit Rex, ut ciuitates atq; Ecclesias uestras nunquam uideatis, sed relegati, colonatus iure ad excolendum agros accipiatis: Ita tamen, ut non psallatis neq; oretis, aut ad legendum codicem in manibus gestetis. Non baptizetis, neq; ordinetis, aut aliquem reconciliare præsumatis. Similitex non iurantibus ait. Quia regnum filij Domini nostri non optatis, idcirco iurare noluistis. Ob quam causam iussi estis in Corsicanam insulam relegari, ut ligna profutura nauibus Dominicis incidatis.

Fraus in simulatione affectatæ pacis.

Ad alterum genus fraudis, quod ad uim uel inferendam uel propulsandam pertinere diximus, eas consultationes referimus, quibus id agunt seditiosi, ut arma illaturi, pacem & concordiam appetere uideantur. Cuiusmodi sane fuere consilia Iulij Cæsaris, Pompeij, & aliorum, qui arma se deposituros simulãtes, magnis interim instructi exercitibus, nulla re magis, quàm armis ad Principatum aspirabant.

Simulatio hæreticorũ ad pacem.

Eadem fraude hæretici & schismatici utuntur. Nam & ipsi tum maxime, cum ad inferendam uim parati iam & instructi sunt, pacem & concordiam apud Catholicos simulant, & ad amplectendam Ecclesiæ pacem & unitatem paratos se esse promittunt. Ac sub tali quidem prætextu, non solum uim & iniuriam, quam in Catholicos machinantur, pulchre ad tempus occultant: sed etiam simpliciores & incautos, interim in barathrum errorum suorum præcipites agunt.

Dolosa simulatio Arrij.

Ac huiusmodi dolis aduersus Catholicos usi fuerunt olim Arrius, Achilles, & Colluthus, de quibus ad hunc modum scribit Alexander, Alexandrinus Episcopus, ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum. Conati sunt, inquit, illi discursionibus uti, & aduersum nos machinari, qui apud unanimes comministros nostros, figuram pacis & unitatis dignitatẽ se exercere fingũt. Quod aũt uerum est, abripere quosdam eorũ ad pestem propriam per boniloquia ficta festinant, & literas ab eis manifestas & indubitatas exigunt, ut relegentes eas seductis à se personis, sine pœnitentia eos in delictis suis faciãt remanere, tãquam unanimes habentes eadem secum decernentes Episcopos. Non enim quæ apud nos male docuerunt & egerunt, ea fatentur, propter quę etiam sunt expulsi: Sed hæc aut taciturnitati contradunt, aut fictis eã ratiocinationibus, et quibusdã obumbrationibus sepiunt. Verisimilibus uero & pomposis corruptibilem doctrinam suam uelantes eloquijs, attrahunt in deceptionem quemlibet incautum, non abstinentes, etiam apud omnes nostrę pietati calumniari. Et ad eundem fere modum alij quoq; hæretici, tum maxime discordias & bella meditantur, cum errorum suorum emendationem simulantes, pacem se

&

& concordiam affectare fingunt. Sic Cerdon hęreticus (qui ante Martionem fuit) aliquando quidem pœnitens, errorem suum confitens, excusabat: aliquando rursum occulte, interdum etiam publice impietatem docebat. Simili fraude Arrius Nicæni, & alij hæretici aliorum Conciliorum decretis subscripserunt: Nempe ut hoc modo ad tempus concordiam simulantes, sub specie pacis facilius Ecclesiæ unitatem scindere, & errores suos quàm latissime diffundere atq; propagare, tum etiam multorum undiq; conquisitis auxilijs, si ita uideretur, armis etiam defendere possent.

Euſ. li. 4. c. 11. Ireneus lib. 3. c. 4.

Tri. li. 3. c. 10.

De moribus seditiosorum, Cap. XVI.



Am & fraudes seditiosorum, omnium maxime ex moribus eorum deprehenduntur. Quorũ alij quidem omnibus seditiosis cõmunes sunt: alij hæreticis & schismaticis (qui et ipsi seditiosi sunt) proprij et peculiares. Ac de moribus hæreticorum satis à nobis in his libris, quos de hęreticis et schismaticis scripsimus, dictum est: Nunc de moribus, qui sunt seditiosis omnibus cõmunes, aliqua dicemus. Sunt autem alij singulorũ, alij multitudinis mores. Et rursus singulorũ alia eorum, qui sunt seditionum principes & authores: Alia eorum, qui ab eis decepti sunt, studia. Multitudinis ea natura est, ut aut seruiat humiliter, aut dominetur superbe: libertatẽ, quæ media est, nec sperare modice, nec habere sciunt, ut inquit Liuius. Authores seditionũ pro diuersis causis, quibus ad excitandas seditiones cõmouentur, in diuersa quoq; studia incumbunt. Ita qui propter ambitionem ad seditiones prouocantur, à multis honorari, & ad magnos honores euehi gaudent: Quos ut consequantur, neq; laboribus, neq; facultatibus parcunt. Quemadmodum Iuliũ Cęsarem, & plærosq; alios legimus, Principatus & Imperij Romani adipiscendi causa, multas & easdẽ immensas largitiones, tã priuatim quàm publicè, distribuisse.

Mores seditiosæ multitudinis.

T. Liuius secũdi belli punici. lib. 4.

Authorũ ad seditiones studia.

Ita qui propter diuitias seditiosi sunt, nulla honestatis habita ratione, eo actiones suas dirigũt, quo & sacra & prophana omnia diripere, & in suos usus conuertere possint. Qui illatas sibi iniurias per seditionẽ ulciscuntur, neq; honores, neq; diuitias curantes: id tantum agunt, ut sumpta de aduersarijs uindicta, glorioſè de ipsis triũphare possint. Et eodem modo alij quoq; quisq; pro causæ conditione, propter quam ad excitandam seditionẽ commouentur, alios sibi, & alios mores assumunt. Sed qui callidiores sunt, eos ipsos cautius dissimulando, & sæpe diuersam etiam adeoq; contrariam, uoluntatem præ se ferendo celant. Simpliciores autem & decepti, plærunq; authorum & magistrorum suorum mores imitantur, planeq; uerum ostendunt esse, quod uulgo dici solet.

Mobile mutatur ſemper cum Principe uulgus.

Turpia honeſtis palliare uocabulis.

Illud omnibus tam ſingulis ſiue authoribus ſeditionum, ſiue deceptis, quàm multitudini commune eſt, Quod ſimili ſtudio & conatu actionũ ſuarũ, turpitudinem ſub ſpecie aliqua honeſtatis cõtegentes, excuſant: & quę per ſe turpia ſunt, tamẽ honeſtis uocabulis enũciant.

L. Florus li. 3. c. 12.

Sic ſeditiones Gracchorum, et Apulei plebis tuendæ: Syllę, Mariį, Cæſaris, Pompeiį, & aliorum, patriæ à Tyrannide defendendæ: Catilinæ & aliorum libertatis conſeruandæ cauſa: re autem ipſa ad dominationem acquirendam commotæ ſunt. Aliį numinum inſpirationẽ ſimulantes, ſeditiones mouerunt, ut de Euno Syro refert Florus, qui ſe furore matris Deum correptum ſimulans, ad libertatem & arma ſeruos concitauit, idcę ut diuinitus fieri probaret, in ore abdita nuce, quam ſulphure & igne ſtipauerat, leniter inſpirans, flammam inter uerba fundebat: Ac tali quidem prætextu quadraginta amplius milliũ exercitu facto, quatuor etiam Prętorum caſtra cepit. Omnium autem maxime ad contegendam ſub ſpecie honeſtatis turpitudinem, idonei ſunt hæretici. Primum enim quid honeſtius ſacroſancta noſtra Religione, ſub cuius tamen prætextu certum eſt, hęreticos & ſchiſmaticos omnes ſeditiones & tumultus concitare. Deinde uitæ quoqę, & morum, actionumqę ſuarum turpitudinem, & in primis doctrinæ errorem, ſub conficta honeſtatis ueritatiſqę ſpecie celare, aliiſqę ſuggerere conſueuerunt. Et ut humani generis inimicus Diabolus primos noſtros parentes, ut uetito cibo ueſcentes, mandatum Dei præuaricarentur, ea ratione induxit, quia mendacium ſub ſpecie ueritatis eis ſuggeſsit. Nequaquam, inquiens, moriemini. Scit enim Deus, quod in quacunqę die comederitis ex eò, aperientur oculi ueſtri, & eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum: Ita organa ipſius, hæretici & ſchiſmatici, quæ honeſta & ſalutaria ſunt, ea tanquam turpia & noxia fugienda: quæ uero mala ſunt & peſtifera, ea tanquam honeſta, & quæ ſalutẽ afferre poſsint, amplectenda eſſe ſimplicioribus perſuadent. Ac primum quidem ipſi quoqę uitæ ſanctitatẽ ſimulantes, tametſi intus omnium uitiorum ſordibus contaminati, ut ſcilicet hoc modo ſub ſpecie honeſtæ uitæ, errores ſuos probabiliores reddant. Qua re & multos ſæpe miſere deceperũt, ut Origenis, Hieronymi, Auguſtini, aliorũqę ſanctorum Patrũ teſtimoniis in his libris, quos de hæreticis ſcripſimus, probatũ eſt. Deinde magnam ſcripturarũ ſcientiam iactant, ſeqę adeo ſolos uerũ earundem ſenſum tenere gloriantur. Contra uerò quæ Catholici docent, eà uana eſſe figmenta & incommodas opiniones calumniantur: Propter quod & ipſos (quod Arriani et plęriqę aliį fecerũt) non uerentur, homines etiam hæreticos & ineruditos appellare.

Ac tali quidem fraude deceptis ſimplicioribus, facile ſub prætextu honeſtatis & ueritatis, turpitudinem & mendacium obtrudunt.

Simulare uitę ſanctitatem.

Prætextus ſcientię ſcripturarum.

Tri. lib. 1. c. 15.

Hæreticorum doloſi prætextus.

l. ſub prætextu. ff. extra ord. cri.

Geneſ. 3.

Quod

Quod & nostris temporibus re ipsa experimur. Nam hoc ipso, quod soli hæretici ueram scripturarum scientiam habere, Catholici uero earundem imperiti esse creduntur: falsissima quæq; dogmata, tam ad fidem, Sacramenta, & cæremonias, quàm ad disciplinam Oeconomicam, & iudicia Ecclesiæ pertinentia, tanquam uerissima recipiuntur, & quæ sunt his contraria, uera & Catholica, tanquam falsissima abijciuntur. De qua re aliàs à me abunde dictum est.

Nouos & adulterinos constituere sibi Principes.

Iam & seditiosorum ea quoq; natura est, quod & ipsum ad mores eorum pertinet, ut facile legitimis Principibus atq; Magistratibus fastiditis, nouos & adulterinos in eorum locum sufficiant. Id quod plærunq; subditis, aduersus dominos suos rebellantibus, accidit. Sicut apud Romanos Imperio per diuersa terrarum occupato, Syrus quidam, nomine Eunus (cuius paulo ante meminimus) seditionem in Sicilia mouens, magno exercitu facto, regijs se decorari insignibus passus est: Qui & castella, oppida, & uicos, miserabili direptione uastauit. Sic milites seditiosi in expeditionibus existentes, sæpe ex ipso exercitu elegerunt: quos Imperatores non solum exexcitus, sed uniuersi etiam Romani Imperij ditioni subditi salutarent, ut antea de Triginta Tyrannis, Gallieno Imperium gubernante, passim à militibus electis, dictum est.

L. Florus li. 3. c. 19.

Eligere Imperatorem in exercitu.

Sic apud Gallos, Carolo Rege, eius nominis Sexto, rengnante, seditione ob nouum Tributi genus institutum, apud Parisianos exorta, ac in reliquas etiam regni ciuitates propagata: Ex Rotomagensibus plebeij homines quendam obesum ciuem (qui ob crassam corporis habitudinem, Crassus dictus est) Regem sibi præfecerunt, curruiq; impositum, per urbem circumferentes, tandem in rerum uenalium foro constitutum, de abolendis uectigalibus legem ferre, & eam promulgare compulerunt. Sic nuper Anabaptistæ per seditionem Monasterium, Vuestualiæ Metropolim, & ciuitatem Episcopalem occupantes, regem creauere Rullium, hominem Battauum, & eundem facinorosum, & seditiosum: qui mox ut creatus Rex fuit, coronam ac Diadema regni gestauit. Quin & calcaribus aureis utentem, et equo insidentem, quoties iter per urbem fecit, præter aliam Satellitum turbam, duo pueri præcesserunt, quorum alter gladium, alter uetus Testamentum portauit: Et ut summatim dicam, omnem sibi regni honorem exhiberi non solum passus est, sed etiam ut exhiberetur mandauit. Atq; hæc sane aliaq; multa, quæ de moribus seditiosorum, ab historiarum Scriptoribus passim traduntur singula, unus idemq; grauissimus ille rerum Græcarum scriptor Thucydides, de Corcyrensium seditione loquens, uelut in unum fasciculum colligata, paucis uerbis complectitur uniuersa.

Rob. Gaginius de Francorum gestis in Carolo Sexto.

Rex Anabaptistarũ Monasterij in Vuestphalia.

Mores seditiosorũ ex Thucydide.

Agitati sunt (inquit) seditionibus status ciuitatum, & quicquid alicubi actum audiebatur, aliorum animos ad id postea superandum

acuebat, uel rerum nouitate, uel conatus solertia, uel ultionis insolentia, consuetis rerum uocabulis in excusationem immutatis.

Vitia pro uirtutibus habere.

Temeritas enim, fortitudo amicorum studiosa uocabatur: consyderata cunctatio, honesta formido: modestia, ignauiæ uelamentum, in omnibus solertia, in omnibus segnities: præceps indignatio, uirilitati ascribebatur: tuto consultare, excusata tergiuersatio erat: qui exæstuaret, is fidelis semper: qui huic contradiceret, is suspectus habebatur: cui insidiæ succedebant, hic erat astutus, & eo astutior, si alterius insidias prouidisset: qui prospiciebat, ne foret in partibus, amicitiæ dissolutor, & aduersariorum timens. Omnino qui in nocendo alterum præueniisset, laudabatur, & qui ad hoc non cogitantem exhortatus esset: Quin etiam ex alienis quàm ex propinquis, sodalitium potius quàm ad audendum sine excusatione paratus erat. Non enim huiusmodi conuentus per leges latas ob utilitatem, sed contra leges ob auaritiam, fiebant. Nec fidem inter se magis habebant iure diuino, quàm aliquo in Republica scelere. Ea quæ ab aduersarijs probe dicebantur, non animi generositate admittebant obseruabantq; : sed si ad suam utilitatem redundarent, pluris faciebant talionem reddere, quàm nihil iniuriæ pati. Iusiurandum si quando inuicem interponeretur de fide præsentis reconciliationis, tam diu ualebat, quàm diu nihil aliunde uirium accedebat. Quantulacunq; in re quis audendo alterum occupasset, quem securum uidisset: hoc sibi iucundius propter illius fidei fiduciam ducebat, quàm si ex professo id faceret. Quoniam id & tutum factu esse, & quia malitia uicerat, certamen extitisse prudentiæ arbitrabatur: cum facilius nocentes (quæ magna multitudo est) uocentur industrij, quàm imperiti boni. Et in hoc quidem homines erubescant, in illo quidem glorientur. Quarum rerum omnium causa est auaritia, & honorum appetitus, & ubi de illis certamen est, partium studia. Nam qui in ciuitatibus præerant honesto utriq; nomine, alteri statum popularem, æqualitatem ciuilem: alteri paucorum regimen Optimatum appellantes, præferebant, & uerbo quidem Rempublicam fouentes certabant. Sed hoc inter eos quoquo modo uincendi erat certamen, tum atrocissima quæq; audendo, tum atrociores pœnas irrogando, non illas ex modo iustitiæ, aut ex utilitate ciuitatis: sed sua semper uoluptate metientes, quam utriq; de alteris utcunq; capiebant, siue per iniqua suffragia condemnatis, siue ui oppressis, expediti ad implendam ita tum animi concitationem.

Nulla fides in reconciliatione.

Nulla religio in Deum.

Adeo neutri deorum religionem ullius momenti faciebant in contrahendo, sed si aliquid cõmodius transegissent colore uerborum, ij ab omnibus melius audiebant. Quisquis ciuium in partibus non erat, is ab utraq; factione occidebatur, uel quod ab illa non stabat, uel propter inuidiam, quod malorum erat immunis: Ita propter

seditiones

seditiones omne facinoris genus in Græcia extitit. Et simplicitas, quæ præcipue generositatis est particeps, cum derisu exterminabatur, mutuoq; consilia cum perfidia intercipere, res excellens existimabatur. Inter reconciliatos enim, nullus sermo robur habebat: nullum Iusiurandum timori erat, & cuncti ad diffidendum, quàm ad fidendum proniori cogitatione malebant sibi prospicere, ne quid calamitatis acciperent, quàm credere. Infirmioris quoq; consilij homines, plærunq; superiores erant. Quippe qui & sui sibi defectus conscij, & aduersariorum prudentiam intelligentes, ueriti, ne eorum & disertæ orationi essent impares, & agilitate ingenij præuenirentur, ad rem agendam temerarij descendebant. At illi tum præ horum contemptu, quod longius prouiderent, tum quia non oportebat facto aggredi, quæ consilio agere licet, incauti magis opprimebantur. Apud Corcyram itaq; multa huiusmodi audaciæ exempla sunt ædita, & item quæcunq; facerent, uel qui se aduersus ultores damni iniuria dati potius, quàm iure rursus ulciscerentur: uel qui ex diuturna inopia eximi uellent: uel qui uicinorũ bona affectantes, quæ maxima causa fuit, contra ius assequi se illa confiderent: uel qui non auaritia, sed indignatione ducti, propter insciti am, quod id æquum præcipue censerent, sæue & ineffrenatè inuaderent. Perturbataq; tunc uita in ciuitate, uictrix legum solita hominis natura, ostendit illas libenter se præuaricari, impotenti ira imbecillior, iure potentior, plura possidentis inimica, uindictam sanctitati, lucrum innocentiæ præponens, potẽtiæ nihil ipsi nocituræ inuidẽs, & communes de his leges, in quibus reposita est omnibus spes salutis, inter aduersa dissoluens, in expetenda aliorum ultione, nec aliquid sibi relinquens, si quando ipsa in discrimen adducta, egeat aliqua illarum.

Simplicitatis derisio.

Corcyra multis seditionibus obnoxia.

Contemptus legũ in seditione.

Quibus modis seditiosi uim, uel alijs inferant: uel sibi illatam inferendamuẽ propulsent, Cap. XVII.

COmparatis igitur undiq; per fraudes auxilijs, mox ad arma se conuertunt seditiosi, uel alijs inferenda, uel quæ eis illata fuerint repellenda. Id autem dupliciter fieri diximus: Ab initio & inconsulto, & ex interuallo & consulto. Ab initio & inconsulto ad manus peruenitur, in seditionibus, quæ nulla interce-
dente deliberatione, sed casu & quasi subito erumpunt. Quales fere sunt tumultus, qui conuenientibus diuersarum factionum partibus, siue præparatis antea, siue non præparatis seditionibus excitantur.
Sicut Tiberius Gracchus Tribunus plebis, cum comitiorum die seditiones populi accenderet, orto inter nobiles & plebeios tumultu,

Subitanei tumultus. *Eutropius lib. 4. rerum Ro. Velleius Paterculus li. 2. hist. Rom.*

P. Scipio Nasica ex superiori parte Capitolij summis gradibus insistens, hortatus est, qui saluam uellent Rempublicam se sequerentur. Ad quam uocem Optimates Senatus, atq; Equestris ordinis pars melior & maior, & ea pars plebis, quæ perniciosis consilijs adhuc intacta erat, subito in Gracchum irruere: Ac plebs quidem Graccho adhærens, Subselliorũ fragmentis fugata. Gracchus autem detracto amiculo, fugiens decurrensq; cliuo Capitolino, ictus fragmine Subsellij corruit, rursusq; assurgens alio ictu Daui cerebro impacti exanimatus est. Ducenti præterea in ea seditione interfecti, eorum corpora in Tyberim proiecta sunt, tum ipsius quoq; Gracchi cadauer inhumatum extabuit. Sic à Senatu conuocato Concilio, ut leges, quæ à C. Graccho, illius quem dixi Tiberij Gracchi fratre, latæ fuerant, soluerentur, simul atq; ut de Colonia deducenda, quam Gracchus eo loco, ubi Carthago fuerat, condendam decreuerat: Cæterum urbe designata, lupi metas positas diss ipauerant, consultaretur. Conueniente ob eam rem multitudine, Gracchus quoq; cum Fuluio Flacco ingenti stipatus agmine, Capitol um, ubi concio agebatur, ascendit: ibi subito tumultu excitato, quidam Præco, Attilius nomine, à Gracchanis interfectus, uelut signum belli fuit. Vociferatione nanq; insecuta, & demortui corpore in medium allato, intuentibus cunctis, & similem casum sibi præcauentibus, primum quidem fuga facta est. Nam & Gracchus, & Fuluius Flaccus desperatis rebus domum perfugerunt, & qui cum illis erant, in unum abeunt. Reliqua autem multitudo, circa mediam noctem instante periculo territa, forum inuadit. Deinde cum Gracchus & Fuluius armis assumptis, Auentinum montem ascendissent, mox eò relicto, Dianæ templum inuadentes, per uim retinere conati fuissent: Tandem Decio Bruto, uiro Consulari, & C. Publio cum ingenti certamine in eos irruentibus, non ualentes resistere, Duo quidem Flacci, pater filiusq;, cum ex æde Lunæ in priuatam quandam domum desiluissent, foresq; obiecissent, recisso Cratitio pariete confossi sunt. Gracchus uero diu pro se pugnantibus & pereuntibus amicis, egre ad pontem Sublicium peruenit: Ibiq; ne uiuus caperetur, ceruicem seruo suo præbuit. Domus eorum à populo direptæ, complices cæteri inclusi, & Opimij Consulis mandato suffocati sunt. Sed & in monte Auentino, ex illa factione Ducenti quinquaginta cæsi fuisse referuntur.

nteritus Tib. Gracchi.

Appianus lib. 1. de ciuilib. Ro bellis. Eutrop. lib. 4. Vell. Paterc. lib. 2. Ro. hist.

Seditio C. Gracchi & Fuluij Flacci.

Sic & ex alijs causis, in diuersa studia distractis factionibus, tumultus oriuntur, in quibus subito quodam motu, nullo antea de inferendis armis habito consilio, sæpe ad manus cruentasq; cædes peruenitur. Quales sunt, quos supra commemorauimus: Qui conuenientibus diuersarum artium, officiorum, & Religionum partibus, aut ex ijsdem alijsue similibus causis, dissentientibus inter se Magistratibus, tam sacris quàm prophanis, oriuntur. Quæ res exemplis

Variæ causæ ad subitaneas seditiones.

exemplis quoq; cum alijs multis, tum ijs maxime, quæ ex Historijs, tam sacris quàm prophanis, antea à nobis, cum de seditionibus, quæ propter dissimilitudinem commouentur, ageremus, relata sunt: liquido comprobatur. Ex interuallo & consulto uis à seditiosis infertur, uel illata repellitur, quæ capto prius de inferendis repellendisue armis consilio adhibetur. Ac illorum alij quidem arma capiunt, mox ubi nacti fuerint occasionem, uim illaturi: alij ut armis tecti & tutiores sint, & facilius quod uoluerint ab aduersarijs extorquere possint. Catilina uim patriæ illaturus, huiusmodi consilia cœpit. Primum inter complices coniurationis, ita officia partitus est, ut Statilius & Gabinius cum magna manu duodecim simul opportuna loca urbis incenderent, quo tumultu facilior aditus ad Consulem, cæterosq;, quibus insidiæ parabantur, fieret. Cethegus Ciceronis ianuam obsideret, eumq; ui aggrederetur: Alius autem alium. Sed filij familiarum, quorum ex nobilitate maxima pars erat, parentes interficerent. Simul cæde & incendio perculsis omnibus, ad Catilinam erumperent. Sed nec diu latuerunt huiusmodi coniurationis consilia Senatum. Quippe per Allobragum Legatos Consuli patefacta: sed quæ tamen occulta esse putabat Catilina. Ac propterea exercitum quoq; instruxit, tum patefacta iam coniuratione, quo hostium quoq; Imperium declinaret, deliberauit. Quam rem omnem simul atq; totius coniurationis exitum, Salustius ad hunc modum describit.

Seditiones quędam ex deliberatione.

Qualia fuerunt consilia Catilinæ.

Ex omni, inquit, copia, quam & ipse adduxerat, & Manlius habuerat, duas Legiones instituit, cohortes pro numero militum complet. Deinde ut quisq; uoluntarius, aut ex socijs in castra uenerat, æqualiter distribuerat, ac breui spatio Legiones numero hominum expleuerat, cum initio duobus non amplius millibus habuisset. Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa: cæteri, ut quenq; casus armauerat, sparos, aut lanceas, alij præacutas sudes portabant. Sed postquam Antonius aduentabat cum exercitu, Catilina per montes iter facere, modo ad urbem, modo Galliam uersus castra mouere, hostibus occasionẽ pugnandi nõ dare: Sperabat propediem magnas copias sese habiturũ, si Romæ socij incœpta patrauissent. Interea seruitia repudiabat, cuius initio ad eum magnæ copiæ currebant, opibus coniurationis fretus, simul alienum suis rationibus existimans uideri, causam ciuium cum seruis fugitiuis communicasse. Sed postquam in castra nuncius peruenit, Romæ coniurationẽ patefactam de Lentulo & Cethego, cæteriscq;, quos supra memorauí, supplicijũ sumptũ, plęricq;, quos ad belli spes rapinarum, aut nouarum rerum studium illexerat, dilabuntur: reliquos Catilina per montes asperos magnis itineribus in agrum Pistorienſem adducit, eo consilio, uti per tramites occulte

Verba Salustij.

perfugerent in Galliam trans Alpinam. At Metellus Celer cum tribus Legionibus in agro Piceno præsidebat, ex difficultate rerum eadem illa existimans, quæ supra diximus, Catilinam agitare. Igitur, ubi iter eius ex profugis cognouit, castra propere mouit, ac sub ipsis radicibus montium consedit, qua illi descensus erat in Galliam properanti. Neq; tamen Antonius procul aberat, ut pote, qui magno exercitu locis æquioribus expeditos in fugam sequeretur. Sed Catilina, postquam uidet, montibus ac copijs hostium se clausum, in urbe res aduersas, neq; præsidij, neq; fugæ ullam spem, optimum factu ratus, in tali re fortunam belli tentare, statuit cum Antonio quàm primum confligere. Itaq; † conuentione aduocata, huiusce modi orationem habuit. † concione.

Oratio Catilinæ ad suos milites.

Compertum habeo milites, uerba uirtutem non addere, neq; ex ignauo strenuum, neq; fortem ex timido exercitum oratione Imperatoris fieri, quanta cuiusq; animo audacia, natura aut moribus inest, tanta in bello patere solet. Quem neq; gloria, neq; pericula excitant, ne quicquam hortere, timor animi auribus officit. Sed ego uos, quo pauca monerem, aduocaui, simul uti causam consilij mei aperirem. Scitis equidem milites, socordia atq; ignauia Lentuli, quantam ipsi, nobisq; cladem attulerit: quoq; modo dum præsidia ex urbe operior, in Galliam proficisci nequiuerim. Nunc uerò, quo loco res nostræ sint, iuxta mecum omnes intelligitis. Exercitus hostium duo, unus ab urbe, alter à Gallia obstant. Diutius in his locis esse, si maxime animus ferat, frumenti atq; aliarum rerum egestas prohibet: quocunq; ire placet, ferro iter aperiendum est. Quapropter uos moneo, uti forti atq; parato animo sitis, & cum prælium inibitis, memineritis uos diuitias, decus, gloriam, præterea libertatem, atq; patriam in dexteris uestris portare. Si uincimus, omnia nobis tuta erunt: commeatus abunde, municipia atq; Coloniæ patebunt. Si metu cesserimus, eadem illa aduersa fient, neq; locus, neq; amicus quisquam teget, quem arma non texerint. Præterea milites, non eadẽ nobis, & illis necessitudo impendet. Nos pro patria, pro libertate, pro uita certamus: illis superuacaneũ est, pugnare pro paucorum potentia: quo audacius aggredimini, memores pristinæ uirtutis, licuit uobis cum summa turpitudine in exilio ætatem agere. Potuistis nonnulli Romæ amissis bonis alienas opes spectare, quia illa fœda, atq; intoleranda uiris uidebantur, hæc sequi decreuistis: si hæc relinquere uultis, audacia opus est. Nemo nisi uictor pace bellũ mutauit. Nam in fuga salutẽ sperare, cum arma, quibus corpus tegitur, ab hostibus auerteris, ea uero dementia est. Semper in prælio ijs maximum est periculum, qui maxime timent, audacia pro muro habetur. Cum uos consydero milites, & cum facta uestra æstimo, magna me spes uictoriæ tenet.

Animus,

Animus, ætas, uirtus ueſtra me hortantur, præterea neceſsitudo, quæ etiam timidos fortes facit. Nam multitudo hoſtium ne nos circumuenire queat, prohibent anguſtiæ loci. Quod ſi uirtuti ueſtræ fortuna inuiderit, cauete, ne inulti animam amittatis, neu capti ſicuti pecora potius trucidemini: Quin uirorum more pugnantes, cruentam atq; luctuoſam uictoriam hoſtibus relinquatis.

Instructio Exercitus ad pugnã.

Hæc ubi dixit, paululum commoratus, ſigna canere iubet, atq; inſtructos ordines in locum æquum ducit. Deinde, remotis omnium equis, quo militibus ex æquato periculo animus amplior eſſet, ipſe pedes exercitum pro loco atq; copijs inſtruit. Nam uti planicies erat inter ſiniſtros montes, & ab dextera rupe aſpera, octo cohortes in fronte conſtituit, reliqua ſigna in ſubſidijs arctius collocat, ab his Centuriones omneis lectos & euocatos. Præterea ex gregarijs militibus optimum quenq; armatum in primam aciem ſubducit. C. Manlium in dextera, Feſulanum quendam in ſiniſtra parte curare iubet. Ipſe cum liberis, & colonis propter Aquilam adſiſtit, quam bello Cymbrico C. Marius in exercitu habuiſſe dicebatur. At ex altera parte C. Antonius pedibus æger, quod prælio adeſſe nequibat, M. Petreio Legato exercitum permittit. Ille cohortes Veteranas, quas tumultus cauſa conſcripſerat in fronte, poſt eas cæterum exercitum in ſubſidijs locat. Ipſe equo circumiens, unumquenq; nominans, appellat, hortatur, rogat, ut meminerint ſe contra latrones inermeis, pro patria, pro liberis, pro aris atq; focis ſuis certare. Homo militaris, quod amplius annis Triginta Tribunus, aut Præfectus, aut Legatus, aut Prætor, cum magna gloria in exercitu fuerat, plæroſq; ipſos, factaq; eorum fortia nouerat, ea commemorando militum animos accendebat: Sed ubi, omnibus rebus exploratis, Petreius tuba ſignum dat, cohortes paulatim incedere iubet. Idem facit hoſtium exercitus.

Inſtructio aduerſæ partis ad pugnam.

M. Petreio

Poſtquam eò uentum eſt, unde à Ferentarijs prælium committi poſſet, maximo clamore infeſtis ſignis concurrunt. Pila omittunt, gladijs res geritur: Veterani priſtinæ uirtutis memores, cominus acriter inſtare: Illi haud timidi reſiſtunt, maxima ui certatur. Inter ea Catilina cum expeditis militibus in prima acie uerſari, laborantibus ſuccurrere, integros pro ſaucijs arceſſere, omnia prouidere, multum ipſe pugnare, ſæpe hoſtem ferire, ſtrenui militis, & boni Imperatoris ſimul officia exequebatur. Petreius, ubi uidet Catilinam contra, ac ratus erat, magna ui contendere, cohortem Prætoriam in medios hoſtes inducit, eoſq; perturbatos, atq; alios alibi reſiſtentes interfecit. Deinde utrinq; ex lateribus cæteros aggreditur. Manlius & Feſulanus in primis pugnantes cadunt.

Pugnę initium.

Catilinæ uirtus in prælio.

Poſtquam fuſas copias, ſeq; cum paucis relictum uidet Catilina,

memor

memor generis, atq; priſtinæ dignitatis ſuæ, in confertiſsimos hoſtes incurrit, ibiq; pugnans confoditur. Iiſdem fere conſilijs uſi ſunt Marius, Sylla, Pompeius, Cæſar, & plæriq; alij, qui ſe pro patria pugnare ſimulantes, magnos exercitus in patriam, uelut hoſtilem & quaſi brauium in medio conſtitutã, duxerunt. Alio aũt conſilio plebs primum propter nexus ęris alieni, in montem Sacrũ trans Anienem: deinde ob facinus Appij Decemuiri in filiam Virginij deſignatum, in montem Auentinum ſecedens, arma cœpit. Siquidem in monte Sacro ſine ullo Duce, uallo foſſaq; cõmunitis caſtris quieti, rem nullam niſi neceſſariã ad uictum ſumendo, per aliquot dies, neq; laceſsiti, neq; laceſſentes, ſeſe tenuere. Auentinũ uerò petẽtes, ac deinde inſidentes ijs, qui ad ſedandos eos motus acceſsiſſent, Imperium ſi quis inhiberet, & uiros & armatos eſſe reſponderũt: & ut quiſq; occurrerat plebem ad repetendam libertatem, creandoſq; Tribunos plebis, adhortati ſunt: neq; alia uox uiolenta audita eſt.

Duæ ſeditiones plebis Ro. cõtra Senatũ.

De Eloquentia ſeditioſorum, Cap. XVIII.

QVemadmodum nihil in Republica utilius eloquentia, ſi eius uſus fuerit bonus: ita nihil pernicioſius, ſi malus. Nam & prodeſt, & nocet eloquentia. Ac de utilitate quidem nemo ambigit, de qua cũ ſæpe aliàs, tum libro ſecundo de natura Deorũ ita ſcribit Cicero. Iam uero, inquit, domina rerum eloquendi uis quàm eſt præclara, quàm diuina, quæ primum efficit, ut eà quę ignoramus, diſcere: & eà quę ſcimus, alios docere poſsimus. Deinde hac cohortamur, hac perſuademus, hac conſolamur afflictos, hac deducimus perterritos à timore, hac geſtientes comprimimus, hac cupiditates iraſq; reſtinguimus: hæc nos iuris, legũ, urbium ſocietate deiunxit: hæc à uita immani & fera ſegregauit. At eadem ipſa eloquentia, quibus modis noceat, ad hunc modum declarat Fabius. Eloquentia, inquit, pœnis eripit ſceleſtos, cuius fraude damnantur interim boni, conſilia ducuntur in peius, nec ſeditiones modo turbęq; populares, ſed bella etiam in expiabilia excitantur: cuius denicq; tum maxime eſt uſus, cum pro falſis contra ueritatem ualet. Nam & Socrati obijcitur à Comicis, docere eũ, quomodo peiorẽ cauſam meliorem faciat. Et contra, Lyſiam & Gorgiam ſimilia dicit polliceri Plato. Quibus conſentiunt exempla Gręcorũ Romanorũq;: quibus oſtenditur, qui pernicioſa non ſingulis tantum, ſed rebus etiam publicis uſi eloquentia, turbauerint ſtatus ciuitatum uel euerterint, &c. Quæ tametſi in eos dicat Fabius, qui in eloquẽtiam inuehentes, eam ipſam peſſundare conãtur: tamen re ipſa ea ipſa quę narrat, uera eſſe omnes compertum

Vtilitas Eloquẽtię.

Lib. 2. orat. inſt. c. 17.

Quantum noceat Eloquẽtia praauorum.

compertum habent. Quibus tamen nihil eloquentiæ laudi detrahitur, sed id tantum ostenditur, quod Poëta dicit.

Nil prodest, quod non lædere possit idem.

Est igitur ad seditiones non solum concitandas, sed etiam exercendas, aptissimũ instrumentũ eloquentia: Quo semper usi seditionũ authores, miros in Republica tumultus cõcitarunt, atq; summis imamiscentes, in maxima pericula Respublicas adduxerunt. Quales fuerunt, Tiberius & Caius Gracchi fratres, Tiberij Gracchi Clarissimi & Eminentissimi uiri filij, Publij Scipionis Affricani illius ex filia Cornelia nepotes: ambo non solum seditiosi, sed etiam seditionum motuumq; ciuilium quasi seminaria. Nam eloquentissimũ utrunq; fuisse, omnes rerum Romanarum scriptores testantur. Sed inter quos tamen Caius ingenio & eloquentia præstantior fuit, & ob id longe etiam maiora & acriora, quàm frater repetens, nihil immotum, nihil tranquillum, nihil quietum denicq; in eodem statu reliquit.

Ad seditiõnes aptissimũ instrumentũ Eloquentia.

Tib. & Caius Gracchi Eloquentissimi.

Cicero lib. 7. de natura deorum.

Vell. Paterculus lib. 2. Hist. Rom.

Post Gracchos L. Apuleius Saturninus, seditionis Apuleianæ author, eloquentissimus fuit, qui magis motu atq; ipso amictu capiebat homines, quàm aut dicendi copia, aut mediocritate prudentiæ.

L. Florus lib. 3. c. 14. & in epitome lib. 60.

C. Cæsar magnæ & elaboratæ eloquentiæ fuit, qui & Ædilis Curulis quotidie conciones habuit, ut Cicero scribit. Cuius contentio causa fuit belli ciuilis Mariani, ut Asconius Pædianus testatur. Sed & hæresum & schismatum authores & magistri, plerunq; eloquentissimi fuerunt: de quorum eloquentia, multa etiam in scripturis sanctis pronunciata sunt.

Cicero in Bruto.

De eloquentia siquidem hæreticorum, quæ contra ueritatem & Ecclesiam fluit, illud Prophetæ accipitur. Nunquid in fluminibus iratus es Domine, aut in fluminibus furor tuus, uel in mari indignatio tua? Nam flumina, quibus iratus est Dominus, sunt hæretici: mare autem, super quo impetus domini fit, sunt animæ eorum, qui circumferuntur omni uento doctrinæ, & semper malitia fluctuant, & falsis gurgitibus obruuntur, ut Hieronymus interpretatur. Qui & alio loco de hæreticorum eloquentia loquens. Sermo (inquit) hæreticorum compositus, & habens pulchritudinem eloquentiæ sæcularis, ut facilius decipiant audientes. De eadem re intelligendum est illud Apostoli: Hæc autem dico, ut nemo uos decipiat in sublimitate sermonis.

Abacuc. 3.

Hiero. lib. 2. cõment. in Habacuc. c. 3.

Hier. lib. 1. cõment. in Amos c. 1.

Coll. 2.

Eloquentiæ affinis est ars Dialectica, hoc tantum à Rhetorica arte differens, quod illa perpetuo: hæc uero conciso orationis genere utitur. Quas ita coniunxit Zeno, ut hanc compressæ in pugnum manus, illam explicitæ diceret similem, ut refert Fabius Quintilianus. Ideoq; & Dialectica arte, cuius & ipsius

Ars Dialectica affinis Eloquẽtiæ.

Fabius lib. 2. orat. instit. c.

bonus

bonus usus est, si causis adhibeatur bonis: malus, si malis, ad decipiendos simplices utuntur hæretici, siue nouos errores confingant, siue quæ ab alijs male inuenta sunt, tueantur. Atq; hac arte usus Arrius, nouum introduxit errorem. Eutitius autem & Eunomius, & illius Magister Ætius, Syllogismis, & Enthimematibus, immo Sophismatibus & φευδομαρτύρας atq; σωρείτοις, quę ab alijs male inuenta sunt, roborare conati sunt. Illos ostia: Hos uectes appellat Hieronymus, de quibus illud dictum interpretatur. Conteram uectes Damasci, & disperdam habitatores de campo ὤνου. Porro usq; adeò sibi in Dialectica & Rethorica, & omnium sophismatum dogmatibus applaudunt hæretici, ut ueram Ecclesiæ & simplicem doctrinam, quasi rusticitatem, & indignam mysterijs suis, quæ & ipsi sibi quasi Idola confinxerunt, despiciant, & pro nihilo habeant, ut idem Hieronymus testatur: A quorũ fallacijs ut caueamus, Apostolus quoq; nos admonet, dicens. Videte, ne quis uos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam.

Tri. lib. 5. c. 13.

Hierony. lib. 1. cõment. in Amos. c. 2.

Amos. 1.

Hiero. in comment. in Sophoniam c. 2.

Coll. 2.

De Materia, Fine, & Forma seditionum, Caput XIX.

Materia seditonum. homines sunt.

HActenus de Efficiente causa seditionum dictum est: sequitur iã, ut de Materiali, Finali, et Formali causa dicamus. Materiam seditionũ uocamus homines, aduersus quos seditiones excitantur: Philosophi Materiam circa quam appellant. Eorum autem, in quos seditiones exercentur, quidam superiores sunt: Quidam inferiores. Superiores sunt Principes & Magistratus, tam Ecclesiastici quàm sæculares. Inferiores sunt subditi, qui Imperio Magistratuum subiecti sunt. Superiorum & Magistratuum utriusq; ordinis certi gradus sunt. In ordine Ecclesiastico, supremum gradum obtinet Romanus Pontifex: sub hoc sunt Patriarchę & Primates: sub Patriarchis Archiepiscopi: sub Archiepiscopis, Episcopi: sub Episcopis, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & aliorum etiam ordinum Clerici. Sic in ordine sæcularium Primatum tenet Imp. Romanorum: Imperatori subiecti sunt Reges, Regibus Duces, Ducibus Comites, Barones, alijq; Nobiles. Sed et utriusq; status suprema capita, ordinẽ inter se habent. Nam & Imperator, et qui sub eo sunt, Reges & Principes, & omnes omnio Laici Ro. Pontifici, alijsq; Archiepiscopis, Episcopis, & Sacerdotibus, pro modo districti, atq; Iurisdictione uniuscuiusq; in his, quæ ad Religionem & cultũ Dei animarũq; salutem, tũ Ecclesiæ pacẽ & tranquillitatẽ pertinẽt, subiecti sunt. Quę aduersus superiores cõmouentur, seditiones, rebelliones: Subditorum uero inter se turbæ & tumultus, seditiones & factiones appellantur.

Gradus inter superiores Ecclesiasticos.

Gradus inter Sæculares.

Earum

Earum igitur seditionum, quas inferiores aduersus superiores concitãt, id est, rebellionum Materia, & ueluti subiectum sunt, Principes & Magistratus, tam Ecclesiastici quàm sæculares. Sic earum rebellionum, quas hæretici & schismatici aduersus Romanum Pontificem, & Ecclesiæ Primatum & authoritatem concitant, Materia est Pontifex Romanus, adeoq; Romana ipsa & Catholica Ecclesia: & idem Romanus Pontifex, Archiepiscopi, Episcopi, & sacerdotes, earum seditionum, quas in eos exercent, eorum Pastorali curæ subiecti, tam Clerici quàm Laici, recte Materia appellabuntur. Et eodem modo Romanorum Imperator rebellionum, quæ aduersus ipsum & Romanum Imperium conflantur: & earum, quas subditi in alios Reges & Principes commouent, Reges ipsi & Principes Materia dicentur. In ijs uero seditionibus, quibus inter se subditi agitantur, ipsi quoq; subditi, alteri alteris commotarum inter se discordiarum, Materia existunt. Finem seditionum accipimus, gratia cuius seditiones excitantur. Aristoteles quadruplicem seditionum finem statuit. Lucrum & honorem: & his contraria, damnum & dedecus. Siquidem lucrũ & honorem, uel proprium, uel amicorum suorum affectantes: uel damnum, uel dedecus declinantes, ut illa adipiscantur: hæc uero deuitent, homines plærunq; ad seditiones conuertuntur. Ad lucrum referimus, diuitias. Ad honorem, Magistratus, publica munera, & honores. Ad damnum, paupertatem, præpotentiam, & incrementum excessuum. Ad dedecus, iniuriam, contumeliam, contemptum, & si quæ sunt similia. Quæ tametsi inter causas efficientes seditionum numerauimus, quatenus scilicet ad concitandas seditiones homines instigant: tamen nihil prohibet, quin & ad finem seditionum hæc ipsa referri possint. Siquidem horum uel consequendorum uel euitandorum gratia, homines ad seditiones deueniunt. Forma seditionis est, à qua denominatur seditio, ut concitatior ille motus, & turba, & uelut imago, qua dissensio inter se hominum & discordia repræsentatur, & quasi ob oculos ponitur: quæ si subditorum sit contra dominos rebellio, si subditorum inter se seditio & factio appellatur. Ac ad formam imaginis pertinent hominum promiscui concursus, armorum strepidus, clamor, horrenda ad accendendas hominum iras spectacula. Cuiusmodi spectaculi effigies est, quam Liuius seditionẽ plebis, ob nexum æris alieni concitatam describens, ad hunc modum exprimit. Magno natu quidam cum omnium maiorum suorum insignibus se in forum proiecit, obsita erat squalore uestis, fœdior corporis habitus pallore ac macie perempti, ad hoc prolixa barba, & capilli efferauerant speciem oris: noscitabatur tamen in tanta deformitate, & ordinem duxisse aiebant, aliaq; militiæ decora uulgo miserantes eum iactabant: ipse testes honestarum aliquot locis pugnarum cicatrices aduerso pectore

lib. 5. pol. c. 2. Seditionũ causa finalis.

Differunt Rebellio & Seditio.

Qualis est forma seditionum.

l. 2. ab urb. cõd. Miserabilis species cuiusdam senis depauperati.

ctore ostentabat. Sciscitantibus, ille unde esset habitus? unde deformitas? quum circumfusa turba esset, prope in concionis modum, Sabino bello, ait, se militantem, quia propter populationes agri, non fructu modo caruerit, sed uilla incensa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, Tributum iniquo suo tempore imperatum, æs alienum feciſſe: id cumulatum usuris primo se agro paterno auitoq; exuisse, deinde fortunis alijs, postremo uelut tabem peruenisse ad corpus: ductum se à Creditore non in seruitium, sed in Ergastulum & carnificinam, inde ostentare tergum fœdum recentibus uestigijs uerberum. Ad hæc uisa auditaq; clamor ingens oritur: non iam foro se tumultus continet, sed passim totam urbem peruadit, nexu uincti solutiq; se undiq; in publicum propiunt, implorant Quiritium fidem: nullo loco deest seditionis uoluntarius comes, multis passim agminibus per omnes uias cum clamore in forum curritur. Magno cum periculo suo, qui forte Patrum in foro erant, in eam turbam inciderunt: nec temperatum manibus foret, ni propere COSS. P. Seruilius, & Appius Claudius ad comprimendam seditionem interuenissent. In eos multitudo uersa, ostentare uincula sua, deformitatemq; aliam: hæc se meritos dicere, exprobrantes suam, quisq; alius alibi, militiam postulare magis minaciter, quàm suppliciter, ut Senatum uocarent, curiamq; ipsi futuri arbitri moderatoresq; publici consilij, circumsistunt.

Tumultuatio plebis.

Cui haud dissimilis est alia apud eundem Liuium seditio, quæ propter Appij scelus in Virginij filiam perpetratum, concitata fuit ad hunc modum.

T. Liuius lib. 3. ab. urb. cõd. Seditio contra Ap. Clau.

Repræsentatur mactaturus iam pater filiam abrepto ab lanio cultro. Hoc te uno quo possum, ait, modo filia in libertatẽ uẽdico. Pectus deinde puellæ transfigit, respectansq; ad Tribunal. Te (inquit) Appi, tuumq; caput sanguine hoc consecro. Clamore ad tam atrox facinus orto, excitus Appius, comprehendi Virginium iubet: ille ferro, quacunq; ibat uiam facere, donec multitudine etiam prosequentium iuuenum tuente, ad portam perrexit. Icilius Numitoriusq; exangue corpus sublatum ostentant populo, scelus Appij: puellæ infœlicem formam, necessitatem patris deplorant. Sequentes damitant matronæ, eam ne liberorum procreandorum conditionem, ea pudicitiæ præmia esse? Concitatur multitudo, clamatur ad arma, &c.

DE SEDITIO-

DE SEDITIONIBVS

LIBER TERTIVS: QVI EST DE *malis & incommodis, quæ ex seditionibus proueniunt.*

Seditionem per se malum esse, Cap. 1.



Vperiori libro de causis seditionum dictum est: sequitur iam, ut de malis & incommodis, quæ ex seditionibus proueniunt, agamus. Priusquam aũt de malis ipsis, quorũ causæ sunt seditiones, dicamus: illud in primis explicandum mihi uidetur, seditionem quoq; ipsam malum esse, atq; eò minus mirandum, quod ex ea alia quoq; mala enascantur. Ac primum quidem seditionem per se malum esse, ex eo facile conuincemus, quod priuatio eius sit, quod bonum est: Id enim proprie malum dicitur. Nam hinc nomen ducit malum, quia boni priuatio est. Bonum autem est, quicquid à Deo creatum est, sub specie aliqua eorum, quæ à Deo creata sunt, contentum. Nam ubi aliqua species, necessario aliquis modus, & modus aliquid boni est. Vnde & sapientes concludunt, summum malum non esse: quia summum malum modum non habet. Caret enim omni bono. Vnde cum nulla specie continetur, esse non potest: ac propterea totum hoc nomen mali de speciei, id est, eius, quod bonum est, priuatione repertum est, ut alibi Augustinus docet. Cuius & illud est, quod alio loco dicit, Mali nulla natura est: sed amissio boni, mali nomen accepit.

Sedítio malum est, quia priuatio est alicuius boni.

Aug. lib. 30. quæst. quæst. 6. lib. 10. de ciui. Dei cap. 10.

Sunt autem malorum gradus, siquidem aliud alio maius est, nullum aut summum. Id enim esse non potest: quia nulla specie continetur, ut paulo ante dictum est. Non est igitur malum, quin sub specie aliqua contineatur, bonitatem aliquam coniunctam habeat, propter quam, non malum esse dicitur, & ea tantum ratione malum est: quia eorum bonorum, quibus coniunctum non est, priuatio est.

Seditionem igitur malum uocamus, non quia natura malum. Nam & ipsa boni alicuius particeps est, ut posthac dicemus: Sed

quia boni alicuius priuatio est, cui coniunctum non est.

Seditio pacis & concordiæ priuatio est.

Id est autem pax & concordia, qua quidem sublata, dissensio succedat & discordia necesse est: quæ utiq; est illa ipsa, quam dixi, concordiæ priuatio. Sicut & alia quædam mala, eatenus mala sunt, quatenus boni alicuius priuatio in reliquum bona: quia cum bonis coniuncta, quæ & ipsa utilitatem aliquam afferunt. Cuiusmodi sunt, fames, sitis, morbus, bellum, expoliatio, captiuitas, trucidatio, & si qua sunt similia.

Aug. lib. 3. de ciui. Dei, c. 1.

Nam quatenus priuatio sunt alimoniæ, sanitatis, pacis, bonorum fortunæ, libertatis, uitæ, mala sunt: Quatenus autem hæc ipsa patientiam exercent, per quam beata uita acquiritur, bona sunt. Sic & tenebræ, & uenenum mala sunt: quia illæ lucem nobis adimunt, quæ bona est: Hoc uero sanitatem & aliquando etiam uitam, quæ & ipsæ bonæ sunt. Sed rursus hæc ipsa bona sunt: quia pro loco suo etiam necessaria sunt. Nam tenebræ requiem dant post laborem, & ex ueneno sæpe etiam salutares medicinæ componuntur.

Aug. de quæst. uet. & no. Test. cap. 1.

Bellum propter pacem geritur, si iustum est.

Sic bellum etiam iustum, nemo negat esse malum: quia scilicet pacis priuatio est, quæ utiq; bona est. Sed quia bello iusto pax comparatur, & eadem bona: ipsum quoq; bellum bonum dicitur, ut cuius finem pacem esse constat. Quod Augustinus his uerbis ostendit. Qui (inquit) bella uolunt, nihil aliud quàm uincere uolunt. Ad gloriosam ergo pacem bellando cupiunt peruenire. Nam quid aliud est uictoria, quàm subiectio repugnantium, quod cum sic factum fuerit, pax erit. Pacis igitur intentione geruntur & bella, ab his etiam qui uirtutem bellicam student exercere, imperando atq; pugnando. Vnde pacem constat belli esse optabilem finem. Omnis enim homo belligerando pacem requirit: nemo autem bellum pacificando.

Aug. de ciuit. Dei li. 19. c. 12.

Bellum iniustum simpliciter malum est.

At qui bellum iniustum exercent, etsi pacem uelle uidentur, tamen non eam uolunt, quæ bona est, sed quæ mala: Id est, quæ publicæ pacis confusio est & peruersio. Ideoq; nec bonum ulla ratione huiusmodi bellum dici debet, sed simpliciter malum est, ut quo bona pax turbatur, & amittitur, nunquam comparatur.

Atq; huiusmodi bella sunt seditiosorum & latronum, qui tametsi pacis aliquo fœdere coniuncti, pacem etiam per bellum comparare uelint: tamen ea non bona est, sed mala. Et bonam quidem quæ est, extingui: malam autem quæ non est, de nouo componi & conciliari uolunt.

De pace

De pace & concordia, Caput II.

IAm uero cuiusmodi malum sit seditio, tum recte intelligemus, si prius quale bonum sit pax & concordia, cuius quidem priuatio seditio est, cognoscamus.

Est igitur pax à pactione dicta. Est enim pactio, (ut Vlpianus inquit) duorum pluriumuè placitum & consensus: unde & qui consentiunt, pacem inter se habere intelliguntur. Hanc quidam tranquillitatem liberam esse definiunt. Est autem pax duplex, una Dei: altera mundi. Nam pax Dei diuersa est ab ea, quæ est mundi, ipso Domino ita discernente, qui ait. Pacem meam do uobis: & continuo adiungit. Non quomodo mundus dat, ego do uobis. Est igitur pax Dei illa, quæ datur à Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo, qua reconciliamur Deo, quam præcedit gratia, qua nobis peccata remittuntur, quibus aduersamur Deo. Cum enim per gratiam remissis peccatis absumptæ fuerint inimicitiæ, restat, ut pace adhæreamus illi, à quo nos sola peccata dirimebant. Sicut Propheta dicit: Non grauabit aurem, ut non audiat, sed peccata uestra inter Deum & uos separant: quibus remissis per fidem Domini nostri Iesu Christi, nulla separatione interueniente pax erit. Sed & eam pacem Dei appellare possumus, quę tranquillam hominũ societatẽ tuens, non aduersatur legi Dei. Qualis est tranquillitas illa uitæ, ex mutua hominum inter se beneuolentia enata, donũ uidelicet præclarũ à Deo mortalibus datum, & quod ad ea, quæ Dei sunt, agenda, ingẽs prẽstat adiumẽtum.

L. 1. ff. de pact.

Ioh. 14.

Aug. in expos. Epist. ad Rom.

Porro hanc pacem ideo Dei appellamus, quia non homo, sed solus Deus eam largitur. Hanc primum Christus, in carnem descendens, & homo factus Deus, de cœlo secum attulit: Angelis in fœlici eius natiuitate concinentibus. Et in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Vnde & à Prophetis Princeps pacis esse dicitur, qui & pacis eius non esse finem futurum pronunciarunt. Orietur, inquit Psal. tes, in diebus eius iustitia, & abundantia pacis. Vnde & pacis Deus, & interdum etiam pax nostra appellatur. Pacem habete, inquit Apostolus, & Deus pacis & dilectionis erit uobiscum. Et iterum. Ipse autem Deus pacis, det uobis pacem sempiternam in omni loco. Et alio loco. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraq; unum & medium parietem maceriæ, soluens inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuans: ut duos condat in semetipso, in uno nouo homine faciens pacem. Sed & uerbo simul & exemplo, pacis documenta idem nobis tradidit Christus. Pacem, inquit, habete inter uos. Quod & Apostolus de eo testatur, dicens. Et ueniens euangelizauit pacem uobis, qui longe fuistis: & pacẽ his, qui prope. Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem. Et Apostoli sequuti Magistrum suum, ipsi quoq; nos docuerunt

Christus author & Princeps pacis. Luc. 2.

Esaiæ. 9. Psal. 72. 2. Corin. 13. 2. Thes. 3. Ephes. 2. Marci. 9. Eph. 2.

Rom.12. cuerunt pacem. Nolite esse (inquit Apostolus) prudentes apud uosmetipsos, nulli malum pro malo reddentes, prouidentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam corã omnibus hominibus: si fieri potest, quod ex uobis est, cum omnibus hominibus pacẽ habẽtes. Item. Heb.12. Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo uidebit Deum. Pax mundi est prauorũ & impiorũ hominum, ad explenda scelera consensus atq; concordia. Qualis est eorũ, quos ad Pax mundi mala est. Prouerb.1. hunc modum loquentes introducit Sapiens. Insidiemur sanguini: abscondamus tendiculas contra insontẽ frustra: deglutiamus cum, sicut Infernus uiuentem, & integrum quasi descendentem in lacum: Sap.2. marsupium unum sit omnium nostrum. Et rursum alio loco. Opprimamus pauperẽ iustum, & non parcamus uiduæ nec ueterano: nec reuereamur canos multi temporis. Sit aũt fortitudo nostra lex iniustitiæ. Circumueniamus ergo iustum: quoniam inutilis est nobis, & Pax Domini contraria est operibus nostris. Cæterũ pax Domini ita contraria est paci mundi, ut qui illam habet, hanc habere non possit. Quia scilicet illa Diaboli est: hęc Domini. Quod Augustinus his uerbis confirmat. Qui, inquit, pacem suscipit Saluatoris, inimicitiam contrahit Aug. in quæst. noui test. q. 95. to. 4. mundi: Nisi enim discordauerit cum Diabolo, pacẽ non habebit cum Christo. Nemo enim potest duobus dominis seruire. Hic ergo à mundo discordat, qui legem Dei fideliter seruat: Christi pace munitus, omnium aduersariorũ comprimit tela. Quis enim audeat aduersus eum, quem scit Regis amicum? Aliter tamen mundus pacem dat, Aliter dat pacẽ Christus, aliter mundus. quàm se Saluator dare promisit. Mundus enim aut metu dat pacem, aut prece: Saluator uero, cum sit fortissimus omnium, nullum utiq; metuens, non rogatus dat pacem. Saluatoris ergo hæc pax est, quæ idcirco datur, ut munimentũ sit contra hostes. Pax quidem uno nomine appellatur, sed longo interuallo discernitur Dei & mũdi. Hæc enim fragilis est, illa fortis: hæc carnea, illa spiritalis: hæc terrena, illa cœlestis: hęc de necessitate est, illa de uoluntate. Christus enim nullius egens, pacem offert inualidis & inermibus: dominus seruis, bonus malis, Deus hominibus. Quicunq; uero pacem Christi acceperit, alienus erit à uitijs huius mundi, quæ militant aduersus animam, & tandem adipiscetur uitam æternã. At mundi pax plena uitijs, non docet bonam uitã, non suadet ad patientiã, non prouocat ad iustitiam, non hortatur ad misericordiam, nõ promittit uitam æternã. Hæc Augustinus. Rursus pax duplex est: Interna & Externa. Pax interna eorũ Pax interna triplex est. est, qui naturali quodam amicitiæ nexu coniunguntur. Et est triplex, Monastica, Oeconomica, & Politica. Monastica est unius hominis ad seipsum, eorũ uidelicet, quæ sunt in anima hominis motuum cum ratione concordia, & cognitionis actionisq; consensio. Quam Græci εὐθυμίαν: Latini tranquillitatem animi appellant. Oeconomica, quæ & domestica, est ordinata imperandi obediendiq; in una domo cohabitantium

bitantium concordia. Politica & ciuilis, est ordinata imperandi atq; obediendi ciuium concordia. Imperāt qui consulunt, sicut uir uxori, parētes filijs, domini seruis, Magistratus ciuibus, Reges ciuitatibus, & Regnis. Obediunt autem, quibus consulitur, sicut mulieres maritis, filij parentibus, serui dominis, ciues Magistratibus, ciuitates & Regna Regibus. Externa pax est eorum, qui inter se disiuncti, ac proprio quodam iure uiuentes, nulla neq; loci, neq; officij, neq; alia necessitudinis lege coniuncti sunt. Qualis est hominis ad hominem, uicini ad uicinū, ciuitatis ad ciuitatem, Regni ad Regnū concordia.

Aug. lib. 19. c. 13. de ci. Dei.

Pax Externa.

Est igitur tantum pacis bonū, ut in terrenis & mortalibus rebus nihil gratius ea soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci: deniq; nihil possit melius inueniri. Ac primū quidem quid optabilius pace Monastica, in qua summa fœlicitas ponitur, non solum terrena illa & temporaria, quod & Ethnici senserūt: sed etiam cœlestis & æterna, à qua scilicet Beati, qui eam habent, & ad finē usq; retinēt, & filij Dei appellantur. Beati (inquit Saluator & Dominus noster Christus Iesus) pacifici: quoniam ipsi filij Dei uocabuntur. In pace enim perfectio est, ut inquit Augustinus, & ideo filij Dei pacifici: quoniam nihil in eo resistit Deo, & utiquè filij similitudinem patris habere debent. Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, & subijcientes rationi, id est, menti & spiritui, carnalesq; concupiscētias habentes edomitas, fiunt Regnū Dei, in quo sunt ita ordinata omnia, ut id quod est in homine præcipuum & excellens, hoc imperet, cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis bestijs q; cōmunia: atq; idipsum quod excellit in homine, id est, mens & ratio, subijciatur potiori, quod est ueritas, unigenitus Filius Dei. Hæc est illa pax, quę datur in terra hominibus bonæ uoluntatis. Hęc est mens illa secura, quæ à Sapiente iugi conuiuio comparatur: qua qui præditus est, pacificus est, pace gaudens, pietate religiosus, benignus mente, moribus castus, conscientia securus. Deinde patres familiâs nihil magis optant, quàm pacē domesticā, cum his, qui eorum imperio sunt subiecti. Nam his ad nutum sibi obtemperantibus, delectantur: repugnantibus dolent, indignantur, corripiunt, uindicant, nec antea quiescunt, quàm domus suæ pacem (si ita necesse est) etiam sæuiendo componant, quam sentiunt esse non posse, nisi cuidam principio, quòd ipsi in domo sunt, cætera in eadem domestica societate sint subiecta. Quam legem & à brutis animantibus, ut ab auibus, ceruis, columbis, apibus: Immo & ab insociabilibus, soliuagis, & quibusdam etiam immanissimis beluis, custodiri uidemus, quæ coniugia copulant, nidos congerunt, oua conuouent, pullos alunt, & quasi cum sua matrefamiliâs societatem domesticam, quanta possunt pace, conseruant.

Matth. 5. Aug. de ser. domini in monte lib. 1.

Prouerb. 15.

Pax Oeconomica.

Lex pacis etiam in brutis.

Postremo à Monastica & Oeconomica pace, tanq; à fonte emanat

Pax Politica.

Tertia illa, quam Politicam diximus, per quam & ipsam ciuitates & Regna, non solum constituuntur, sed etiam legitime gubernantur & conseruantur. Atq; ex his omnibus iam satis (ut opinor) intelligimus, quàm bona & necessaria sit, ad conseruandam humanam societatem, hominum inter se pax & concordia, ut recte à Cicerone dictum sit, & nomen pacis dulce esse, & rem ipsam tum iucundam, tum salutarem. Propter quod & gentiles quidam, pacem & concordiam inter bona beatitudinis statuerunt. At multo plura eademq; excellentiora sunt Christianæ pacis commoda, à gentilibus ignorata, quæ hoc ordine enumerat Augustinus. De pace, inquit, dicturi, prius quæ pacis sint commoda uideamus. Est pax serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris uinculum, consortium charitatis. Hæc est, quæ simultates tollit, bella compescit, comprimit iras, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placita. Non quærit alienum, nihil deputat suum: docet amare, quæ odisse non nouit. Nescit extolli, nescit inflari. Hanc ergo qui accepit, teneat: qui perdidit, repetat: qui amisit, exquirat. Quoniam qui in eadem non fuerit inuentus, abdicatur à Patre, exhæredatur à Filio, & à Spiritu sancto alienus efficitur. Respuit enim munus oblatum, qui datæ legis contempserit bonum. Nec poterit ad hæreditatem Dei peruenire, qui testamentum noluerit obseruare: Non potest cum Christo concordiam habere, qui discors uoluerit esse cum Christiano. Contumaciæ ergo crimen est, quod iubetur contemnere, quod præcipitur nolle, quod imperatum est declinare. Quid tibi commune cum discordia Christiane? quid simultates amas, quod autori pacis placere non potuit? quid exerces inimicitias, quas euadere non potuit, nec ille qui eas primus inuenit? Initio nanq; inimicitias in protoplastum, dum serpens exerit, interficitur: dum homini inuidet, ipse prosternitur: Dum Adam cupit decipere, ipse primitus iugulatur. Quare aut Christi charitatem amplectere Christiane, aut discordiæ autori de similitudine operum parem te esse cognosce.

Cic. Philip. 13.

Aug. ser. 166.

Aug. ser. 57.

Inimicitia non conuenit Christianis.

De bello & discordia, Caput III.

PAci & concordię cõtrarium est bellum, & ut maximum bonũ homini est pax & concordia: ita maximum malum bellum & discordia, ut in Hierone inquit Xenophon. Est autem bellum duplex: Vnum Domini, alterũ mundi. Bellum Domini uocamus, quod huius mundi etiam prudentes iustum appellant. Et est, quod iustæ & legitimæ pacis uel conseruandæ, uel recuperandæ causa suscipitur. August. iustũ definit esse bellum, quod ulciscetur

Aug. lib. 6. quæst. super Iosue. q. 10.

tur iniurias, si qua gens uel ciuitas, quę bello petenda est, uel uindicare neglexerit, quod à suis improbe factũ est: uel reddere, quod per iniurias ablatum est. Similiter iustum est, quod Deus imperat, apud quem non est iniquitas, & nouit, quid cuiq; fieri debeat: In quo bello ductor exercitus, uel ipse populus, non ipse tam autor belli, quàm minister iudicandus est. Cæterũ, quæ ad belli iustitiam pertinẽt, nos in ijs libris, quos de Legationibus scripsimus, satis explicauimus. Iniustum bellum est, quod iustæ & legitimæ pacis perturbãdę extinguendæue causa, infertur. Atq; illius Deus, huius uero Diabolus, author est. Nam & Deo uel iubente, aut saltem non prohibente, quædam bella geruntur. Cuiusmodi sunt, quæ pro iustitia, ac tuenda religione: ob scelera item punienda, & ad repetendas res per uim ablatas, captiuosq; liberandos, & id genus alias causas, suscipiuntur. Sic ad custodiendam legem, per Moysen latam, Machabæi fratres, Iudas, Ionathas, & Simon, aduersus Antiochum, ac eius Principes, arma susceperunt. Et Iosue Deo authore Chananęos, & reliquos populos, quondam habitantes terram, populo Israëlitico repromissam, expugnauit. Similiter Tribus Beniamin propter nefarium scelus in uxorem Leuitæ perpetratum, à reliquis Tribubus ad internecionem propemodum est cæsa. Et Abraham coacto suorum uernaculorum exercitu, quatuor Reges uictores, qui inter cæteros captiuos Loth nepotem eius, unà cum tota illius substantia tulerant, Deo uolente, prostrauit. Sic Dauid diuino admonitus oracuło, coactis socijs repente irruit in latrunculos & prædones, qui uastauerant Sicelech, eruitq; de manu eorum uxores suas, & prædam, quam abduxerant.

Iniustum bellum.

Bella quædam à Deo iussa aut permissa.

1. Machab. 3. & seq.

Iosue. 6.

Iud. 20.

Gen. 14.

1. Reg. 30.

At quæ ad subuersionem uerę pietatis & iustitiæ, & ad iniustam bonorum suppressionem, à malis geruntur bella, Diabolo authore suscepta gestaq; intelliguntur: quod & Ethnici crediderunt, qui malorum bella à tribus Furijs infernalibus Tisiphone, Megera, & Alecto, mentibus humanis immitti dixerunt. Ad quem modum Poëta à Iunone bellum in Æneam & Troianos excitatum fuisse fingit. Sic enim de Iunone, omnibus modis ira iam accensa, & ad uindictam parata, habet carmen Poëtæ.

Bella iniusta à tribus Furijs immissa.

Luctificam Alecto dirarum á sede sororum,
Infernisq; ciet tenebris, cui tristia bella,
Iræq; insidiæq; & crimina noxia cordi,
Quam Iuno his acuit uerbis, ac talia fatur.
Tu potes unanimeis armare in prælia fratres,
Atq; odijs uersare domos, tu uerbera tectis,
Funereasq; inferre faces, tibi nomina mille,

Virgil. lib. 7. Æneid.

Mille

Mille nocendi artes, fœcundum concute pectus,
Disijce compositam pacem, sere crimina belli,
Arma uelit, poscatq; simul, rapiatq; Iuuentus, &c.

Et utrunq; quidem bellum, Domini & mundi, diuiditur: ut quoddam sit Internum, quoddam Externum. Internum rursus triplex est: Monasticum, siue unius hominis ad seipsum. Oeconomicum siue Domesticum, & Politicum siue Ciuile. Monasticum duplex est: Vnum, quod Deo iubente contra malos affectus, uitia & cupiditates exercetur. Qualis est continua spiritus aduersus carnem pugna. Alterum, quod aduersus spiritum iam à carne uictum gerit conscientia, quæ nullo non suppliciorum genere nocentem iam territat & affligit. Bellum Domesticum est, quod uxor contra maritum, liberi aduersus parentes, serui contra dominos suos exercent. Bellum Politicum siue Ciuile est, quod subditi dominis suis, uel alterutrum sibi uicini uel ciuitates, unius Imperij uinculo constricti, per rebellionem, seditionem, uel factionem inferunt. Ac de triplici hoc bellorum genere, supra nonnihil diximus. Externum bellum est, quod Diabolus & mundus animæ, uicinus uicino, ciuitas ciuitati, & Reges Regibus, inferunt. Iam igitur bella, siue interna siue externa, ob id mala sunt, quia pacis priuatio sunt. Ac primum quidem, quis non malum esse dicet, internam illam pugnam carnis aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem? qua si spiritus carnem uicerit & mortificauerit, uita: si succubuerit, mors datur, Apost. dicente. Si secundum carnem uixeritis, moriemini: si aũt spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Sane crudelissimus hostis est caro. Caro siquidem omnẽ suggestionẽ malam concupiscit, & demonstrat. Caro concupiscit omne malum: caro hortatur maleficia: caro prouocat iram, homicidium, adulterium & rixam: caro inserit ebrietatem: caro portat omnem concupiscentiam malam huius sæculi, & omnia mala desiderat. Deinde non minus horrendum est bellum, quo conscientia cum homine ob perpetrata delicta cõflictatur. Qui enim conscius sibi delictorum est, nusquam securus est, ut inquit Ambros. sed tanquam hostiles acies ita lapsus culparũ suarum, aduersantium modo, arbitratur sibi obsistere. Quicquid personuerit, quicquid increpuerit, culpa ei propria semper occurrit. Quicquid fuerit dictum aut lectum, in se dictum putat. Quicquid intenderit se nutu, se oculis designari putat. Si epuletur, si cogitet, si oret, ac deprecetur, ante oculos eius semper est error proprius, & momentis omnibus culpa pulsat conscientiam: nec quiescere, nec obliuisci sinit, uelut grauis censor exagitat se perpetuo terrore. Omnia igitur aduersa habet, qui ipse sibi displicet, ipse sui accusator, ipse sui testis est, nec inuenit, quo fugiat, qui ipse se purget & stimulet.

Aug. lib. de salutarib. doc. c. 64.

Rom. 8.

Hostis noster caro est.

Amb. in Apol. Dauid. c. 9.

Magna

Magna certe uis obnoxiæ conſcientiæ, magna ſupplicia timebant Adam & Eua: & cum Domini uocem in Paradiſo ambulantis audirent, cupiebant ſe abſcondere, quos nemo quærebat. Cain quoq; metuebat, ne omnis eum, quicunq; inueniret eum, occideret: ita ſua conſcientia in eum ferebat ſententiam, quod dignus eſſet, cui nullus ignoſceret. Et ad hunc modum afflígitur, qui in Pſalmo dicit. Et delictum meum contra me eſt ſemper: Hoc eſt, ſine interuallo aliquo recordatio & ſpecies ipſa mei me erroris impugnant. Hæc Ambroſius. Idem quoq; Ethnici ſenſerunt, tametſi lumine fidei noſtræ minime illuſtrati. Sic enim de hac conſcientiæ pugna ſcribit Seneca, Prima eſt, inquit, & maxima peccantium pœna pecaſſe, nec ullum ſcelus, licet illud fortuna exornet muneribus ſuis, licet tueatur ac uindicet, impunitũ eſt: quia ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt. Sed nihilominus & hæc & illam ſecundæ pœnæ premunt ac ſequuntur, timere ſemper & expaueſcere, & ſecuritati diffidere. Hic conſentiamus, inquit, cum Epicuro, qui ait. Mala facinora conſcientia flagellari: & plurimum illi tormentorum eſſe, eò quòd perpetuo illam ſollicitando urget acuerberat, quod ſponſoribus ſecuritatis ſuæ non poteſt credere. Hoc enim ipſum argumentum Epicuri eſt. Natura nos à ſcelere abhorrere, quod nulli non etiam inter tuta timor eſt: multos fortuna liberat pœna, neminem metu. Hæc Seneca, cui Satyricus etiam concinit.

Vis magna obnoxiæ conſciẽtię.

Pſal. 50.

Seneca lib. 16. epiſtolarum.

Flagella conſcientię in ſceleratis

Iuuen. Sat. 13.

Exemplo quodcunq; malo committitur, ipſi
Diſplicet authori: prima hæc eſt ultio, quod ſe
Iudice, nemo nocens abſoluitur.

Et poſt.

Cur tamen hos tu
Euaſiſſe putes, quos diri conſcia facti,
Mens habet attonitos? & ſurdo + pectore cædit.
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem uehemens, & multo ſæuior illis,
Quas & Cæditius grauis inuenit, + & Rhadauiantus,
Nocte, dieq; ſuum geſtare in pectore teſtem.

+ uerbere.

+ aut Radamanthus.

Sed & grauiſsimum eſt bellum, quod mundus & Diabolus extrinſecus homini inferunt: quod ut caute declinemus, Apoſtolus Ioannes admonet, dicens. Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo ſunt. Quia omne quod in mundo eſt, cõcupiſcẽtia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſęculi. Cum hoc conflictatus Adam & Eua, & tandem uicti, à Paradiſo delitiarũ, in hoc miſerabile exilium eiecti ſunt. Nam & concupiſcentia carnis ab eis impleta eſt, quod de ligno uetito guſtauerunt. Et concupiſcentia oculorum, quod

1. Ioan. 2.

quòd ſibi aperiri oculos cupiuerunt. Et ambitio ſæculi, quod ſe fieri poſſe, quod Deus eſt, crediderũt. Sic & ad eundem modum mũdum diligẽtes, id eſt, carnaliter uiuẽtes, nos quoq; à Paradiſo ęternæ fœlicitatis eiiciemur. Nam & Apoſtolus dicit: Si ſecundum carnẽ uixeritis, moriemini. Secundum carnem autem uiuit, qui ſecundum ſeipſum uiuit: quia ipſe homo eſt, & uiuit, & ſecundum ſeipſum uiuit: Id eſt, pergit quo uult, dormit quando uult, & quamdiu uult: loquitur quæ uult, & cui uult, & ubi uult: manducat & bibit quando uult, & quantum uult: ridet & iocundatur turpiter inter quos uult, & quando uult. Poſtremo, quicquid naribus ſuaue eſt, quærit: quicquid tactu blandum, quicquid oculis delectabile, quicquid corpori ſuo iucundum, exercet & ſequitur, qualiter uult, & quando uult: quia omnia licita & illicita carnaliter uult. Delectatur in ueſtimentis pulcherrimis, & equis & armis, ſicut uult, & quando uult. Et ſic non ſecundum Deum, ſed carnaliter uiuit, & omnia deſideria carnis ſuæ perficit ſicut uult, & quando uult. Hæc & alia his ſimilia, mundi bello uicti faciunt. Fortiores aũt huiuſmodi illecebrarũ arma, Apoſtoli doctrinã ſequuti, cautius fugiendo declinãt: Quod omnium certe maxime arduum eſt. Frequenter enim irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & uanitatum offũſio mentem occupat, ut quod euitare ſtudeas, hoc cogites, animoq; uoluas, quod cauere difficile ſit homini, exuere autem impoſsibile, ut uoti magis ea res ſit, quàm effectus, ut inquit Ambroſius. Quod & Prophetæ teſtimonio confirmat, dicentis. Declina cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam.

Aug. lib. de ſalutarib. documẽt. c. 13. et 17.

Rom. 8.

Quid eſt, uiuere ſecundum carnem.

Amb. de fuga ſæculi c. 1.

Aug. de bono perſeueran. lib. 2. cap. 8.

Pſal. 118.

Sed nec minus periculoſum eſt bellum illud externum, quod à Diabolo homini infertur, carnem eius occupans. Diabolus enim in carne noſtra ſeminat ſemina ſua, id eſt, homicidium, fornicationem, concupiſcentiam, libidinem, iram, rixam, ebrietatem, ſuperbiam, furtum, & omnem ſuggeſtionem malam, dicente Apoſtolo. Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus ſpiritus aëris huius, aduerſus ſpiritualia in cœleſtibus. De Diabolo enim hoc dictum eſt, qui ſpiritus malus eſt, & non uidetur: Et ipſe ſpiritus nequiſsimus proiectus eſt de cœlo cum angelis ſuis, de quibus dicitur in Apocalypſi. Ecce proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos die ac nocte, & ipſi uicerunt eum, propter ſanguinem Agni. De quo & Apoſtolus alio loco dicit. Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus Sathanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogaui, ut diſcederet à me, & dixit mihi. Sufficit tibi gratia mea: nam uirtus in infirmitate perficitur. Denicq; & in carne Iob tentatus eſt à Diabolo, dicente Domino. Et data eſt ei poteſtas à Domino in facultate eius. Et iterum. Dabo tibi illum in poteſtatẽ, præter animam eius. Atq; huiuſmodi Diaboli bellum tanto periculoſius eſt, quanto qui intentat hoſtis occultius, per inſidias nos

Aug. de ſalutarib. documẽ. cap. 64.

Epheſ. 6.

Apo. 12.

1. Corin. 12.

Iob. 1. & 2.

nos aggreditur. Versutus est enim iste hostis, & tortuosus (ut inquit Augustinus) nec facile deprehendi possunt circuitus uiæ eius, nec cognosci species uultus eius, nisi † tu illumines. Nam nunc hic, nunc illic: nunc agnum, nunc lupum, nunc tenebras, nunc lucem se ostendit, & singulis quibuslibet qualitatibus, locis, & temporibus, secundum uarias rerum mutationes, uarias exhibet tentationes. Nam ut tristes decipiat, tristatur & ipse: ut gaudentes illudat, fingit se & ipse gaudere: ut spirituales defraudet, in angelum lucis se transfigurat: ut fortes comprimat, apparet agnus: ut mites deuoret, apparet lupus. Hæc quidem omnia secundum similitudinem uariarum tentationum effici habent, sicut alios à timore nocturno, alios à sagitta uolante in die, alios à negocio perambulante in tenebris, alios ab incursu, alios à Dæmonio meridiano? Et ad hæc quis idoneus, ut cognoscat, & astutias eius quis cognouit? quis reuelabit speciem indumenti eius, & gyrum dentium eius quis agnoscet? En abscondit sagittas suas in pharetra, & laqueos suos abscondit sub specie lucis. Et hoc difficilius perpenditur, nisi à te Domine spes nostra lumen assumamus, ut uideamus omnia. Nam non solum in carnis operibus, quæ de facili cognoscuntur, nec tantum in ipsis uitijs, sed in ipsis spiritalibus exercitijs laqueos abscondit subtiles, & sub uirtutum colore ipsa uitia induit, & transmutat se in angelum lucis. Hæc & multa alia nititur contra nos, ipse filius Belial, ipse Sathan, Domine Dominus noster. Et nunc ut Leo, nunc ut Draco, manifeste & occulte, intus & extra, die ac nocte insidiatur, ut rapiat animas nostras. Et tu eripe nos Domine, qui saluas sperantes in te, ut ipse de nobis doleat, & tu lauderis in nobis Domine Deus noster. Hactenus Augustinus. Postremo Domesticæ & Ciuiles discordiæ, omnem legitimè imperandi obediendiq; concordiam, eorum qui in una domo aut Republica uersantur, dissoluunt: qua sublata, primum castissima illa uiri & mulieris societas distrahitur, tum liberorum procreatio & educatio negligitur, & quæ cuiusq; tam uiri quàm mulieris in administranda re familiari, tam domi quàm foris, propria sunt officia, confunduntur. Et si quos forte procreauerint liberos, illos nec nutriunt, nec erudiunt. Et rursus filij parentibus non eum, quem oportet, honorem exhibent: sed nec serui dominis eam, quam oportet obedientiam, operarumq; obsequia præstant. Sic & in administratione rerum publicarum, abrogatis his, quæ ad ueram imperandi obediendiq; rationem pertinent, eò res deueniunt, ut nulla libertatis aut Reipublicæ aut legum, aut dignitatis, aut Principatus sit utilitas: tum nulla etiam reuerentia neq; legum, neq; ciuium, neq; patriæ ipsius, malorum & seditiosorum conatibus obsisti possit. Nec minus noxiæ sunt discordiæ externæ, quas uicini in uicinorum domos & familias exercent, à quare & prouerbium natum uideri

Aug. in lib. soliloquiorum. c. 17.

forte † Dominus illuminet, ut patet infra lib. 4. cap. 5.

Variæ tentationes Diaboli.

Psal. 90.

Iob. 40.

Laquei Diaboli in spiritalibus quoq; exercitijs nostris.

Discordiæ Domesticæ

Discordia Politica.

N potest,

potest, quo Lysimachus apud Plautum in Mercatore utitur. Nunc ego, inquit, uerum esse illud uerbum experior, Aliquid mali esse propter uicinũ malum. Et ut magnæ cõmoditates à uicinis proueniunt, si boni fuerint: ita multa incommoda, si mali. Quod Hesiodus exprimit huiusmodi carmine.

Εἰ γάρ τοι καὶ γεἶμ' ἐγχώριον ἄλλο γένηται,
γείτονες ἄζωσοι ἕκιον, ξώσαντο δ' ἑκηλοι.
πῆμα κακὸς γείτων, ὅσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ.
ἐμμορέ τοι τιμῆς, ὅς τ' ἔμμορε γείτονος ἐσθλοῦ.
οὐδ' ἂρ βοῦς ἀπόλοιτ' εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη.

Quod Erasmus Roterod. ad hunc modum Latine reddidit.

Eras. Chil. 1. Centuria 1. Adag. 32.

Si qua domi incident tibi res, tunc illico omissis,
Adsunt uicini zonis cinguntur, at ipsi
Affines, noxa est, uicinus ut improbus ingens.
Contra ita maxima commoditas, si commodus adsit.
Deest honor huic bona, quem uicinia deficit, at nec
Intereat bos, ni uicinis ubi improbus adsit.

Sic & bella externa, quæ à ciuitatibus aduersus ciuitates, uicinos uel à Regnis contra Regna uicina intentãtur, plena periculis sunt: ut quibus ingentes sæpe populos subuersos esse, historiæ tradunt. Quemadmodum Ætolis & Acarnanibus, Carthaginẽsibus & Byzantinis, & quibusdam alijs euenit, qui se mutuis cladibus euerterũt.

Incõmoda ex bellis etiam iustis

Nec uero ad iniusta tantum bella pertinent, quæ de incõmodis bellorum iam diximus: maxime eorũ, quæ Oeconomica & Politica appellauimus. Nam & ipsa quantumlibet legitima & necessaria, non solum ea quæ enumerauimus, sed multa etiam alia mala comitantur. Cuiusmodi sunt, quod religio neglecta iacet, sprctus Dei cultus, templorum direptiones fiunt & sacrilegia: horrendę audiuntur blasphemiæ, uariæ æduntur cædes, rapinæ, populationes agrorũ, deprędationes domorum, carceres, uincula, auulsi à sinu matrũ filij. Raptę ac stuprũ uirgines, incendia pagorũ, urbiũ, breuiter in bello etiam iusto.

Seneca in Hercule furente.

Ius est in armis, opprimit leges timor,
ut inquit Seneca.
Et iterum.
Arma non seruant modum.
Non temperari facile nec reprimi potest,
Stricti ensis ira, bella delectat cruor.

Vnde & prudentes quidam dicunt, non bonorũ esse hominum bellare, sed ne latronũ, ne hominũ quidem. Belluarũ enim est iste furor, unde bellum nomen accepit, ut inquit Festus, & in officijs innuit Cicero. Et si quando iusto & sapienti uiro bellandum est, tamen quia non nisi necessitate coactus, bellum inferre debet. Dolendum simul

Aug. de ciuit. Dei. l. 19. c. 7.

illi

illi est, iustorum sibi necessitatem extitisse bellorum: quia nisi iusta essent, ei gerenda non essent. Ac per hoc sapienti bella non essent: iniquitas enim partis aduersæ, iusta bella ingerit gerenda sapienti, quæ iniquitas utiq; homini est dolenda: quia hominū est, etsi nulla ex ea bellandi necessitas nasceretur, ut alibi docet Augustinus.

Seditionem perniciosiorem esse bello externo, Cap. IIII.

SAtis iam ex his, quæ dicta sunt, liquere puto, quàm noxia & pestifera sint, quæ quomodocunq; rebus publicis inferuntur bella. Iam uero & illud explicandum est, multo tetriora & perniciosiora esse intestina, quàm quæ extrinsecus, contra Rempublicam suscipiuntur bella. Primū enim quemadmodum morbi interni grauius affligunt corpus, & curatu difficiliores sunt, quàm externi: ut quorum non raro causas, quia intrinsecus latent, ignoramus. Et si cognoscantur, tamen ad eos non facile quæ paratæ fuerint, medicinæ penetrare possunt. Ita & seditiones, intestina, ac domestica & ciuilia bella, periculosiora sunt, ijs quæ extrinsecus admouentur. Nam & ipsa sæpe, priusquam cognoscantur, opprimunt, & cognita iam uix, & sæpe nullo etiam consilio supprimi aut extingui possunt. Est enim natura intestinorum malorum, ut cum maxime nocent, tum minime ea nocere sentiamus. Nam non raro, cum quibus pacem nos tenere putamus, eorū corda ignoramus: & si hodie nosse possimus, qualia cras futura sint, nescimus. Etenim qui amiciores esse solent uel debent, quàm qui una etiam continētur domo, & tamen quis inde securus est, cum tanta sæpe mala ex eorum insidijs extiterint, tanto amariora, quanto pax dulcior fuit, quæ uera putata est, cum astutissime fingeretur, propter quod omnium pectora sic attingit, ut cogat in gemitum. Quod ait Tullius. Nullæ sunt occultiores insidiæ, quàm hæ, quæ latent in simulatione officij, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eum, qui palam est aduersarius, facile cauendo uitare possis: Hoc uero occultum, intestinum, ac domesticum malum, non solum existit, uerū etiam opprimit, antequam prospicere atq; explorare possis. Propter quod etiam diuina uox illa: Et inimici hominis domestici eius, cum magno dolore cordis auditur. Quia etsi quisq; tam fortis sit, ut æquo animo perferat: uel tam uigilans, ut prouido consilio caueat, quæ aduersus eum molitur amicitia simulata: eorum tamen hominum perfidorum malo, cum eos esse pessimos experitur, si ipse bonus est, grauiter excrucietur necesse est, siue semper mali fuerint, & se bonos finxerint: siue in istam malitiam ex bonitate mutati sint. Deinde bello externo, etsi magni,

Comparatio à morbis internis.

Aug. de ciuit. Dei, li. 19. c. 5.

Insidiæ à simulatis amicis.

Matth. 10.

sæpe exercitus conteruntur, amplissimæ urbes delentur, multæ Regiones terræq; longe lateq; uastantur: tamen interim, quia in ipso uirtute magis, quàm primis studijs cuncta aguntur, spes est bellantibus victoriæ: quam & sæpe magna etiam cum gloria consequuntur, nec damna tantum uictores recuperant, sed uires etiam potentiamq; suam augent, longiusq; dominando propagant. In seditionibus autem, in quibus quicq; inter se diuisi, suis affectibus ducuntur, interim nullis non turpibus rebus operã dantes, in eum locum res deducuntur, ut qui uincere uidentur, omnium maxime uincãtur, secq; et à se uictos, ipsamq; adeo Rempub. perdant: ut non tam ab hostibus, quàm suis ipsa uiribus tabescens Respub. perdatur atq; consumatur: Immo quo uiribus potentior, tanto in ea seditio periculosior, ut recte dixerit Liuius in ciuilibus bellis: Respublicas magnitudine laborare sua.

Quanta mala in seditionibus.

Sic Romanorum potẽtia primum Italici, deinde utriusq; Punici, & post illud Macedonici, utriusq; Syriaci, ac Punici Tertij, & item Macedonici Tertij, Achaici, Numantini, Iugurtini, & quorundam aliorum externorum bellorum, in immensum creuit. Quemadmodum autem potentiæ Romanorum, prior Scipio uiam aperuerat: sic luxurię posterior aperuit. Quippe remoto Carthaginis metu, sublataq; Imperij æmula, non gradu, sed præcipiti cursu à uirtute, quæ in externis bellis exercetur, ad uitia decursum, uetus disciplina deserta, noua inducta, in somnum à uigilijs, ab armis in uoluptates, à negocijs in ocium conuersa ciuitas. Atq; huic plurimæ turbæ, seditiones, & ad postremum bella ciuilia orta sunt, dum pauci potentes, quorum in gratiam plæriq; concesserant, sub honesto patrum aut plebis nomine dominationes affectabant, bonicq; & mali ciues appellati, non ob merita in Rempublicam omnibus pariter corruptis, sed uti quisq; locupletissimus, & iniuria ualidior, quia præsentia defendebat, pro bono ducebatur. Propter quod Carthagine, æmula Romani Imperij, ab stirpe deleta, tantis deinde malorum agminibus oppressa Respublica fuit, ut prosperitate ac securitate rerum, unde nimium corruptis moribus mala ista congesta sunt, plus nocuisse monstretur: Tam cito euersa, quàm prius nocuerat tandiu adeuersa Carthago, ut alibi uere cõmemorat Augustinus. Ac tales quidem fuerunt seditiones Gracchanæ, Apuleiana, & bella quædam seruilia. Ciuilia item Marij, Syllæ, Cæsaris, Antonij, Lepidi, Augusti, & si quæ sunt alia, quæ ab Historicis describuntur. Et de bello Antonij aduersus Octauium Augustum, pulchra Horatij querela extat, his expressa carminibus.

Eutrop. lib. 2. rerum Rom.

Bellis externis creuit Ro. potentia.

Vell. Paterculus lib. 2. hist. Ro.

Aug de ciuit. Dei lib. 3. c. 17.

Aug. de ciuit. Dei lib. 3. c. 21.

Ode 16. libri Epodon.

Altera iam teritur bellis ciuilibus ætas,
Suis & ipsa Roma uiribus ruit.

Quam

Quam neq; finitimi ualuerunt perdere Marsi,
Minacis aut Hetrusci Porsenæ manus.
Æmula nec uirtus Capuæ, nec Spartacus acer,
Nouisq; rebus infidelis Allobrox.
Nec fera cærulea domuit Germania pube,
Parentibusq; abominatus Hannibal.
Impia perdemus deuoti sanguinis ætas,
Ferisq; rursus occupabitur solum.
Barbarus heu cineres insistet uictor, & urbem
Eques sonante uerberabit ungula:
Quæq; carent uentis, & solibus, ossa Quirini
Nefas uidere, dissipabit insolens, &c.

Iam & illud inter incõmoda seditionum, haud extremũ est, quòd exulare etiam sponte sua coguntur, qui seditionũ molestias ferre non possunt. Sic interiore illo conscientiq; bello tribulati, à conscientia sua exulant, ad quam redire nolunt, ne ibi litibus peccatorũ euertantur. Sic qui uxores habent malas, ad forũ exeunt, et gaudent: Et quando iam tempus instat, quo redituri sunt domũ suam, contristantur. Intraturi sunt enim ad tędia, ad murmura, ad amaritudines, ad euersiones; quia non est domus composita, ubi inter uirum & uxorem pax nulla est, & melius est illi foris circumire. Sic & propter seditionem ciuilem, in tantam desperationem ueniunt boni ciues, ut patrios focos relinquere malint, quàm ciuilium discordiarũ incommoda perferre. Quod idem Poëta, de eodem ciuili bello loquens, eleganter subsequentibus carminibus significat.

Forte quid expediat, communiter, aut melior pars,
Malis carere quæritis laboribus.
Nulla sit hac potior sententia, Phocæorum
Velut profugit execratæ ciuitas:
Agros, atq; lareis proprios, habitandaq; fana
Apris reliquit, & rapacibus lupis:
Ire, pedes quocunq; ferunt, quocunq; per undas
Notus uocabit, aut proteruus Aphricus.
Sic placet? an melius quis habet suadere? secunda
Ratem occupare quid moramur alite?
Sed iuremus in hæc, simul imis saxa renarint
Vadis leuata, ne redire sit nefas:
Neu conuersa domum pigeat dare lintea, quando
Padus Matina lauerit cacumina:
In mare seu celsus procurrerit Apenninus,

Nouaq; monstra iunxerit libidine.
Mirus amor iuuet, ut tigreis subsidere cerui's,
Adulteretur & columba miluio:
Credula nec flauos timeant armenta leones,
Ametq; salsa leuis hircus æquora.
Hæc, & quæ poterunt reditus abscindere dulcei's,
Eamus omnis execrata ciuitas,
Aut pars indocili melior grege, mollis, & expes
Inominata perprimat cubilia.
Vos, quibus est uirtus, muliebrem tollite luctum,
Hetrusca præter & uolate littora.
Nos manet Oceanus circumuagus, arua beata
Petamus arua, diuites & insulas:
Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis,
Et imputata floret usq; uinea,
Germinat & nunq; fallentis termes oliuæ,
Suamq; pulla ficus ornat arborem.
Mella caua manant ex ilice, montibus altis
Leuis crepante Lympha desilit pede.
Illic iniussæ ueniunt ad mulctra capellæ,
Refertq; tenta grex amicus ubera.
Nec uespertinus circumgemit ursus ouile,
Nec intumescit alta uiperis humus.
Pluraq; fœlices mirabimur, ut neq; largis
Aquosus Eurus arua radat imbribus,
Pinguia nec siccis urantur semina glebis,
Vt trunq; rege temperante cœlitum.
Non huc Argoo contendit remige pinus,
Neq; impudica Colchis intulit pedem.
Non huc Sydonij torserunt cornua nautæ,
Laboriosa nec cohors Vlyssæi.
Nulla nocent pecori contagia, nullius astri
Gregem æstuosa torret impotentia.
Iupiter illa piæ secreuit littora genti,
Vt inquinaut ære tempus aureum,
Aëre, de hinc ferro duraut sæcula, quorum
Pijs secunda uate me datur fuga.

Iam & hoc pernicioſior externo bello eſt ſeditio, quia ſæpe non ſolum armis, ſed etiã ſilẽtio & ocio, Rempub. lędunt ſeditioſi: Quod genus militari maxime ſeditioni proprium eſt. Quemadmodum in

Tit. Liuius ab urb. cond. li. 2.

bello, quod Fabius Consul cõtra Veientes gesſit, accidisse tradit Liuius. In eo enim bello Cõsuli plus aliquãto negocij cũ ciuibus, quàm cũ hostib9 fuit. Nam cum prẽter cẽteras Imperatorias artes, quas parando gerẽdoq; bello ædiderat plurimas, ita instruxisset aciẽ, ut solo equitatu emisso, exercitũ hostiũ funderet: insequi fusos hostes pedes noluit, nec illos, etsi nõ adhortatio inuisi Ducis, suum saltẽ flagitium & publicũ in præsentia dedecus, postmodum periculum, si animus hosti redisset, cogere potuit gradum accelerare: aut si aliud nihil, instare instructos, iniussu signa referunt, mœstiq;, crederes uictos, exercitus nunc Imperatorẽ, nunc nauatã ab equite operã, redeunt in castra. Ita unus ille Cõsul Rempub. sustinuit, quam exercitus odio Cõsulis nõ armis, sed ocio quantũ in se fuit, ꝓdidit. Violentior aliquanto fuit exercitus Appio Consuli, bellum cõtra Volscos gerenti. Non enim uincere tantũ noluit, ut Fabianus, sed uinci uoluit: productus in aciem turpi fuga petit castra, nec ante restitit, quàm signa inferẽtem Volscum munimentis uidit, fœdamq; extremi agminis cædem, &c.

Exercitus odium cõtra App. Claudium. *Tit. Liu. lib. 2. ab urb. cond.*

De incommodis rebellionis, Cap. V.

QVod si igitur per se malum est seditio, ut non omnino malis argumẽtis iam demonstrasse uideor: quid mirũ, si ex ea alia quoq; mala et incõmoda descẽdãt? Porro earũ, quæ ex seditionib9 ꝓueniunt incõmoditatũ, quędam ad corpus Reipub. quędam ad singulas ei9 partes referunt. Idq; duplici ratione. Nam ut duplex est stat9 Reipub. Ecclesiasticus & Sęcularis: sic uterq; incõmodis seditionũ, quisq; pro sua cõditione tam in personis priuatis, q̃ in uniuerso Reipub. corpore afficitur. Ac de damnis, quę ex seditionibus ordini Ecclesiastico, & Ecclesię ministris, & Catholicis homin9 afferũtur, abunde à nobis disputatũ est in ꝑs libris, quos de Hęretitis & Schismaticis scripsimus. In hoc aũt libro de prophanarũ incõmodis seditionũ dicemus. Sunt igit incõmoda, quibus Respub. ꝓpter seditiones afficit, tranquillitatis publicæ perturbatio, & status Reipub. mutatio. Respub. perturbat rebellione & factione. Rebellionis incõmoda sunt, inobedientia, & quæ ab hac descẽdunt, Regũ & Magistratuũ bonorũ quidem abdicatio: malorũ aũt creatio, atq; surrogatio: legũ abrogatio bonarũ, malarũ rogatio: iudiciorũ translatio, & si qua sunt similia. Primũ n. quę maior Reipub. perturbatio esse potest, q̃ qua imperãdi obediẽndiq; cõcordia dissoluitur? Nam ut oĩa nõ solum in administrationibus rerũ publicarũ, sed etiã in totius mundi rerũ serie & ordine tũ sibi recte cõstãt, cũ inferiora superiorib9, id est, creaturę oĩes, tam uisibiles q̃ inuisibiles, Deo: et inter creaturas primũ in homine rationi cupiditates: in domo patrifamiliãs, qui sunt eiusdem potestati subiecti: in ciuitatib9 ciues Magistratui, & in Regnis subditi dominis suis, obediũt: i. in ꝑs, quę recte ab ipsis præscribũt & mãdãt, custodiũt, debitũq; eis honorẽ & reuerẽtiã exhibẽt.

Inobediẽtiæ damna.

Ita rursus omnia confusa perturbataq́ sint necesse est, quando nec rationi sensus in homine, necp in domo patrifamiliâs familia, necp in ciuitatibus & Regnis, ciues & subditi, Magistratibus & Regibus suis, eam quam oportet obedientiam exhibent. Immo uero ab una inobedientia primorum parentum, omnes discordiæ & perturbationes, tam singulorum hominum, quàm rerum publicarum, siue interne siue externe proficiscuntur. Postquam enim à primis parentibus nostris præcepti facta transgressio est, ut anima libertate propria in peruersum delectata, & Deo dedignata seruire, nouum inobedientiæ carnis suæ motum, tanquam reciprocam inobedientię suæ pœnam, senserunt. Quia anima superiorem Dominum suo arbitrio deseruerat, pristino corporis seruitio destituta: nec inferiorem famulum suum corpus, ad suum arbitrium tenere, nec omnino subditam habere carnem meruit, sicut semper habere potuisset, si Deo subdita ipsa mansisset. Atcp hinc caro cœpit concupiscere aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem: quia hæc sibi inuicem aduersantur. Hinc alia lex in membris nostris, repugnans legi mentis nostræ: hinc inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, seditiones, hæreses, schismata, bella interna & externa. Inobedientiam rebellium, comitatur abdicatio bonorum Magistratuum, & surrogatio malorũ. Necp enim satis habent, non parere mandatis bonorum, nisi & ipsis omni honore & potestate destitutis, alios malitiæ suæ patronos in eorũ locum sufficiant. Quomodo & Reges & Principes sæpe à seditiosis sedibus suis expulsos, alioscp in eorũ locũ surrogatos fuisse, in Historijs proditum est. Sic Veneti & Prasini aduersus Iustinianum Imperatorem rebellionem concitantes, primum Ioannem & Tribonianum Consiliarios, abire Magistratibus & officijs cogunt. Deinde Hyppacium leuem hominem Imperatorem consalutant, & cum ad manus Diadema, quo Imperatores redimiri solent, non haberẽt, aurum quoddam super caput eius ponentes, Romanorum Imperatorem declarunt: eocp Iustinianũ Principem compulerũt, ut iam de fuga capienda consilium caperet. Quam rem tamen dissuasit Thedora Augusta, satius esse rata, seditiosorum arma expectare, quàm in non tolerabile exilium cum ignominia agi: nec se unũ diem uiuere posse declarans, in quo non Augusta salutaretur, ac subinde iuxta prouerbium pulchrum esse dictitãs, in sepulchri Elogio Imperatorem ascribi. Quod consilium bonus quocp euentus insequutus est. Nam & Belisarij & Mundi opera omnes Hyppacij coniurati, cæsi. Et ipse Hyppacius è throno raptus, & ad Imperatorẽ ductus, altero die à militibus cæsus, & in mare proiectus fuit. Ioannes uero & Tribonianus prius honoribus deiecti, tempore pòst eisdẽ restituti fuerũt. Atcp ad hũc modum sedata ea seditione, uno die triginta millia è populo desiderata fuerũt.

Inobedientia primorum parentum.

Aug. de ciuit. Dei li. 13. c. 13.

Gall. 5.

Abdicatio bonorum Magistratuum.

Procop. lib. 1. de bello Persi.

Sic

Sic Cicero inter alia seditionis Antonianę incõmoda, illud quoq; narrat: Proditores, latrones, incendiarios, alioſq; ſceleratiſsimos homines in Senatum ſuum aſcitos atq; electos fuiſſe. Philipp. 13.

Et Plutarchus prouerbio quoq; dici ſolitum affirmat, in ſeditione diſcordiaq; ciuili, plærunq; ſordidiſsimis etiam uiris honoribus potiri, contingere. Nimirum ſignificans, tum locum habere prouerbium Grȩcis uſitatum. Plut. in Nicia.

Ἐν δὲ δῆχοσασὶν καυδροκλείδης πολεμαρχῶ. Id eſt. Seditione orta, Dux eſt etiam Androclides. Et item illud: Ἐν δὲ δῆχοσασὶν καὶ πάγκακος ἐμμορεῖμᾶς: Id eſt. Rebus turbatis, uel peſsimus eſt in honore. Eraſ. Chil. 2. Cent. 2. Adag. 91.

Sic Leo Papa, ad Epiſcopos Aphricanos ſcribens, miratur tantum, apud eos per occaſionem temporis impacati, aut ambientium prȩſumptionem, aut tumultum ualuiſſe popularem, ut indignis quibuſq;, & longe extra ſacerdotale meritum conſtitutis, paſtorale faſtigium, & gubernatio Eccleſiæ, crederetur. Quam negligentiam acrius repræhendens. Non eſt (inquit) hoc conſulere populis, ſed nocere: nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen. Integritas enim præſidentium, ſalus eſt ſubditorum: & ubi eſt incolumitas obedientiæ, ibi ſana eſt forma doctrinæ. Epiſt. 85. 61. diſt. miramur.

Principatus autem, quem aut ſeditio extorſit, aut ambitus occupauit, etiamſi moribus atq; actibus non offendit, ipſius tamen initij ſui eſt pernicioſus exemplo. 1. q. 1. Pauci patris.

Illud etiam grauius eſt, quod ſæpe ſeditioſi bonos Magiſtratus occidere ſolent. De qua re infra dicemus, quando de crudelitatibus ſeditioſorum agetur. De abrogatione bonarum legum, & rogatione malarum, tum de perſequutionibus Legumlatorum, & de iudiciorum translatione, ſatis multa à nobis ſupra libro primo, & in ijs libris, quos de Hæreticis & Schiſmaticis ſcripſimus, dicta ſunt. Vnum tantum hoc loco addimus, magnam hoc tempore Reipublicæ turbationem ex eo natam eſſe, quod leges non ſolum Canonicæ, ſed etiam Ciuiles, ad diuinum cultum, & Eccleſiæ cæremonias & Politiam pertinentes, tot modis hactenus, hæretici & ſchiſmatici primũ quidem calumniati, ac deinde potentiores facti, per uim etiam abrogarunt: ac iuſtis ac bonis, non iuſtas & malas introduxerunt, iudiciaq; ſacra & Eccleſiaſtica, in prophanos iudices tranſtulerunt, ut iam cauſæ, uſurarum, ſacrilegiorum, rerum Eccleſiaſticarum, Matrimoniorum, immo & controuerſiæ ſcripturarum & religionis, Epiſcoporum ordinationes & depoſitiones, aliaq; maiora negocia, uni tantum Apoſtolicæ Sedi reſeruata, ſpretis, immo ab officijs ſuis depoſitis Eccleſiaſticis, in Laicos & prophanos iudices translata decernantur. Vt interim non referam (quod eſt aliquanto abominabilius) in eum locum res eſſe per inobedientiam ſeditioſorum redactas, ut & Laici non uereantur non ſolum ſancta ſanctorum intrare, quod utriuſq; Teſtamenti authoritate prohibetur, ut in libris noſtris de Cæremonijs oſtendimus: ſed etiam ſacra tractare. Id eſt, quæ ſunt Epiſcoporum & Sacerdotum, Officia Eccleſiaſtica à Laicis uſurpata per hæreſim Luth.

dotum, aliorũq; inferiorũ ordinũ Ecclesiæ propria, officia usurpare.

Naucl. uolu. 2. generatione 36. Cronogr.

Quod & in simili prope schismate Henrico IIII. Romanũ Imperium gubernante, Laici fecerunt, qui & ipsi baptizarunt, inunxerunt, aliaq; ad sacerdotum officia pertinentia, exercuerunt.

De incommodis Factionum, Cap. VI.

Tit. Liu. li. 3. ab urb. cond.

FActionibus primũ ordines Reipub. turbãtur: quod est maximum in Repub. malum. Titus Liuius uenenum Reipub. appellat, ac subinde cuiusmodi omnino malum sit, prolixa eademq; elegantissima oratione declarat. Q. Consul, de factione Patritiorum & Plebeiorum loquens, in qua & multa non solum eiusmodi factionum, sed etiam rebellionum incõmoda (Nam & plebis cum patribus discordia, non immerito rebellio etiam uocabitur) enumerat. Discordia, inquit, ordinum, est uenenum urbis huius, patrum & plebis certamina, dum nec nobis Imperij, nec uobis libertatis est modus: dum tædet uos Patritiorum, hos Plebeiorum Magistratuum, sustulere animos. Proh Deûm fidem, quid uobis uultis? concupistis Tribunos plebis, concordiæ causa cõcessimus: Decemuiros desideratis, creari passi sumus: Decemuirorũ uos pertæsum est: abiere Magistratu, manente in eosdem priuatos ira uestra: mori atq; exulare nobilissimos uiros atq; honoratissimos, passi sumus. Tribunos plebis iterum creare uoluistis, creastis. COSS. facere uestrarum partium: & si patribus uidebamus iniquum, Patritium quoq; Magistratum plebi donum fieri uidimus, auxilium Tribunitium, prouocationẽ ad populum, scita plebis iniuncta patribus, sub titulo æquandarum legum, nostra iura oppressa, tulimus et ferimus. Qui finis erit discordiarũ? & quando unam urbem habere, & quando cõmunem hanc patriam esse licebit? Victi nos æquiore animo quiescimus, quàm uos uictores? Satis ne est uobis, uos metuendos esse? Aduersus nos Auentinum capitur, aduersus nos Sacer occupatur mons: Esquilias quidem ab hoste prope captas, & scandentẽ in aggerẽ Volscum hostem, nemo submouit: in nos uiri, in nos armati estis. Sed age libet iam factionũ incõmoda aliquot exemplis declarare. Bizantij populus in duas partes diuisus, duarũ sectarũ fuit. Quarũ altera Venetorũ: Altera Prasinorũ appellata est. Fullonia hæc nomina fuerũt: Quorum gratia in certamina descẽdentes, nihil nõ periculorũ subibãt. Denicq; ignominiosam etiam mortẽ oppetere non dedignabantur. Creditũ est hunc animi morbũ fuisse, qui omnes ciuitates & populos inuaserat. Inter hos igitur orta seditione, cũ Magistratus quosdam seditiosorum ad supplicium duxisset: reliqui conuenientes, ductos rapuerunt, & in carcerem ingressi, eos qui pari seditione, aut alia quauis turpi causa uincti erant, liberarũt: ac ministros & Satellites Magistratum sequentes, interfecerũt. Ciues, si qui boni relicti erant, in pro-

Discordia Ordinum uenenum est Reipu. Plebis iniquæ petitiones.

Procop. li. 1. de bello Pers.

ximam continentem trajicientes confugerunt. Sed & domos incenderunt seditiosi, ex quo quidem incendio Sophiæ templum, & Augustæ domus uestibulum, usq; ad domum Martis uocatam flagrarunt, ac præter hæc porticus quoq; magnæ usq; ad forum Constantini appellatum, tum domus, opesq; maximæ consumptæ &c.

Quin & eo usq; seditio processit, ut nouum sibi Regem eligerent, ut paulo ante dictum est. Similis prope fuit Guelphorum & Gibellinorum in Italia factio. Guelphis uidelicet Pontifici: Gibellinis uero Cæsari adhærentibus. Serpsit aũt hoc factionum studium adeo latè, ut nulla ciuitas, nullum oppidum, nullus populus ea labe pernitiosissima manserit intactus. Vrbs enim in urbem, prouincia in prouinciam, populi pars in alteram, nulla impellente alia, quàm harum partium causa, gessere bella. Sed nec insignia tãtum, in prælijs diuisa deferebant: sed etiam diuersi colores, terræ fructus, uestium habitus, ipse hominum incessus, digitorum concrepitus, & oris hiatus, suarum habuerunt partium significationem. Iam uero seditionibus omnibus, siue per rebellionem, siue per factionem ortis, illud commune est: ut ex ijs bella externa uel nascãtur, uel nata augeantur, atq; corroborentur: Ac discordias quidem intestinas bella externa parere, ut M. Valerius Dictator in Senatu huiusmodi oratione declarat. Sæpe, inquit, experti sunt Romani, confirmari aut bella externa, augeriq; hostium animos domesticis insidijs: adeoq; uictoriam etiam ipsis parari, pulchre coniectabant. Veientes bellum iam populo Ro. intentaturi, æternas esse opes Romanas dicebant, nisi inter se metipsi seditionibus sæuirent. tid unum uenení, eam labem ciuitatibus opulentis repertam, ut magna Imperia mortalia essent: diu sustentatum id malum partim consilijs, partim patiẽtia plebis. Iam ad extrema uenisse, duas ciuitates ex una fuisse factas, suoq; cuiq; parti Magistratus, suas leges esse: primum in delectibus sequire solitos, eosdem in bello tamen parere Ducibus, qualicunq; urbis statu manente, disciplina militari sisti potuisse. Iam non parendi Magistratibus morem, in castra quoq; Romanum militem sequi, proximo bello in acie ipsa, in ipso certamine consensu exercitus traditam ultro uictoriam uictis Equis: signa deserta, Imperatorẽ in acie relictum, iniussu in castra reditum: profecto, si insistetur, suo milite uinci Romam posse: nihil aliud opus esse, quàm indici ostendiq; bellum. Cætera sponte sua fata & Deos gesturos. Hæ spes Hetruscos armauerant multis casibus inuicem uictos uictoresq;. Hæc & innumera alia incõmoda, quæ progignunt factiones, id est, dissidia inter se ciuium in Repub. maxime uero eorũ, qui Rempub. ipsam administrant, ut recte Cicero ad Quintum Fratrẽ de factionibus sui temporis scribens, & multa quæ ad incõmoda huiusmodi discordiarũ pertinẽt, in pauca conferẽs, dixerit, τοιαῦτ' ὀλίγων μὲν πόλεμος ἐξεργάζεται, Id est, bellũ uniuersa hęc sceleratũ inuehit mala.

Naucl. uol. 2. Chronogra. generat. 42.

Bella externa per intestinas discordias. *Tit. Liuius lib. 2. ab urb. cond.*

Factiones Romam fecerunt uincibilem

Propter

Propter seditiones Respublicas, & earum statum & formam, mutari, Cap. VII.

ALterum incommodum, quo Respublica propter seditiones afficitur, est status Reipublicæ mutatio. Quæ ex illa ipsa, de qua paulo ante diximus, bonarum legum abrogatione descēdit: Vt & in libris de Hæreticis & Schismaticis ostendimus. Quemadmodum enim quælibet Respublica bonis legibus non solum fundatur, sed etiam regitur & conseruatur. Nam & leges in qualibet Republica dominantur. Bonæ quidem & recte positæ, in bona & iusta: malæ uero & iniustæ latæ, in mala & iniusta. Immo, qui legem bonã præesse iubet, uidetur iubere Deum pręesse & leges: qui aũt hominẽ iubet præesse, adiungit & bestiam. Vnde Magistratus in rebus publicis legum custodes sunt, non domini, ut inquit Aristoteles. Ita legibus bonis abrogatis, & in earũ locũ surrogatis malis, ipsa quoq; Respub. uel omnino corruat & subuertatur: uel quę bona est, in malam commutetur necesse est. Sunt aũt tres modi, quibus Respub. gubernantur: Aristoteles species siue formas rerum publicarum appellat. Monarchia siue regnum, Aristocratia, siue Optimatum potestas: & Timocratia siue Censupotestas. His contrariæ sunt, quas Aristoteles transgressiones uocat. Tyrannis, quæ est transgressio Monarchiæ, siue regni. Oligarchia, siue paucorum potentia, quę est transgressio Aristocratiæ, siue Optimatum potestatis. Democratia siue popularis, quæ est transgressio Timocratiæ, siue Censupotestatis. Ex Monarchia fit transgressio ad Tyrannidem. Quia Monarcha eorum, qui ab ipso reguntur: Tyrannus uero suum commodum consyderat. Ex Optimatum potestate, ad paucorum potentiam fit transgressio: quia qui præsunt, res ciuitatis præter dignitatẽ distribuunt, & cuncta bona sibi, uel plurima tribuunt. Vnde pauci & praui, pro paucis & ijsdem optimis dominantur. Ex Censupotestate, ad popularem fit transgressio potestatem: quia & in populo multi praui, pro multis bonis dominari uolunt. Iam & in Domestica societate, hæ formæ & earum transgressiones reperiuntur, ut idem Aristoteles docet. Societas enim patris ad filios, regni præ se fert effigiem. Nati nanq; patri sunt curæ, propter quod & Homerus Iouem patrem appellat. Ipsum nanq; regnum, imperium est suapte natura paternum. Vnde & patres in domibus suis reges appellantur, iuxta illud Homericum.

Aristot. lib. 3. pol. c. 3.

lib. 3. pol. c. 12.

Lib. 8. Æth. c. 10.

Consimiles differẽtiæ in Domestica societate.

Αὐτὰρ ἐγὼν οἴκοιο ἄναξ ἔσομ' ἠμὲν ἐόντος.

Ædibus in nostris ego Regem gessero sane.

Patris autem imperium Tyrannicum fit, quando filijs utitur ut seruis

seruis, quod olim Persæ fecerunt. Similiter Tyrannicum est Imperium domini in seruos. Nam in ipso agitur utilitas domini. Viri autem & uxoris societas, similis est Optimatum potestati. Propter dignitate nanq; uir præsidet in ijs, quæ uirum decent: Sic & quæ uxoris sunt, eadem uxori tribuuntur. Hæc potestas in paucorum potentiam conuertitur, quando uir in omnibus dominatur: Similiter quando uxores dominantur, propter amplitudinem patrimonij. Fratrum uero societas, similis est Censupotestati. Sunt enim pares præter differentiam ætatis: Quo circa si multum ætatibus differant, fraterna inter eos amicitia dissoluitur.

Ac primum quidem illud omnibus rebus publicis, in unaquaq; specie commune est, ut quandoq; per uim, quandoq; per dolum commutentur, ut scribit Aristoteles. Nam & ijsdem modis seditiones exercentur, ut supra demonstratum est. Per uim autem, statim ab initio, aut postea compellendo. Fraus duplex est. Nonnunquam enim decepti, ab initio sua demum sponte recipiunt alium gubernandi modum, quem postea uiolente conseruant. Vt accidit, quando quadraginta illi Athenienſium Rempublicam susceperunt, affirmantes, quod Persarum Rex pecunias ad bellum contra Lacedæmonios subministraret, ac in eo mentiti, nihilominus postea ui retinere gubernationem conati sunt. Interdum autem ab initio persuadentes, ac postea rursus persuasis, sponte ac uolentibus retinent gubernationem. Deinde in unaquaq; specie rerum publicarum, tam bonarum, quàm earum, quę sunt bonarum transgressiones, singulę quoq; earum ipsarum per seditiones mutationum causæ sunt. Primum igitur popularis status mutationem recipit, propter perfidiam & calumniam: Quam qui sunt Ductores in populo, in ægregios quosq; opulentosq; exercent. Siquidem hoc modo iniuria affecti, facile aduersus calumnitores & potentiores in populo conspirant, ut quibuscunq; possunt rationibus, iniuriam sibi illatam ulciscantur: Qui uoti compotes facti, mox omnem aduersariorū potentiam conterentes, totum simul popularem statū subuertunt, & interdum in paucorum potentiam, interdum in Optimatum potestatem, interdum uero in Tyrannidem commutant. Apud Heracleam potentes in populo illatis iniurijs nobilitatem expulerunt: Illi uero postea conspirantes, & in unum conuenientes, in urbem reuersi, populum oppresserunt, & paucorū potentiam constituerunt. Haud dissimilis apud Megarenses popularis status interijt. Ductores enim populi, quo pecunias per bonorum publicationem haberent, multos è nobilitate populerunt: ex qua re magna exulum multitudo facta. Exules ergo in unum conuenientes, prælio superarunt, oppressoq; populo, paucorum potentiam introduxerunt. Vetustis temporibus (ut scribit Aristoteles) quando idem erat Ductor populi et bellidux, populares Reipub.

Lib. 5. polit. c. 4.

Fraus duplex, qua mutatur forma Rei pub.

Exempla mutati status Reipublicæ.

in Tyrannidem mutabantur. Qui et antiquorum Tyrannorũ plurimos ex popularibus hominibus factos esse affirmat, ob eam nimirum causam, quod qui populum tunc ducebant, ijsdem bello gerendo præficiebantur. Sed quæ res postea mutata est, quando arte Rhetorica superueniente, ij tantum Ductores populi facti sunt, qui rerum bellicarum rudes, dicendi tantum arte ualuerũt: Imperiti autem disciplinæ militaris, Tyrannidem inuadere non audeant. Paucorum gubernationes mutantur, interdum in similem speciem, interdum in popularem, interdum in Tyrannicam potestatem: Idq; multis modis. Primus, si qui potentes sunt, multitudinẽ iniurijs afficiant, aut locupletiores, eo quod eos non honorant Magistratibus, per paucis uidelicet existentibus, qui honorificas dignitates usurpant. Homines enim ab honoribus excluſi, nouas res moliri non cessant, quoad ipſi quoq; honorẽtur. Quod Arist. in Massiliẽsibus & Istro, & apud Heracleam, & in alijs ciuitatibus accidisse scribit. Alius modus est, quo paucorũ gubernationes ex se, id est, propter factionem eorum, qui populum ducunt, mutantur. Item alius, quando prodigaliter uiuentes qui gubernant, per luxuriam patrimonia consumpserint. Optãt enim res nouas huiusmodi homines, Tyrannidemq; sibi ipsis, uel alijs affectant, quam & seditionibus aduersus diuites concitatis consequuntur: Vt Caparini, & Cleotimi exemplis comprobat Aristoteles. Quorum alter Dionysio Syracusis, alter Amphipoli seditionem in diuites mouit, quæ & Tyrannidem induxerunt. Alius modus, si qui præsunt paucorum potentiæ, Rempublicam furtis expilant. Nam uel per ipsos, qui furtum committunt, uel per eos, qui eorum furta non tolerant, seditionibus concitatis status paucorũ potentiæ in aliam formam cõmutatur. Quod Apollonię in Ponto factum esse Aristoteles cõmemorat. Fit et mutatio paucorum gubernationis in bello & in pace. In bello, ut quãdo qui Reipub. præsunt, conducto milite utuntur, ut Corinthi Tymophanes: et hęc in Tyrannidẽ mutatur. In pace, quando propter diffidentiam, quam inter se habent, conductis militibus custodiam tradunt, præficiuntq; illis aliquem uirum, qui ad neutrã partem magis inclinare uideatur. Et hæc similiter ad Tyrannidem contendit mutatio. Nam qui hoc modo præficitur, sæpe dominus fit utriusq; partis: Quod in Lariſſa accidit, item circa Samum, & apud Abydum, ut inquit Aristoteles. Sępe etiam paucorum gubernationes dissolutæ fuerunt, ob nimiam dominationem: Seditione uidelicet ex eo orta, quod quidam eiusdem gubernationis participes, huiusmodi excessum non probarunt: Vt accidit ijs, qui apud Guidum, et apud Chium per paucorum potentiam gubernarunt, ut idem ait Aristoteles. Sed et Censupotestas, quæ Respublica uocatur, & paucorũ potentia, sæpe casu mutantur. Nam in Censupotestate Magistratus à censu sumuntur, quo

Paucorum potentia.

Censupotestas.

quo mutato, ipsi quoq; Magistratus mutentur oportet. Fit autem sæpe, ut propter superuenientẽ rerum abundantiam, pacẽ uel aliam fortunę prosperitatẽ, possessiones fiant maioris precij: propter quod & census, qui ante cõstitutus fuerat, mutatur. Vnde qui ante inhabiles propter census exiguitatẽ erant, iam aucto censu, ad cunctos Reipub. gradus, dignitatesq; suscipiendas fiant habiles: propter quod et potestas ipsa, quæ à censu sumitur, & Censupotestas dicitur, cõmutatur. Iam et Aristocratia siue Optimatũ potestas, propter seditiones mutatur, quando uel pauci sunt honorũ participes, ut apud Lacedęmonios, ij qui Parthenię nuncupabantur, quos depræhendentes res nouas moliri, in Coloniã Tarentũ miserè, ut est apud Aristotelem: Vel multitudo eorũ fuerit, qui prudentes existimati fuerint, & quasi similes secundũ uirtutẽ: Vel quando aliqui inhonorantur, cum sint magni, & nihilo inferiores uirtute illis, qui honores capiunt: Vel quando uir fortis, et magni animi, non sit particeps honorũ. Quod apud Aristotelẽ Cynedon fecisse dicitur, qui coniuratione ob eam causam facta, circa tempora Agesilai Sparciatas opprimere tentauit. Præterea, cum alij paupertate nimia præmũtur, alij diuitijs abundãt, quod maxime in bellis cõtingit: Propter quod exhausti, et ob bellum pauperes facti, agros æqua portione ciuibus diuidendos esse censent, propter quas causas, ad seditiones cõcitati, ubi uictores euaserũt, potestatẽ, quę est Optimatũ, in aliam formã Reipub. transmutãt. Sed et propter iniurias, quibus qui diuitijs abundãt, si Respub. excellentiã eis tribuat, pauperiores afficiũt, seditiones cõmouẽtur: propter quas et ipsas, rerũ publicarũ formæ cõmutantur, ut Censupotestas ad popularẽ, Optimatũ potestas, ad paucorũ potentiam: uel Optimatum gubernatio in popularẽ, Censupotestas in paucorũ potentiam transmutetur. Id autem, quod modo dictũ est, in Thurijs contigit, ut scribit Aristoteles. Cũ enim agros totos ibi possedisset nobilitas, populus bello exercitatus ac potentior effectus, quàm illorum custodes, eos nobiles cõpulit, quicunq; cõtra leges tenebant agros, dimittere.

Aristocratia.

Tyrannis corrũpitur, uel per contrariam Rempub. robustiorem ab extra: uel cum in seipsis seditiones habent: uel quando qui subditi sunt, in Tyrannũ insurgunt. Sunt aũt duæ causæ, propter quas maxime insurgitur contra Tyrannos: Odium & contemptus. Odium & ira, quæ est odij particula quędã (ut inquit Aristoteles) ex cõtumelia oritur. Contemptus ex praua uita. In uoluptatibus enim uiuentes, facile contẽptui habentur, ac multas prębent occasiones opprimendi sui. Ac talem ob causam, Tarquinio Superbo Imperium abrogatum fuit, nempe ob uim atq; libidinem, & infandũ stuprũ Lucretię illatũ. Quo propter Tyrannidem exacto, simul etiam Monarchia in eam, quæ sub Consulibus fuit, Reipublicæ formam, commutata fuit.

In Tyrannos insurgitur ex odio aut cõtemptu. *Lib. 5. polit. c. 10.*

T. Liuius lib. 1. ab urb. cond.

Monarchię destructio.

Monarchia siue regnum mutatur, quando subiecti aduersus eos,

qui in Monarchia sunt, dominos insurgunt. Id autem fit, quandoq; in corpus dominantis, quandoq; in dominationem ipsam. In corpus dominantis inducuntur homines insurgere, per contumeliam, per metum, & contemptū. Dominatio ipsa corrumpitur duobus modis: Vno, si seditio oriatur inter eos, qui participes sunt regni. Alio modo, si Tyrannice gubernare pergunt, uolentes esse domini plurium, & contra legem. In regnis autem illis, in quibus succeditur per genus, corruptionis causa est, quod plærunq; contemnendi homines succedunt in regnum: & cum non habeant potentiam Tyrannicam, sed regium honorem, contumelioſe uiuunt.

De calumnioſis ſeditioſorum accuſationibus, & quæ has ipſas comitantur, crudelitatibus, Caput VIII.

l. ſi calumnietur. ff. de uerb. ſig.

VEnio ad incommoda, quibus singulares personæ propter seditiones afficiuntur. Ea sunt, Calumnia & crudelitas. Priscianus à uerbo caluor deriuatam esse putat, quod decipere significat. Iuxta illud Plauti in Casina. Vbi domi sola sum, sopor manus caluitur, hoc est, decipit et frustratur. Siue (ut Alciato placet) à uerbo caluire dicta est calūnia: metaphora sumpta à caluis, qui eos frustrantur, à quibus capillis prendendi uidētur. Est autem calumnia, per quam crimina falsa scienter innocentibus intenduntur. Lucianus calumniam definit, Vt sit delatio ementita odio, clanculū reo, calumniatori credita, delato ad respondendū ac refellendum nō admisso. Quo sanè malo, nec ullum aliud nocentius, nec formidandū magis omnibus bonis est: immo uero lernā quandam omnium fraudum malitiarum, mendaciorū, & fallaciorum, calumniam esse censeo. Illa siquidem bonos non solum iustis uirtutum præmijs defraudat, uiamq; adeo ad uirtutes, resq; præclare gerendas præcludit: sed prorsus delere & extinguere, quicquid usquā est boni conatur. Contra uero malos ita extollit, ut ad honores non alij, quàm mali & scelerati homines, sed nec ijdem tamen, nisi malorum opt, quorū scilicet uoluntatem scelere sibi deuincunt, prouehantur: Illa mendaces gratos efficit (ut inquit Isocrates) eos, qui nihil iniuriæ intulerunt, ut iniurij uideantur: Illa litigantes facit, ut peierent, ac funditus obscurent ueritatem: Illa falsam audientibus opinionem exhibet: Illa quoscunq; semel appræhenderit, iniquissime perdit. Denicq; tantum malum est calumnia, ut etiam morti à sancta scriptura præferatur. A tribus (inquit Sapiens) timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit: Delaturā ciuitatis, & collectionē populi, et calumniam mendacem, super mortem omnia grauia. Quod & idem alio loco significat

Lucianus in oratione, de non temere credendo calumniæ.

Isocrates in oratione, de retributione quæ est. 15.

Eccles. 26.

significat, dum ait. Vidi uniuersas calumnias, quæ sunt sub sole: & ecce lachrymæ eorum, qui calumnias sustinent, nec est qui consoletur eos. Et, In manibus calumniantium eos fortitudo, & non est eis consolator. Et, Laudaui mortuos super uiuentes: & melior super utrosq; , qui nondum natus est, qui nondum uidit opus malum, quod est factum sub sole. Et inter maledictiones, quæ uenient super eos, qui non custodiunt mandata Dei, illa quoq; numeratur. Omni tempore calumniã sustineas, et opprimaris uiolẽtia, nec habeas qui liberet te. Vnde Thearidas cũ gladiũ cote acueret, rogatus à quopiam, Nũ esset acutus? Acutior, inquit, calumnia: nimirũ significans, rẽ omnium rerũ nocentissimã esse calumniam, & quę hominis & animum & corpus consumat. Propter quod & Sapiens dixit. Calumnia conturbat sapientẽ, & perdet robur cordis eius. Et ita quidem cõturbat, ut ea ipsa oppressus, nõ facile mandata diuina custodire possit: Quod oratio præ se fert eius, qui in Psalmo dicit, Libera me à calumnia hominum, & custodiam mandata tua. Breuiter tantum malum est, quod omnes boni & pij homines merito reformident, & ut euitent, orare debent, exemplo eius, qui in Psalmo orat. Feci iudicium & iustitiam, non trades me calumniantibus me. Suscipe seruum tuum in bonum: non calumnientur me superbi. Porro calumnia fit in iudicio per accusationem: et extra iudicium, per quancunq; delationem. Ac de utriusq; generis calumnia, multa à nobis dicta sunt, in Libris de hæreticis & schismaticis, quæ tametsi illic ad hæreticos & schismaticos referuntur, quia tamen omnibus seditiosis communia sunt, non inepte quisquis uolet, hic quoq; ea ipsa ad prophanas seditiones poterit accommodare. Crudelitas est, qua per uiolentiam innocentes opprimuntur. Crudelitas duplicis generis est. Nam quædam calumniosam accusationem subsequitur: quædam nullo præcedente iudicio exercetur. Sed & calumniosam ipsam accusationem, merito crudelitatem dixerimus. Si enim crudelis est, qui famam suam negligit: quanto crudeliores putandi sunt, uel accusatores, qui alienam existimationem & innocentiam, per calumniosas accusationes impetunt & arrodunt: uel iudices, qui innocentes per calumniam accusatos, & crimina intentata, nec confessos nec conuictos condemnant? Quemadmodum enim ad innocentiam tuendam non sufficit crimen negasse: ita nec ad condemnandum accusatum, satis est accusasse, ut Iulianus Imperator Cephidio Oratori acerrimo, Nicanorium, ut furem accusanti, & propter documentorum inopiam his uerbis exclamanti. Nec quis florentissime Cæsar nocens esse poterit usquam, si negare suffecerit. Respondit. Et quis innocẽs esse poterit, si accusasse sufficiet? ut refert Ammianus Marcellinus. Ad primum igitur genus crudelitatis pertinent accusationes, & quę has ipsas subsequutæ sunt crudelitates, quas Equites transla-

Ecclesiast. 4.

Deut. 28.

Ecclesiast. 7.

Psalm. 118.

Ambros. in eũdem Psal. Sermone 17.

Psal. 118.

11. q. 1. nolo.

Ammian. Marcellinus. li. 18. Appianus de ciuilib. Ro. bellis lib. 1.

latis in se per Gracchanam seditionem à Senatoribus iudicijs, in ipsos Senatores uarijs ex causis, sed ijsdem tamen per calumniam consarcinatis, exercuerunt. Nec dissimilis huic fuit accusatio, quæ Metello à Glaucia & Apuleio Apuleianæ seditionis authoribus decreta fuit, cui ob id, quod in legem, quam Apuleius tulerat, iurare detrectauerat, Consules per Præconem annunciare iusserunt, igni & aqua tectoq; ab omnibus interdicendum esse. Sed & authoribus huius seditionis occisis, cum Cato atq; Pompeius rogationem, de reditu eius, totius urbis gaudio promulgassent, ne ea perficeretur, primum Marij Consulis, & Furij Tribuni plebis factionibus, & simili fere calumnia interceſſum est: Sed quam calumniam, non longo pòst tempore, manifesta uindicta insequuta est. Sequenti enim anno Caius Cornelius Tribunus, Furium ipsum hac de causa in iudicium uocauit, populus non expectato Furij responso, in conspectu omnium statim ibidem deprehensum lacerauit.

Calumnia in Metellū.

Eutropius lib. 5. rerum Ro.

Appianus lib. 1. de bellis ciui lib. Ro.

Similis propè huic calumniæ fuit accusatio in Rutilium, per eandem factionem instituta. Is adeo fidei atq; innocentiæ constantia usus, ut die sibi ab accusatoribus dicta, usq; ad cognitionem neq; capillum barbamue demiserit, neq; sordida ueste humiliue habitu suffragatores conciliarit, inimicos permulserit, iudices tentauerit: Orationē quoq;, à Prætore cōcessam, nihilo submissiore animo habuerit, cū euidenti oppugnaretur calumnia, et opinione omnium bonorum iure absoluendus putaretur, periurio iudicum condemnatus est: qui Smyrnam cōmigrans, literarum studijs contentus consenuit.

Calumnia in Rutiliū.

Eiusdem generis fuerunt accusationes, quas Marius in Syllanos, & Sylla in Marianos decreuerunt. Ac inter eos, qui à Marianis accusabantur, quidam ut calumniosa iudicia seditiosorum euitarent, mortem sibi conscíuerunt. Siquidem Merula Flamen Dialis, uenas sibi incidit: Catulus in cubiculo recens illinito & humido, carbonibus accensis sponte suffocatus est. A Sylla uero accusationes fiebant, uel in pecuniarum exactionibus, uel in alijs ministerijs, uel omnino consilij alicuius in Syllam perpetrati.

Calumniæ partiū Syllę et Marij.

In delictorum quoq; numero hospitalitates, amicitiæ, & collationes, uel dantis uel recipientis ponebantur: uel si quis promptitudinis alicuius aut contubernij in itinere deprehensus extitisset.

De crudeli-

De crudelitatibus, quæ nullo præcedente iudicio, per seditionem in innocentes exercentur,
Caput IX.

ALterum genus crudelitatum diximus, quibus nullo præcedente iudicio, innocentes per seditiones lacerantur. Quales sunt proscriptiones, exilia, publicationes bonorum, uaria genera tormentorum & suppliciorum, cædes, homicidia, sęuitia in mortuos, & si qua sunt similia. Et earum rursus aliæ per ipsos seditiosos, alię per eos, qui seditiones comprimunt, exercentur. Crudelitates in innocentes per seditiones.

Initium ciuilium bellorum, fuerunt seditiones Gracchorum, Agrarijs legibus excitatæ, ut aliquoties ante à nobis dictum est. Ac sub initium statim horum tumultuum, immensæ hominum strages factæ sunt, nec legibus & ordine potestatum, sed turbis armorumq; conflictibus, nobiles ignobilesq; necati sunt. Graccharę seditiones. *Aug. de ciui. Dei li. 3. c. 24.*

Has seditiones insequutæ sunt peiores: neq; enim studium fuit dinceps alijs Gracchorum exempla deuitare, sed magis superare fuit propositum. Lucius siquidem Saturninus Tribunus plebis, & Caius Cæsar, Seruilius Prætor, & multo post M. Drusus, multo immaniores seditiones excitarunt, quibus cædes iam tum grauissimæ, deinde socialia bella exarserunt: quibus Italia uehementer afflicta, & ad uastitatem miserabilem desertionemq; perducta est. Nam Picentes, Vestini, Marsi, Peligni, Samnites, Lucani, Druso iam interfecto, cum adhuc occultam defectionem meditarentur, C. Seruium Prætorem, Romanorum Legatum ad se missum, apud Asculum occiderũt, statimq; clausa ciuitate, omnes Romanos ciues indicta cæde iugularunt. Bellum sociale insequutum est, & ciuile: inter quæ atrocissimum fuit Marianum & Syllanum, ob talem ferè causam ortam. Marius affectauerat Septimum Consulatum, & ut ipse ad bellum Mithridaticum mitteretur. Quo Sylla cognito impatiens & pertinax, intemperataq; ira percitus, cum quatuor Legionibus primum ante urbem consedit, ibi Gradium Marij Legatum, quasi primam uictimã belli ciuilis, occidit, ut Eutropius scribit. Mox urbem cum exercitu irrupit, faces ad inflammandam urbem popolum conceſsit, in quem cum Syllanæ cohortes irruissent, magna suorum cæde diffugit. Multi etiam Mario fauentes urbe pulsi sunt, quorum & necandorum, uel ad Consules deducendorum, omnibus potestas data est: sed & bona eorum in publicum delata sunt. Aliæ seditiones immaniores. *Aug. lib. 3. de ciui. Dei. c. 26.* *Appianus lib. 1. de ciuilib. Ro. bellis.*

Pòst deinde Marius, qui per fugam elapsus, & uarijs casibus agitatus, unà cum Sertorio et Cinna, Sylla iam circa Mithridaticum *Eutropius lib. 5. rerum Ro.*

bellum occupato, eruperunt, & bellum aduersus Rempublicam instaurarunt: in quo Marius primum Coloniam Hostiensem ui ingressus, omnia ibi genera libidinis, auaritiæ & crudelitatis, exercuit. Deinde Antium & Aritiam ciuitates hostiliter irrupit, cunctosq; in his, præter proditores interfecit, bona suis diripienda permisit.

Crudelitates per Cinnam & Marium.

Post Cinna cum Legionibus, & Marius cum fugitiuis urbem ingressi, nobilissimos quosq; & plurimos è Senatu uiros Consulares interfecerunt, multos proscripserunt: Ipsius Syllæ domo euersa, filios & uxorem ad fugam compulerunt. Factæ deinde Syllanorum expulsiones, bonorum publicationes, priuationes dignitatum ac legum, reuocationes earum, quas Sylla condiderat, innumeræ factæ cædes, nec Senatorum aut Equitum delectus habitus, uniuersa Senatorum capita rostris affixerunt. Non Deorum reuerentia, aut uirorum indignatio, inuidiæue timor in his perpetrandis ullus affuit: uerum sceleribus scelera addentes, ad aspectus usi sunt nefandissimos. Quippe homines impie credentes, defunctorum

Crudelitates in occisorũ corpora.

insuper colla secuerunt, miserabilesq; aspectus ad timorem stuporemq; ac spectaculum crudele proposuerunt: Interfectorum capita in foro appensa, nulli sepulchri honos habitus, ex ijs qui interfecti fuere, auibus tantum & canibus laceranda illustrium uirorum abiecere cadauera. Illud etiam crudelitatis addidit Marius.

Appianus lib. 1. de ciuili. Rom. bellis.

Nam cum interfectorum ciuium capita illata conuiuijs, oblata Capitolijs, collata rostris ad spectaculum, ornatumq; (ut dictum est)

Eutropius lib. 5. rerum. Rom.

caput M. Antonij eximij Oratoris abscissum, cum inde sanies maderet, in ipso conuiuio manu pertractauit: insultans insuper illudensq; conuiuijs, complexusq; P. Annium, qui caput illud cruentus attulerat. Præterea in ipsius Marij oculis trucidati sunt, quibus

Aug. de ciuit. Dei li. 3. c. 27.

salutantibus dexteram porrigere noluisset.

Interea Cinna bonorum neces, malorum cæde suppleuit. Nam cum introducta fugitiuorum manus insatiabilis prædandi esset, nullamq; partem authoribus prædæ Consulibus ministraret, in

Octo millia fugitiuorum cæsa in foro.

forum quasi stipendij causa sollicitata, militibusq; circumdata, inermis extincta est. Cæsa sunt igitur in illa die in foro urbis, Octo millia fugitiuorum: post hæc residui Senatorum, qui potentiam Cinnæ, fæuitiam Marij, Sertorij audaciam, fuga euaserant, transuecti in Græciam, coëgerunt precibus Syllam, ut periclitanti,

Eutropius lib. 5. rerum Rom.

immo iam penè perditæ patriæ opem ferret. Itaq; mutatis COSS. Romæ cum Marius, Marij iam defuncti filius, ac Papirius Carbo Consulatum accepissent, Sylla aliquot prælijs, cum Marianis partibus consertis, in quibus & multa millia Marianorum cæsa sunt

Prælia cruentissima Syllę cõtra Marianos.

tandem cum omnibus copijs suis ante ipsam urbem portamq; Collinam signa contulit, grauissimoq; prælio tandem uicit. Octoginta millia hominum, ibi fusa dicuntur; Duodecim cùm millia homi-

num sese dedidere, reliquam multitudinem in fugam uersam, insatiabilis uictori ciuium ira consumpsit. Sylla mox ut urbem victor intrauit, tria millia hominum, qui se per Legatos, contra fas & fidem datam, inermes securosq; interfecit. Plurimi tunc quoq;, non solum innocentes, sed etiam ipsius Syllanæ partis occisi sunt: quos fuisse plusquam nouem millia, fertur. Ita libere per urbem percussoribus passim uagantibus, Q. Catulus palam Syllæ dixisse fertur: Cũ quibus tandem uicturi sumus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus? Fertur autem ad hunc modum Romanis in concione conuocatis, loquutus esse. Quoniam (inquit) populum meliorem in partem conuerterem, si mihi paruisset: nulli inimicorum, ad extremum usq; supplicium parcam. Verum Prætores, Quæstores, Tribunos, & quoscunq; alios, qui cum hostibus simul quippiam egerunt, summis pœnis afficiam. Quo dicto Senatores quadraginta: Equites mille & sexcentos, ad mortem condemnauit, descripsit, & præmia interfectoribus, iudicia his qui accusarent, et supplicia insuper occulentibus ascripsit: Quidã suspensi, & ad Syllam delati, ante pedes eius proiecti sunt: alij tracti uerberatiq;, ut nemine intuente, uocẽ in tantis calamitatibus ob pauorem emittere audente, in urbe tota, quem uellet Syllanus quisq; feriebat. Vnde tot funera numerari omnino non potcrãt, donec Syllæ à Furfidio suggereretur, sinendos esse aliquos uiuere, ut essent, quibus possent imperare, qui uicerant, tunc iam cohibita, quæ hac atq; hac passim furibunda ferebatur licentia iugulandi. Primus ipse infamen illam tabulam proscriptionis, cũ magna gratulatione proposuit, quæ hominum ex utroq; ordine splendido, Equestri scilicet & Senatorio, occidendorum ac proscribendorũ duo millia continebat, quos quia proscripti erant, licebat occidere: Quorum etiam bona diuidebantur, & pars Syllæ, pars percussoris fiebat. Contristabat numerus proscriptorum, sed consolabatur modus: Quia tot cadebant, tantũ erat mœroris, quantum lętitiæ. Quia cæteri non timebant, sed in quibusdam eorũ, qui mori iussi erant, etiam licet ipsa crudelis cęterorũ seueritas, genera mortium exquisita congemuit. Quendam enim sine ferro laniantium manus diripuerunt, immanius homines hominem uiuum, quàm bestiæ solent discerpere, cadauer abiectum. Hic Bebius fuit Marianus. Nam duo Bebij fuerunt, alter Syllanus: alter Marianus, & ut Syllanus à Marianis antea unco tractus, dispersis uisceribus interijt: sic Marianus eodem crudelitatis genere interemptus est, ut etiam mirum uideri possit, siue fato hoc, siue consilio factum sit, ambos eiusdem nominis Bebios, uno eodemq; etiam fati genere occubuisse. M. Marius Gratidianus, C. Marij propinquus, apud Catuli sepulchrum oculis effossis, & membris particulatim amputatis, in tantis cruciatibus diu

Inermes contra fidẽ datã occisi.

Appianꝰ lib. 1. de ciuili. Ro. bellis.

Crudelis Oratio L. Syllæ.

Aug. de ciui. Dei, li. 3. c. 28.

L. Florus li. 3. Epith. 21.

Tabula Proscriptionis Syllanæ Duo Millia continebat.

Laniatus quidã sine ferro.

Aug. lib. 3. de ciui. Dei. c. 27.

Dira occisio M. Marij.

Vindicta Syllæ in totas ciuitates.

diu uiuere, uel potius diu mori coactus est. Cum uero in singulos delationes defeciſſent, ad ciuitates ſe Sylla conuertit, eaſq; uiciſsim puniuit, aliarum arces demoliri iubendo. Quarundam mœnia ſolo æquando, aut publicam mulctam illis imponendo, aut grauioribus tributis eos affligendo, hoc fine cõcluſa ſunt duo bella funeſtiſsima, ſociale Italicum, et ciuile Syllanum. Conſumpſerunt autem ultra centum quinquaginta millium Romanorum uiros, Conſulares triginta tres, Prætorios Septem, Ædilitios Sexaginta, Senatores ducentos, abſq; innumeris totius Italiæ populis, qui ſine conſyderatione deleti ſunt, ut ſcribit Eutropius. A bello Mariano atq; Syllano, ad bella Sertorij atq; Catilinę: quorum alter à Sylla proſcriptus, alter nutritus fuerat. Inde ad Lepidi & Catuli bellum: quorum alter geſta Syllana reſcindere, alter defendere cupiebat. Inde ad Pompeij & Cæſaris: quorum Pompeius ſectator Syllę fuerat, eiuſq; potentiam uel æquauerat, uel iam etiam ſuperauerat. Cæſar autem Pompeij potentiam non ferebat, ſed quia nõn habebat, quam tamen illo uicto interfectoq; tranſcendit. Hinc ad aliũ Cæſarem, qui poſt Auguſtus appellatus eſt, peruenerunt, quo imperante, natus eſt Saluator mundi, Chriſtus. Nam & ipſe Auguſtus cum multis geſsit bella ciuilia. Ac omiſsis crudelitatibus, quas Sertorius & Catilina, Lepidus & Catulus, Cæſar & Pompeius exercuerunt: eas tantum (quantum ad inſtitutum noſtrum pertinere uidetur) enumerabimus, quas Triumuirorum, Antonij, Lepidi, & Octauij, tam concordiæ quàm diſcordiæ, ciuiles ſiue inciuiles potius pepererunt.

Eutropius lib. 6. & 7. rerum Rom.

Interempti eo bello ciuili 150. Milia ciuiũ Ro.

Alia poſt Syllam bella ciuilia.

Triumuiri, Antonius, Lepidus & Octauius.

Hij primum quidem diſcordes, deinde autem concordes facti, ac Imperium inter ſe partiti, & aduerſus interfectores Cæſaris, & eorum fautores in urbe potiti uictoria, Syllam imitati, proſcriptionis tabulas proponendas eſſe decreuerunt. In quibus Senatorij Ordinis circa trecentos, Equeſtris uero ad Duo millia, in quibus etiam fratres & patrui proſcribentium inerant: ſed & ex potentioribus ad mortem condemnarunt Decem & Septem, inter quos & Cicero fuiſſe dicitur. His deinde Centum & Triginta, & paulo poſt Centũ & Quinquaginta uirorum proſcriptiones additę, ac per uaria urbis loca prolatæ ſunt: Quorum omnium capita ad Triumuiros diffinito prȩmio deferri iuſſum.

Appianus lib. 3, de ciuili. Ro. bellis.

Eutropius lib. 7. rerum. Ro.

Horrenda lex proſcriptionis.

Erat autem lex proſcriptionis, ut nullus aliquem eorum, qui proſcripti eſſent, ſuſciperet, aut occultaret, aut aliquo præmitteret, neq; pecunijs confideret, ut uel ſaluaret aliquem, uel iuuaret, aut cum illo ſeruiret. Si quis contra legem feciſsit, nulla uenia dignus, & ipſe in proſcriptorum numerum poneretur.

Præmium de capitib. Interfectorum.

Eorum autem, qui interemptorum à ſe capita Triumuiris apportaſſent, præmium erat, libero quidem Quinq; ſupra uiginti mille drachmæ: ſerui ultra proprij libertatem corporis, decies mille drachmę

drachmæ Atticæ. Idem quoq; prẽmium iudicibus erat constitutum. Proscriptione igitur à Triumuiris ad hunc modum annotata, crudelissime in proscriptos sæuitum est.

Primum omnes urbis exitus, aut portus aut stagna, aut quodcunq; aliud, quod ad fugam suspitiosum erat, aut ad latendum per prouinciam profugis patebat, à Turmarum Ducibus obsidebatur, quibus perscrutari omnia ac discutere iniunctum fuerat: Et hæc uno impetu simul facta sunt. Fuga præclusa.

Statim igitur per omnem prouinciam ac ciuitatem, ut quisq; quod sperauerat, adeptus fuerat, hominum captiuitates plurimæ subitæq; perpetrabantur. Varij ad hæc necis modi, capitum abscisiones mercedis gratia conspiciebantur, fugæ turpissimæ, alijs puteos, alijs subterraneos specus, & immunda quæq; subeuntibus: alij subtectis tegulis operti, miro silentio latuerunt. Pœnę Proscriptorũ, qui in fuga deprehensi fuerunt.

Mulieres non minus & pueros, quàm percussores formidantes, qui non satis beneuolè se erga eos habebant: alij ad pedes seruorum suorum procidentes, cum clamore & ciulatu, eos dominos suos, & saluatores appellarunt. Quæ res eo miserior uidebatur, quod omnium spe salutis destituti, nulla misericordia ab ullo leuarentur. Nam & suos repente ex necessarijs hostes effectos esse cernebant, uel ob simultatem, uel munerum promissionem, uel ob repositum in domibus aurum & argentum. Miseria fugientium.

Infidus quippe unusquisq; in domesticos effectus erat, & propriam utilitatem beneuolentiæ eorum ante tulerat: fidi autem & beneuoli non auxilium afferre, non celare aliquem, aut cum ullo conuenire audebant, ob suppliciorũ crudelitatem. Erant qui se sponte fame conficerent, qui laqueis uitam finirent, qui se aquis immergerent, aut è tecto præcipites darent, aut igne se absumerẽt, aut iugulatoribus se offerrent. Cæterum, quid circa singulos actum, & quo genere immanitatis & crudelitatis in unumquemq; eorum, qui proscripti fuerunt, sequitum sit, præter ea, quæ iam in genere dicta sunt, ex Plutarcho, Appiano, alijsq; rerum Romanarum scriptoribus cognoscere licet: nos unum tantum ex Appiano, de nece Ciceronis hoc loco ascribemus. M. Cicero igitur, qui post C. Cęsarem potens admodum, quantum popularis Monarchia ualuit, in urbe floruit, cum filio & fratre, ac fratris filio, omnibus denicq; necessarijs eius, & Clientibus amicisq; proscriptione damnatus est. M. Ciceronis Proscriptio.

Quam autem inimici eius in eum crudelitatem exercuerint, ad hunc modum describit Appianus. Is, inquit, fugiens paruam ingressus ratem, maris tempestate deterritus, ad proprios agros, quos ob hist oriæ huius passionem uidisse memini, circa Capuam, Italiæ urbem delatus est. Tacite igitur accedentibus his, qui illum inquirebant, quippe præ cæteris ambitiosissime hunc uirum efflagitabat

Antonius,

Antonius, & Antonij causa, quàm plurimi corui aduolantes, obstrepere cœperunt, eundem è somno excitantes, uestem quoq; rostris eo usq; attraxere è quiescentis copore, quo ad serui id signum à Deo missum arbitrati, lectica impositum, iterum ad mare per profundam syluam occulto calle detulere. Multis per partes accurrentibus, interrogantibusq;, sicubi Cicero appareret: obuij ob beneuolentiam misericordiamq;, nihil nisi ablatum fuisse referebāt.

Lęna, Interfector Ciceronis.

Verum Cerdo quidam Clodij Clientulus, Ciceronis acerbissimi hostis, Lænę Turmarum Duci, cum paucis asistenti, callem indicat. Quo cognito, insequitur ille, et Ciceronis seruos longe plures, quàm quos ipse deduceret, auxilio adesse cernens, militariter admodum cœpit exclamare. Ea uoce qui in agris aderant postremi Turmarum Duces aduolant, quos intuentes Ciceronis serui, quàm plurimis accedentibus territi, cesserunt. Læna uerò qui propriam causam Ciceronis patrocinio tutatus, pœnam effugerat, caput è lectica primus extulit, simulq; præcidit, tribus feriens, secansq; uulneribus obinexperientiam. Abscidit & dexteram, qua orationes illas luculentissimas in Antonium, ueluti Tyrannum exarauit, ad Demosthenis in Philippum ęditarum similitudinem. Quo facto, nonnulli in equis, quidam nauibus præuecti sunt, ut hæc Antonio primi nunciarent.

Præmium Lænæ ab Antonio datum.

Læna sedenti in foro Antonio, caput manumq; Ciceronis à longe protulit, ostenditq;. Qua ex re exhileratus, Ducem coronauit, adornauitq; donis, ducentis scilicet, & quinquaginta millibus Drachmis Atticis, quod maximum & pugnacissimum inimicorum olim eius occidisset. Caput manusq; Ciceronis, in foro ante tribunal per spatium temporis pependere, quo in loco & ipse prius orare solitus. Ad id spectaculum multi audientes, uisendi causa conuenere. Ferunt & in die Antonium Ciceronis caput in mensa tenuisse, deinde saciatum animo, ab hoc nefando spectaculo abstinuisse. In hunc modum Cicero eloquentia admirabilis, præter cæteros in hanc ætatem usq;, & qui Consularem dignitatem obtinuerat, in maximis patriæ suæ utilis, extinctus, ab hostibus contumelijs affectus est.

Appianus & Plutarchus diuersi de Occisore Cic.

Paulo diuersius eandem historiam narrat Plutarchus. Nam proditorem illum ac callis indicem, quem Appianus Cerdonem, & Clodij Clientulum fuisse scribit: Plutarchus Philologum Q. fratris libertum fuisse ait: Eum uidelicet, quem Cicero studijs liberalibus erudierat. Lænam uero, quem Turmarum Ducem fuisse asserit Appianus, Plutarchus nō Lęnā, sed Popilium, et eundē Tribunum militem fuisse tradit: eum uidelicet, qui iamdudum parricidij reus, opera Ciceronis, qui causam suscęperat, defensus, iudicia euasit. Sed nec Læna caput Ciceronis præcidit: sed Herennius Centurio, qui per demonstratam semitam accelerans, illum consequutus est, ubi Cicero percussores imminere cognoscens, suis uti lecticam sisterent imperauit.

imperauit. Inde ceu persæpe consueuerat, cum genam sinistræ imposuisset, immotis oculis percussores prospiciens, iugulum apparat. Quod Herennius poscens crine nudum & extra lecticam uulneribus prolatum, quia tunc Sexagesimum quartum ætatis egit annum, caput & manus eius iussu Antonij præcidit. Antonius autem ea accipiens, ingenti uoce proclamauit. Sic habeant finem Proscriptiones. Sic igitur disertus ille artifex regendæ Reipublicæ Cicero, qui Augusto fauit, ut eius potentia cõtra Antonium nutriretur, sperans eũ depulsa & oppressa Antonij dominatione, instauraturũ Reipublicæ libertatem, ab eodem Augusto, cuius dignitatem & potestatem fouebat, Antonio, quadam quasi concordiæ pactione, occidendus permissus est: nec libertatem ille Reipublicę, pro qua multum clamauerat, instaurauit, sed ditioni potius propriæ subiugauit. *Aug. lib. 3. de ciui. Dei. c. 30.*

Alterum genus crudelitatum eorum esse diximus, qui seditiones comprimunt. Cuius multa quidem exempla commemorare possem: Sed quoniam hęc Historiarum studiosis passim obuia sunt, nihil est, ut pluribus Lectorem suspendam. Nam satis diu his rebus immoratus, ad alia mihi properandum uideo: unum tantum, ne nihil de hoc genere dicere uidear, affero. Lucius Opimius Consul, qui aduersum alterum Gracchum intra urbem arma commouerat, iam eò cum sociis oppresso & extincto, ingentem ciuium stragem fecit. Cunctq; quæstionem haberet, iam iudiciaria inquisitione cæteros persequens, tria millia occidisse perhibetur. Vindicta in seditiosos. *Aug. de ciui. Dei li. 3. c. 24.*

Ex quo intelligi potest, quanta sæuitia fuerit seditiosorum, quando etiam uictoria contra seditiosos obtenta, tanta multitudo hominum, non solum in turbido ipso armorum strepitu, sed etiam iudiciorum, uelut examinata cognitione precedente interierunt. Sunt & qui ad hoc genus postremũ Syllæ bellum, quod aduersus utrunq; Marium patrem & filium gesit, referant, ut per quem oppressa iam à Mario patria, pristinæ libertati restituta fuerit. At quam crudelissimè, non in hostes tantũ, sed in amicos etiam sæuierit Sylla, paulo ante declaratum est: Vt recte de ea uindicta, seu sæuitia potius, Lucanus Poëta dixerit. *Lib. 2.*

Sylla quoq; immensis accessit cladibus ultor,
Ille quoq; exiguum restabat sanguinis urbi,
Hausit, dumq; nimis iam putrida membra recidit,
Excessit medicina modum, nimiumq; sequuta est,
Qua morbi duxere manus, periere nocentes,
Sed cum iam soli possent superesse nocentes,
Tunc data libertas odijs resolutaq; legum
Frenis ira ruit.

Seditionem nasci ex seditione, Caput X.

INter incommoda seditionum, illud non minimum est, quod una seditio parit aliam. Est enim eius natura seditio, ut ubi semel corpus Reipublicæ inuaserit, quasi repente ad singula etiam intima membra penetret, & nisi radicitus extirpata fuerit, non solum breui tempore repullulet, sed etiam alias ex se seditiones progignet.

Seditio seditionem parit.

Sic secessio plebis, Tribunitiam potestatem patribus ui extorsit, quod ius Cn. Mattio, qui Coriolani cognomen habuit, per occasionem diuidendæ Annonæ, denuo patribus recuperare conante, excitata alia seditio est: Quam uix tandem Coriolano in exilium acto, cohibuit atq; sedauit Senatus. Sed eam maius malum insequutum est: Nempe Coriolanus in exilio apud Volscos degens, iniuriæ memor, bellum Romanis intulit, quod una mater Veturia extinxit.

T. Liuius. lib. 2. ab urb. cond. Valerius lib. 2. c. 2.

Sic Gracchanæ seditiones initium quidem fuerunt in urbe Roma ciuilis sanguinis, gladiorumq; impunitatis. Inde ius ui obrutum potentiorq; habitus prior, discordiæq; ciuium, antea conditionibus sanari solitę, ferro dijudicatę, bellaq; non causis inita, sed pro ut eo ij merces fuit. Ex Gracchanis igitur seditionibus, Apuleiana, Druſiana,

L. Florus lib. 3.

Lib 2. de Hæreticis & schis.

Lib. 2. Historiæ Ro.

Sic & ex hæresibus hæreses, ex schismatibus schismata enascuntur: ut aliàs à nobis abunde demonstratum est. Nec id sane mirum: non enim ibi consistunt exempla, ut inquit Velleius Paterculus, unde cœperunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissime euagandi sibi uiam faciunt; & ubi semel recto deerratum est, in præceps peruenitur, nec quisquam putat turpe, quod alij fuit fructuosum.

DE SEDITIONIBVS

LIBER QVARTVS: QVI EST DE REMEDIIS, QVIBVS SEDITIONES COMPRIMVNTVR.

Ad quorum officium pertineat, sedare seditiones, Cap. I.



VPER EST *pars ultima instituti* operis huius de seditionibus, quæ remedia continet, quibus seditionum motus, in Republica comprimuntur.

In qua re duo spectanda sunt: Persona tam eorum, qui medentur, quàm eorum, quibus remedia adhibentur: et Ratio medendi. Primum igitur, si magnam apud omnes laudem & gloriã merentur, qui patriam ab iniuria hostium fortiter dimicantes defendunt: quanto magis laudandi sunt, qui ciuiles & intestinas discordias in Repub. sanant? Quod pulchre apud Platonẽ cõfirmare uidetur hospes Athenien sis, qui citato quodã Tirtęi Poẽtę carmine, primũ summis laudibus effert eos, qui optime se gerũt in bello. Deinde duo belli genera statuens: Alterũ, quod seditionem appellamus, grauissimum sanè, ut quod nemo in sua ciuitate esse uelit: et si accidat, quam ocyus fieri potest, sedari cupiat. Alterũ uero belli genus, multo mitius illo, quo aduersus externos & alienigenas utimur. Claros quidẽ eos esse ait, qui externa magno animo bella gerunt. At longè clarissimos, qui maximo in bello, id est, in seditione præstant: Theognis Poẽtę testimoniũ subinde citans, qui ait: Fidelem uirũ omni argento atq; auro in seditione meliorẽ. Etsi aũt æquo iure tam Magistratus quàm subditi, Rempub. à seditionũ incõmodis custodire, et si quibus premitur, ab ijsdẽ etiam liberare teneãtur: tamen singulariter ad officiũ eorũ, qui præsunt rebus publicis, pertinet, ut pacatæ et quietæ prouinciæ sint, quas regunt. Quod tũ facile obtinent, si sollicite id agant, ut malis & seditiosis hominibus prouincię careant, eosq; conquirant, & ut quisq; deliquerit, in eum animaduertant. Sic ad Præfecti urbis curam olim pertinebat quies popularium, qui & dispositos milites stationarios habebat, ad tuendam popularium quietem, & ad referendũ sibi quid ubiq; ageretur. Veteres Irenarchas uocarunt: quia ad tollendas discordias, & pacandos ciuium animos, in

Laudandi plurimum sunt sedatores seditionum.

Plato lib. 1. de legib.

Duo belli genera.

l. congruit. ff. de off. præsid. l. 1. §. quies quoq; ff. de off. præfect. urb.

ciuitate præficiebantur, ἀπὸ τοῦ εἰρήνη, id est, à pace & concordia dicti. Idem etiam cognoscunt, quoties de finibus certatur, quanquam Martianus generaliter Irenarchas uocat, qui disciplinæ publicæ, & corrigendis moribus præficiuntur. Sed & in prouincijs Irenarchę iudicio præsidum, à Decurionibus nominabantur, qui ad prouinciarum tutelam, quietis & pacis per singula territoria faciebant stare concordiam. Alibi Seruatores loci, Hiocolitæ, & latronum expulsores appellantur. Ac inter cætera illud quoq; ad Irenarcharum officium pertinet, ut cum apprehenderint latrones, interrogent eos de socijs & receptatoribus, & interrogationes literis inclusas atq; obsignatas, ad cognitionem Magistratus mittant. Nec condemnatus intelligitur, qui cum eo elogio missus, uel etiam per Irenarcham perductus fuerit, sed quasi re integra quæratur, si quis erit, qui eum arguat. Et ideo si quis ἀνάκρισιν faceret, iuberi oportet uenire Irenarcham, & quod scripserit exequi. Et si diligenter & fideliter hoc fecerit, collaudandum eum: si uero parum prudenter non exquisitis argumentis, simpliciter denotare Irenarcham, minus retulisse, sed & si quid maligne interrogasse, aut non dicta retulisse pro dictis, eum compererit, ut uindicet in exemplo, ne quid aliud postea tale facere moliatur.

l. unica. C. de Irenarchis lib. 12. In Aut. ut nulli iud. §. 1. & in Aut. de mãd. Princip. l. diuus §. 1. ff. de custod. reorum.

Vide Alciatũ lib. 2. Prætermissarum. l. munerũ. § Irenarchæ ff. de mu. & honorib.

Iam & Principum Constitutionibus Irenarcharum officium, omnibus prouinciarum Rectoribus, & rerum publicarum administratoribus iniungitur. Sicut Iustinianus Imperator ad Tribunianum, quæstorem sacri Pallatij & exquæstorem, ea de re referibens. Conueniens, inquit, est, te prouidere, ut nulli populi ciuitatum alterutri seditiones faciant, sed omnem pacem esse Dei ciuitatibus, dum æquitas etiam hinc nostris subiectis seruatur, & neq; lucri, neq; passionis alicuius causa ad aliquam partium declinatur.

In Aut. de mãd Princip. § deinde coll. 3.

Bal. l. in l. nullus C. de summa Trinitate.

Eodem pertinet Constitutio illa Friderici Imperatoris de pace tenenda, qua iudicũ quoq; & defensorum locorũ, & quorunq; aliorum Magistratuũ, curæ & officio imponitur, ut id agant sollicite, ut huiusmodi pax ab omnibus eorũ curæ subiectis fideliter custodiatur. Quin & pœna eidem legi adijcitur, ut si qui iustitiam facere, & pacem uiolatam legitime uindicare neglexerint, damnum omne iniuriam passo resarcire compellantur. Et insuper, si maior iudex sit, sacro ærario pœnam decem librarum auri præstet: minor autem pœna trium librarum auri mulctetur. Qui uero ad prædictam pœnam persoluendam inopia dinoscetur laborare, is corporis sui correctionem cum uerberibus patiatur, & procul ab eo loco, quem inhabitat, quinquaginta milliaria per quinquennĩ uitã agat.

Pœna in Irenarchas negligẽtes.

Idem quoq; Canonicis Constitutionibus cautum est, qualis est illa Alexandri Papæ I. & altera huic haud dissimilis Antheri Papæ. Hęc dicit Dominus (inquit Alexãder) iudicate mane iudiciũ, & ante

Epistola 2. Hier. 2.

eruitet

eruite ui oppreſſum de manu calumniantis, ne forte egrediatur quaſi ignis indignatio mea, et ſuccendatur: et non ſit qui extinguat. Vos ergo, qui in ſumma ſpecula à Domino cõſtituti eſtis, attendere eos et opprimere oportet, qui in fratres ſeditiones et ſcandala excitant, ne ſimul cum eis pereatis. De ſchiſmaticis uero, Regulis ſanctorum Patrum ſpecialiter conſtitutum eſt, ut qui ſchiſma fecerit, aut proprium altare erexerit, primum quidem excommunicetur, & ſi excommunicatione contempta, nihilominus diuiſiones & ſchiſmata facere perrexerit, per poteſtates publicas opprimatur. Quæ Regulæ Principum quoq; Conſtitutionibus confirmantur. Sic enim de eadem re Fridericus Imperator conſtituit. Statuimus, inquit, hoc Edicto perpetuo ualituro, ut Poteſtas, Conſules ſeu Rectores, quibuſcunq; fungantur officijs, pro defenſione fidei præſtent publicè iuramentum, quod de terris ſuæ Iuriſdictioni ſubiectis, uniuerſos hæreticos ab Eccleſia denotatos, bona fide pro uiribus exterminare ſtudebunt: Ita quodammodo quicunq; fuerit, qui in poteſtatem, ſiue perpetuam, ſiue temporalem, aſſumptus, hoc teneatur Capitulum iuramento firmare: alioqui nec pro poteſtatibus, nec pro Conſulibus habeantur, & eorum ſententias irritas extunc decernimus & inanes. Si uero Dominus temporalis requiſitus & admonitus ab Eccleſia, terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica prauitate, poſt annum à tempore admonitionis elapſum, terram illius exponimus Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis, abſq; ulla contradictione poſsideant, & in fidei pietate conſeruent, ſaluo iure domini principalis: Dummodo ſuper hoc nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod aliud impedimentum apponat. Eadem nihilominus ſeruata lege, contra eos, qui non habent dominos principales.

Pœna in Authores ſchiſmatũ.

De ſtatutis & conſue. contra lib. Eccl. §. Statuimus.

Quales eſſe debeant Irenarchæ, quibus ſeditionum componendarum cura iniungitur, Cap. II.

QVemadmodum autem qui præſunt publicis adminiſtrationibus, iuſti debent eſſe, prudentes, & boni uiri, tum multo etiam rerum uſu exercitati: Ita & qui componendarũ ſeditionum negocium aggrediuntur, primum omnium uirtutibus præditi, ideſt, iuſti, prudentes, fortes & temperantes eſſe debent. Nemo enim integer & fidelis, ſine omnium uirtutum numero in ſeditionibus reperiri poterit, ut inquit Plato. Sed et eloquentem eſſe oportet, cuius officio atq; curæ incumbit, diſcordantium animos ad amicitiam & pacem reuocare. Eſt enim eloquentia tum omnibus, qui Reſpublicas adminiſtrant; tum uero ijs, qui ad ſedandas diſcordias,

Plato lib. 1. de legib.

Vt Irenarcha ſit eloquens.

& conciliandam inter dissidentes ciues pacem destinati sunt, non solum utilis, sed etiam necessaria. Propter quod & Reges olim (ut scribit Plutarchus) tametsi sceptris, & purpura nobiles, satellitibus constipati, deorum demum oraculis inflati & tumidi, uulgus deterritare soliti, ac sibi subijcere: Volebant tamen uerborum Oratores effici, gratiamq; dicendi nequaquam aspernabantur. Conciones, in quibus clari solent effici uiri, non negligebantur, nec Iouem duntaxat consilij præsidem obseruabant, bellicosumq; Martem, aut militarem Mineruam: Sed Calliopen quoq; uenerabantur, quæ Regibus ueneranda comes accedit, ferociam atq; duriciam uulgi suadela leniens atq; pudore. Homo certe priuatus de ueste atq; habitu popularí ciuitatem regere, uoluntatem populi præualere, multitudinis moribus modum facere non poterit, nisi oratione & eloquentia præditus sit, quæ unà suadeat, afficiat, flectat, ducatq; multitudinem.

Plutarchus in Politicis.

Calliope Musa Irenarchæ necessaria est.

Boni mores eloquētię coniuncti ualent.

Non igitur mores dicentis tantum sunt, qui persuadeant, nec sola oratio. Re enim uera utrunq; est, quod rem efficit, mores nimirum atq; oratio: Quemadmodum nauis non solum à gubernatore, sed etiam à Clauo: & equus non solum ab equite, sed etiam à freno in gyrum uersatur. Qui igitur & uirtutibus simul, & eloquentia clari & potentes sunt, hos ego omnium maxime ad sedandas seditiones idoneos esse existimo. Cuius uelut effigiem Poëta his carminibus depingit.

Virg. lib. 1. Æneidos.

Ac ueluti magno in populo cum sæpe coorta est
Seditio, sæuitq; animis ignobile uulgus,
Iamq; faces & saxa uolant, furor arma ministrat.
Tum pietate grauem, ac meritis si forte uirum quem,
Conspexere, silent, arrectisq; auribus astant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Sedatores seditionum populi.

M. Cicero in Bruto, de clar. Orat.

Cicero inter summos Oratores ingentibus eos laudibus effert, qui dicendo ciuiles discordias compresserunt. Qualis fuit M. Valerius Dictator, qui paucis annis post Reges exactos, cum plebs prope ripam Anienis ad tertium milliarium consedisset, eumq; montem, qui Sacer appellatus est, occupauisset, oratione discordias sedauit. Ob quam rem & honores ei habiti amplissimi, proter quod & primus Maximus est appellatus. Ex eadem causa, M. Popilius laudatur, qui cum Consul esset, eodemq; tempore sacrificium publicum cū Læna faceret (ea fuit uestis militaris, uillorum crassitudine calefaciens Chlamidem) quod erat flamen Carmentalis, plebis contra Patres concitatione, & seditione nunciata, ut erat Læna amictus, ita uenit in concionem, seditionemq; cum authoritate, tum oratione sedauit.

M. Popilij

Similem

Similem laudem Scipio, & plæriq; alij meriti sunt, quorum & ipsorum orationibus magnæ seditiones compositæ sunt, quos hic non est locus omnes commemorare. T. Liuius, lib. 8. secundi belli Punici.

Neq; uero satis est, iustum, prudentem & eloquentem esse, cuius opera componenda seditio est: sed talis etiam à seditiosis ipsis, quorum animos prudentia & oratione sua leniendos suscipit, existimari & haberi debet. Plurimum enim momenti in rebus publicis, prudentiæ & probitatis opinio possidet. Nam oratio quantumlibet salutaris & bona, si à malo proferatur, uel authoris odio displiceat solet, nec quantum per se meretur, tantum ponderis & authoritatis habet. Ex qua causa cũ Lacedæmone Demosthenes quidam in Senatu author fuisset sententiæ salutaris, & rei de qua agebatur idoneæ, non fuisset ea quantumlibet bona sententia, uel unius authoris odio à Senatu approbata, nisi Ephori alium ex senioribus delegissent. Qui negocio sententiæ dicendæ sibi demandato, eandem pronunciasset: rati hoc modo gratiorem, & multitudini acceptiorem fore, quæ à bono & syncero, quàm quæ à malo, absoleto, & sordido uase, & ad transfundendam rem salutarem minus bene imbuto, sed absoleto & sordido, prodijsset. Irenarchã bonæ opinionis esse oportet apud populum. Vide Gellium in noctibus Atticis li. 18. c. 3.

Sed & grati sint seditiosis oportet, per quos seditiones sedari debent. Nam quibus infensi sunt, eorum uerba ægerrime audiunt, ne dum consilijs non acquiescunt. Qua ratione seditione & rebellione subditorum aduersus dominos suos orta, non ipsi domini, sed Legati seditiosis ipsis grati & accepti, facilius seditionem component. Sic plebis seditione aduersus Senatum Romanum & Patres commota, cum tres Legati Consulares, C. Iulius, P. Sulpitius, SP. Tarpeius, ad seditiosos fuissent missi: Qui Senatus uerbis quę-rerent, cuius iussu castra deseruissent, aut quid sibi uellent, qui armati Auentinum obsedissent, belloq; auerso ab hostibus patriam suam cepissent: à multitudine conclamatum est. Vt L. Valerium, & M. Horatium ad se mitterent, his se daturos responsum. Non alia prudentiam cognitam, fidemq; minus suspectam habebant, quàm quorum rum eis fastus & potentia inuisa erat, respondere, eorumq; consilia sequi maluerunt. T. Liuius li. 3. ab urb. cond.

Iam uero quod ad personas eorum attinet, qui à seditionum morbis liberandi sunt, alia multitudini, aliâ singulis personis, alia item seditionum authoribus & magistris, alia ijs, qui seducti fuerint atq; decepti: Alia uiris, alia fœminis, alia iuuenibus, alia ętate prouectis, remedia adhibebuntur. De quibus omnibus posthac prolixius, & ordine quidem dicemus. Habendã esse rationẽ personarũ.

De diuino auxilio, in tribulationibus seditionum implorando, Cap. III.

DIctum est de personis eorum, qui seditionum incommodis medentur: Sequitur iam, ut de remedijs seditionum dicatnus. Remedia seditionum duplicia sunt: Diuina & Humana. Diuinũ est, quod à solo Deo prestatur, nimirũ bonitas illa & clementia diuina, qua Deus in tribulationibus succurrit eis, qui inuocãt nomen eius. Sanè hoc remedio nihil efficacius, nihil præsentius, nihil magis salutare. Siquidem nunquam deest diuina misericordia ijs, qui sperantes in Dominum, inuocant nomen eius. Quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est? Aut quis inuocauit illum, & despexit eum? Quoniam pius & misericors est Deus, & remittit in die tribulationis peccata, & protector est omnibus exquirentibus se in ueritate. Ac uniuersale quidem illud remedium est, ad quod in omnibus tribulationibus recurrendum est: Sed quod omnium maxime in tribulationibus seditionum & bellorum iuuat, ipso Domino ita per Prophetam permittente, & dicente, In tribulatione inuocasti me, & liberaui te: Exaudiui te in abscondito tempestatis: Probaui te apud aquam contradictionis.

Adiutor in tribulationibus Deus.

Ecclꝛ. 2.

Psalm. 80.

Siue enim hoc de tribulatione & tempestate conscientiæ intelligamus, quæ est bellum illud internum, & omnium grauissimum, quo concupiscentia rationi, & caro spiritui rebellant: præsens est & salutare illud remedium. In tribulatione inuocasti me, & liberaui te, &c. Siue de tribulatione, qua ab internis & domesticis hostibus præmimur, accipiamus: idem remedium à Domino expecta. Inuoca ipsum in tribulatione, & liberabit te. Nam & de illis cum sacro Psalte dicere potes. Si inimicus meus male dixisset mihi, sustinuissem utiq; : & si is, qui oderat me, magna loquutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu uero homo unanimis, dux meus & notus meus, qui simul dulces mecum capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu. Veniat mors super illos, & descendant in Infernum uiuentes. Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum. Ego autem ad Dominum clamaui, & Dominus saluauit me. Siue ab externis hostibus tribularis, si Dominum inuocaueris, liberabit te: Exaudiet te in abscondito tempestatis: Probabit te apud aquam contradictionis.

Duplex Tribulatio Interna & Externa.

Psalm. 54.

Quin & sancti Dei homines, non solum sæpe summi huius medici opem implorarunt, sed etiam ipsius remedio in tribulationibus adiutos se esse testantur. Tu es refugium meum, inquit Psaltes, à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea, erue me à circumdantibus me. Et iterum. Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia

Exauditor Deus in tribulationibus.

Psalm. 31.

Psalm. 68.

misericordia tua. Secundum multitudinem miserationum tuarum respice me: Et ne auertas faciem tuam à puero tuo. Quoniam tribulor, uelociter exaudi me. Intende animæ meæ, & libera eam, propter inimicos meos eripe me. Item. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te ueniat. Non auertas faciem tuam à me: in quacunq; die inuocauero te, uelociter exaudi me. His & similibus medici opem à se imploratam testatur Propheta. Opem uero sibi latam esse, ad hunc modum clamat. De tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine. Dominus mihi adiutor, non timebo quid mihi faciat homo. Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos. Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in Principibus. Omnes gentes circuierunt me, & in nomine Domini, quia ultus sum in eos. Impulsus euersus sum, ut caderem: & Dominus suscepit me. Fortitudo & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Item. In tribulatione inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui, & exaudiuit de templo sancto suo uocem meam. Et clamor meus in conspectu eius, introiuit in aures eius.

Psalm. 101.

Psalm. 117.

Psalm. 17.

Porro diuinum hoc Remedium duabus maxime rebus comparatur: Pœnitentia, & Oratione. Orationem adiuuat ieiunium & eleemosyna, iuxta quod Angelus ad Thobiam dixit. Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quàm Thesauros auri reconderc. Ac ad Pœnitentiam quidem impetrandam, hoc diuinum remedium non solum utile, sed etiã necessarium esse, Dominus apud Prophetã admonet. Si Pœnitentiam, inquit, egerit gens illa, à malo suo, quod loquutus sum aduersus eam: agam & ego Pœnitentiam super malo, quod cogitaui ut facerem ei. Et subito loquar de gente & de regno, ut ædificem & plantẽ illud. Si malum fecerit in oculis meis, ut non audiat uocẽ meam: Pœnitentiam agam super bono, quod loquutus sum, ut facerem ei, &c. Orationem uerò omnium maxime ad impetrandũ, quod dixi, remediũ clementiæ & misericordiæ diuinæ efficacem esse, idem Dominus innuit, dicens. Petite, et dabitur uobis: quærite, & inuenietis. Pulsate, et aperietur uobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti, aperietur. Atq; ad hũc sane modũ sancta mulier Iudith, diuino hoc remedio usa, populũ ab obsidione Holofernis liberauit. Holoferne siquidem Bethuliam ciuitatem obsidente, populum ciuitatem eidem, intra quinq; dies tradere uolentẽ, ad Pœnitentiam & Orationẽ adhortata est, his uerbis. Posuistis uos tempus miserationis Domini, & in arbitrium uestrũ diem cõstituistis ei. Sed quia patiẽs Dominus est, in hoc ipso pœniteamus, & indulgentiã eius fusis lachrymis postulemus. Non enim quasi homo, sic Deus cõminabitur, neq; sicut filius hominis ad iracundiam inflãmabitur. Et ideo humiliemus illi animas nostras, et in spiritu contriti

Remedium in Tribulatione comparatur Pœnitentia & Oratione.

Thob. 12.

Hier. 18.

Matth. 7.

Exemplum de Oratione Iudith in Tribulatione obsidionis.

Iudith. c. 8.

triti humiliato, seruientes illi, dicamus flentes Domino, ut secundum uoluntatẽ suam faciat nobiscũ misericordiam suam, ut sicut cõturbatum est cor nostrũ in superbia eorũ, ita etiã de nostra humilitate gloriemur. Quoniam non sumus sequuti peccata patrũ nostrorũ, qui dereliquerũt Deũ suũ, et adorauerũt Deos alienos: pro quo scelere dati sunt in gladiũ, & in rapinã, et in confusionẽ, inimicis suis. Nos aũt alterũ Deũ nescimus, prẽter ipsum. Expectemus humiles consolationẽ eius, & exquiret sanguinem nostrũ de afflictionibus inimicorũ nostrorum: & humiliabit omnes gentes, quæcũq; insurgũt contra nos, et faciet illas sine honore Dominus Deus noster. Et nũc fratres, quoniam uos qui estis Presbyteri in populo Dei, & ex uobis pendet anima illorũ, ad eloquium uestrũ corda eorũ erigite, ut memores sint, quia tentati sunt Patres nostri, ut probarentur, si uere colerẽt Deum suum. Memores esse debẽt, quomodo pater noster Abrahã tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Iacob, sic Moyses, & omnes qui placuerũt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Illi autem, qui tentationes suas non susceperunt cum timore Domini, & impatientiam suam, & improperium murmurationis suę, cõtra Dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore, & à serpentibus perierunt. Et nos ergo non ulciscamur nos pro his quæ patimur, sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse flagella Domini, quasi serui qui corripimur, ad emendationem, & non ad perditionem nostram euenisse credamus. Deinde & ipsa Oratorium suum ingressa, cilicio se induit, & cinerem super caput suum posuit, & prosternens se Domino, longam quidem orationem habuit, quam his tandem uerbis concluſit. Non in multitudine est uirtus tua Domine, neq; in equorum uiribus uoluntas tua est, nec superbi ab initio placuerunt tibi, sed humilium, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio: Deus cœlorum, creator aquarum, & Dominus totius creaturæ, exaudi me miseram deprecantem, & de tua misericordia præsumentem, &c. Eodem remedio usa Hester, & ipsa populum Iudæorum ab insidijs Aman, & Tyrannide Artaxerxis Regis liberauit. Sic enim Dominum Deum Israël deprecata est. Domine mi, qui Rex noster es solus, adiuua me solitariam, & cuius præter te nullus est auxiliator alius. Periculum meum in manibus meis est. Audiui à patre meo, quod tu Domine tulisses Israël de cunctis gentibus, & patres nostros ex omnibus retro maioribus suis, ut possideres hæreditatem sempiternam, feciſtiq; eis sicut locutus es. Peccauimus in conspectu tuo, & idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum: coluimus enim Deos eorum. Iustus es Domine. Et nunc non eis sufficit, quod durissima nos opprimunt seruitute: sed robur manuum suarum, Idolorum potentiæ deputantes, uolunt tua mutare promissa,

Iudith, c. 9.

Hester 14.

Exemplum Hester in tribulatione maxima constitutæ.

promissa,& delere hæreditatẽ tuam, & claudere ora laudantium te, atq; extinguere gloriã templi & altaris tui,ut aperiant ora gentium, & laudent Idolorũ fortitudinẽ,& prędicent carnalem regem in sempiternũ. Ne tradas Domine sceptrũ tuũ his,qui non sunt,ne rideant ad ruinam nostrã:sed conuerte consilium eorũ super eos,& eũ,qui in nos cœpit sęuire,disperde. Memento Domine,& ostẽde te nobis in tempore tribulationis nostræ, & da mihi fidutiã Domine rex Deorũ,et uniuersę potestatis:tribue sermonẽ cõpositũ in ore meo,in conspectu leonis, & transfer cor illius in odium hostis nostri, ut & ipse pereat, & cæteri qui ei consentiunt. Deus fortis super omnes,exaudi uocem eorũ,qui nullã aliam spem habent, & libera nos de manu inimicorũ,et erue me à timore meo. Sic Azarias unus ex tribus pueris, qui aperiens os suum in medio ignis, dixit. Benedictus es Domine Patrum nostrorũ, & laudabile & glorioſum nomen tuũ in sęcula: Quia iustus es in omnib9,quę fecisti nobis,et uniuersa opera tua uera,& uię tuę rectę,et omnia iudicia tua uera. Iudicia enim uera fecisti, iuxta omnia quę induxisti super nos,& super ciuitatẽ sanctã Patrum nostrorũ Hierusalem: Quia in ueritate & in iudicio induxisti omnia hęc propter peccata nostra. Peccauim9 enim,et iniquè egimus recedẽtes à te,et deliquimus in omnib9,et pręcepta tua nõ audiuimus, neq; obseruauimus,nec fecim9 sicut pręceperas nobis,ut bene nobis esset. Omnia ergo quę induxisti super nos,& uniuersa quę fecisti nobis,in uero iudicio fecisti, & tradidisti nos in manibus inimicorũ nostrorũ iniquorũ,& pessimorũ,pręuaricatorũq;, & regi iniusto,& pessimo ultra omnẽ terrã. Et nunc nõ possumus aperire os:cõfusio & opprobriũ facti sumus seruis tuis,et in his qui colũt te. Ne,quęsumus,tradas nos in perpetuũ,propter nomẽ tuũ,& ne dissipes testamentũ tuum, neq; auferas misericordiã tuã à nobis,propter Abrahã dilectũ tuũ,& Isaac seruũ tuum,& Israël sanctũ tuum: Quibus locutus es,pollicens, quod multiplicares semen eorum sicut stellas cœli, & sicut arenam, quæ est in littore maris: quia Domine imminuti sumus,plusquã omnes gentes,sumusq; humiles in uniuersa terra hodie propter peccata nostra. Sic Daniel in captiuitate positus,primũ quidẽ peccata non tantũ populi sui, sed etiam sua cõfessus,deinde ad hunc modũ orauit. Et posui faciem meã ad Dominũ Deum meum rogare,et deprecari in ieiunijs,sacco & cinere:& orauí Dominũ Deum meũ,et confessus sum,& dixi. Obsecro Domine Deus magne & terribilis,custodiens pactũ & misericordiam diligentibus te, & custodientibus mandata tua. Peccauimus, iniquitatem fecimus, impie egimus,& recessimus & declinauimus à mandatis tuis ac iudicijs. Et non obediuimus seruis tuis Prophetis, qui loquuti sunt in nomine tuo Regibus nostris,Principib9 nostris,Patribus nostris,omnicq; populo terrę. Tibi Domine iustitia,nobis aũt cõfusio faciei: sicut est hodie uiro Iuda,& habitatoribus

Daniel.3. Oratio Azariæ in caminо ignis.

Daniel.9. Oratio Danielis.

habitatoribus Hieruſalem, & omni Iſraël, his qui prope ſunt, & his qui procul in uniuerſis terris, ad quas eieciſti eos, propter iniquitates eorũ, in quibus peccauerũt in te Domine. Nobis cõfuſio faciei, Regibus noſtris, Principibus noſtris, & Patribus noſtris, qui peccauerũt. Tibi aũt Domino Deo noſtro miſericordia & propitiatio: quia receſsimus à te, & nõ audiuimus uocẽ Domini Dei noſtri, ut ambularemus in lege eius, quam poſuit nobis per ſeruos ſuos Prophetas. Et omnis Iſraël pręuaricati ſunt legẽ tuã, et declinauerũt, ne audirẽt uocem tuã: & ſtillauit ſuper nos maledictio & deteſtatio, quæ ſcripta eſt in libro Moyſi ſerui Dei, quia peccauimus ei. Et ſtatuit ſermones ſuos, quos loquutus eſt ſuper nos, & ſuper Principes noſtros, qui iudicauerũt nos: ut ſuperinduceret in nos malũ magnũ, quale nũquam fuit ſub omni cœlo, ſecundũ quod factũ eſt in Hieruſalẽ. Sicut ſcriptũ eſt in lege Moyſi. Omne malum hoc uenit ſuper nos. Et nõ rogauimus faciem tuã Domine Deus noſter, ut reuerteremur ab iniquitatibus noſtris, & cogitaremus ueritatẽ tuã. Et uigilauit Dominus ſuper malitiã, et adduxit eã ſuper nos. Iuſtus Dominus Deus noſter in operibus ſuis, quæ fecit: non enim audimus uocẽ eius. Et nunc Domine Deus noſter, qui eduxiſti populũ tuũ de terra Ægypti in manu forti, & feciſti tibi nomẽ ſecundũ diem hãc: peccauimus Domine in omnem iuſtitiã tuã. Auertatur obſecro ira tua, & furor tuus à ciuitate tua Hieruſalem, & à monte ſancto tuo: propter peccata enim noſtra, & iniquitates Patrũ noſtrorũ, Hieruſalẽ, & populus tuus in opprobrio ſunt omnibus per circuitum noſtrũ. Nunc ergo exaudi Deus noſter orationẽ ſerui tui, & preces eius: & oſtẽde faciẽ tuã ſuper ſanctuariũ tuũ, quod deſertũ eſt. Propter temetipſum inclina Deus meus aurem tuã, & audi: & aperi oculos tuos, & uide deſolationẽ noſtrã, et ciuitatem, ſuper quam inuocatũ eſt nomen tuũ. Neq; enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciẽ tuã, ſed in miſerationibus tuis multis. Exaudi Domine, placare Domine: attẽde, & fac. Ne moreris propter temetipſum Deus meus: quia nomen tuũ inuocatũ eſt ſuper ciuitatẽ, & ſuper populum tuũ. Si ergo qui tanta ſanctitate prædĩti fuerũt homines, ut ignes & Leones circa ſe innoxios habuerint, non dubitarũt in tribulationibus, Domino peccata ſua cõfiteri, & ad diuinam clementiam atq; miſericordiam confugere: Quanto magis nos peccatores, ſeditionum bellorumq; procellis obruti, in ea tribulatione, primum quidem de peccatis noſtris pœnitentiam agemus, ac deinde pacẽ à Domino poſcemus, qui, ut eſt unus idemq; uerus author pacis, ita & pacem ſolus largiri poteſt: non ſolum temporaneam illam, ſed etiam quam in futuro ſæculo, cum ſanctis communem habebimus ſempiternam. Ipſe ſiquidem Deus noſter refugium & uirtus, adiutor eſt in tribulationibus, quę inuenerunt nos nimis.

Deut. 28.

Concluſio huius Capituli.

Pſalm. 45.

Seditionibus in tempore occurrendum esse, Caput IIII.

IMplorato aduersus seditiosos diuino auxilio, humana quoq; remedia sanandis seditionibus adhibenda erunt. Est autem eadem ferè seditionum sedandarum ratio, quę curandorum morborum corporis. Quemadmodum enim in curandis morbis, primum causæ morborum, corundemq; qualitates inquiruntur, quibus cognitis, tum deinde remedia ęgrotis adhibentur. Quin in ipsa etiam cura ratio habetur, ut alia repentinis, & nullam moram patientibus: alia diuturnis morbis, quos Chronicos medici appellant, medicinæ adhibeantur. Ita & in depellendis à corpore Reipublicæ seditionum malis, primum quidem seditionū causæ inuestigantur, ac his ipsis cognitis, tum eorum medendorum cura suscipitur, & alia subito & aperte ortis seditionibus, alia clanculum conceptis, ac paulatim glisscentibus: & alia rursus in principio, alia in medio, & alia in fine remedia adhibentur. Ac primum quidem id generaliter in seditionibus sedandis, comprimendisq; & extinguendis obseruandum est, ut undecūq; uel ubicunq; ortis seditionibus, in tempore occurratur, immo ne etiam oriantur, prouideatur. Nam & in ciuilium discordiarū morbis locum habet, quod dicitur:

Similitudo de curandis morbis.

Vt in tempore occurratur seditionibus.

Principijs obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.

Ouid. lib. 1. de remed. amoris.

Fit enim sępe, ut ex paruo membri uulnusculo uniuersum corpus inficiatur, ac tandem, nisi in tempore conuenientibus remedijs occurratur, intereat, & penitus consumatur. Scintilla res parua est, & penè dum cernitur, non uidetur: sed si fomitē comprehenderit, & nutrimenta sui, quamuis paruus ignis inuenerit, mœnia, urbes, latissimos saltus, regionesq; consumit. Fermentū quoq; res modica uidetur & nihili, sed cum farina consperſum, totam massam suo uigore corruperit: in illius uim transit omne quod mixtum est. Ita & seditio quælibet ex paruis quidem initijs est, sed quæ paruo tempore, nisi mox extinguitur, in immensum crescit, & non solum domos, uicos, & ciuitates, sed etiam prouincias, & ampliſsima Regna peruagatur: maxime uero hæresis & doctrina peruersa, quæ ab uno incipiens, uix duos aut tres primum in exordio reperit auditores. Sed paulatim cancer serpit in corpore, & iuxta uulgare prouerbium. Vnius pecudis scabies, totum commaculat gregem. Igitur & scintilla statim ut apparuerit, extinguenda est, & fermentum à massæ uicinia semouendum. Secandæ putridæ carnes, & scabiosum animal à caulis ouium

Vulnus.

Scintilla.

Fermentū. *Hieronymus in comment. in Epist. priorem ad Chor.*

Hæresis citò crescit.

repellendum, ne tota domus, massa, corpus & grex ardeat, corrumpatur, putrescat, aut intereat. Grauis est & periculorum plenissima pugna carnis & spiritus, quam nos Monasticam seditionem appellamus. Spiritu siquidem seruitur legi Dei: carne autem legi peccati. Itaq; carne superante spiritum, in mortem incidimus (est enim lex peccati, ut quicunq; peccauerit, moriatur) Spiritu uero carnem uincente, uiuemus. Qui enim legi Dei seruit (quod fit spiritu) uitam habebit. Lex enim spiritus uitæ in Christo Iesu, liberat à lege peccati & mortis. Et ut prudentia carnis mors est: ita prudentia spiritus uita, & pax. Etsi autem carnis aduersus spiritum perpetua pugna sit, ad finem etiam usq; uitæ nostræ perduratura: tamen & in manu sua uictoriam habet spiritus, si adiutus gratia Dei (quę nunquam inuocanti deerit) ab initio rebellanti carni, id est, concupiscentiæ eius, non consentiat. At ubi semel atq; iterum carni frenum laxauerit, & concupiscentijs eius indulserit, paulatim peccandi consuetudine subrepente, ita animam pernicioſa dulcedo & uoluptas consuetudine implicat, ut postea uincere non possit, quod ipsa sibi peccando fabricata est: Propter quod & semel prostrata & uicta, in perpetua confusione iacet, & ignominia. Iuxta illud. Impius cum in profundum uenerit peccatorum, contemnit: & sequitur eum ignominia, & opprobrium. Sic in domo dissentientibus inter se patrefamilias, & ijs, qui eius potestati subiecti sunt: facile quidem ea discordia, ab initio componi poterit. At, ubi diutius durauerit, uix perturbata semel domus, ad pristinam concordiam reuocari poterit. Et ad eundem modum seditiones ciuiles in tempore adhibito remedio, sedari possunt, quę ubi latius serpserint, uix magno negocio extingui possunt. Sic seditiones Gracchanæ, Apuleianæ, & aliæ, quæ ab initio facile componi potuissent, ubi aliquandiu sepultæ, ac deinde resuscitatæ recruduerūt, non solum non extinctæ, sed etiam ex his bella socialia, ciuilia, & seruilia, suborta fuerunt. Ita Arrius in Alexandria una scintilla fuit: sed quia non statim oppressa est, totū orbem eius flamma populata est. Sic parua initia fuerunt Hussiticæ factionis, quæ ab initio facile quidem comprimi potuisset: At, ubi tempore inualuit, ne summa quidem summorū Principum potestate & potentia extingui potuit.

Monastica seditio inter carnē et spiritum.

Gal. 5.

Rom. 8.

Aug. lib. cōtra Fortunatū disp. 2.

Proverb. 18.

Domestica seditio.

Adhibenda est igitur huic morbo in tempore remedium. Nam sæpe uidimus.

Quod fuerat primo sanabile uulnus,
Dilatum longæ damna tulisse moræ.

Ouid. lib. 1. de remed. amoris.

Atq; ex hac sane causa processisse uidetur, quod ueterum Constitutionibus expressum est: ut inter causas, quæ moram non recipiunt, seditiones quoq; numerentur. Sic enim habet lex. Constitutiones, quæ de recipiendis nec ne appellationibus loquuntur, ut nihil nouī fiat,

fiat, locum non habent in eorū personis, quos damnatos statim puniri publice interest: Vt sunt insignes latrones, uel seditionum concitatores, uel duces factionum. In his siquidem causis, ubi latro manifestus est, uel seditio prærupta, factioq; cruenta, uel alia iusta causa, appellatio exequutionē non impedit: non pœnæ festinatione, sed præueniendi periculi causa. Tunc enim punire permittit Præses, deinde literis excusare. Sed nec ita tamen festinabit prudens Irenarcha, quin omnia bono consilio, nihil pręcipitāter agat: eius memor, quod prouerbio dicitur. Qui nimium properat, serius absoluit: & sæpe fit, ut ingenio magis, quàm uiribus proficiatur. Cuius rei pulchrū sane & memorabile exemplum, nostra ætate ędidit Inuictissimus & Gloriosissimus Imperator Carolus, huius nominis Quintus, qui immēsam seditiosorū atq; rebellium multitudinē, quæ nullis uiribus uinci posse uidebatur, ipse quasi ociosus, consilio, & prudētia sua, nullo fuso sanguine, superauit, & ad obedientiam suam redegit: ut uere de eo dici possit, quod olim prouerbio celebratū est. Sedendo uicit Romanus.

L. constitut. ff. de appella. l. si quis filio ff. de iniusto rup. & irri. testa.

Irenarcha consilio agat, non præcipitanter.

De remedijs Monasticæ seditionis, Cap. V.

AM uero ad species ipsas seditionū descendimus, ut earū tam generalia, & quæ sunt omnibus cōmunia, quàm specialia remedia explicemus. Inter quas prima est Monastica, carnis uidelicet aduersus spiritum rebellio: & spiritus aduersus carnē pugna. Quę merito internū hominis bellum dicitur: quia inter spiritum & carnē geritur. Quæ etsi inter se discordent, tamen à Deo summo Opifice in hoc creata & coniuncta sunt, ut mutua inter eas esset pax & concordia, quæ & perpetua erat futura, nisi propter inobedientiam primi hominis turbata fuisset, & in perpetuam quasi discordiam commutata: ut quamdiu uiuit homo, uerum sit, quod Apostolus dicit. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnē. Item. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meę. Quin et cessabit aliquando hęc discordia, quando scilicet seminabitur corpus animale, & resurget corpus spirituale. Tunc enim caro nihil concupiscet aduersus spiritum, quando & ipsa spiritualis uocabitur. Quoniam spiritui non solum sine ulla repugnantia, uerū etiam sine ulla corporalis alimenti indigentia, inæternum uiuificanda subdetur. Est aūt teterrimum & exitiale bellum, quod aduersus spiritū gerit caro, quæ & magna secū fert incōmoda. Caro enim est, quæ animam perdit: caro est, quæ recipit inimicū cum uitijs. Eadem caro seminat homicidia, seminat fornicationē, seminat concupiscētiam, seminat rixas, seminat libidinē, seminat Idolatriam, seminat cupiditatem, seminat superbiam, & inter fratres discordiam,

Gall. 5. Rom. 7.

1. Cor. 15.

Aug. in lib. de continent. c. 8. Teterrimū bellum inter carnem & spiritū.

Aug. ad fratres in Eremo, sermone 49.

seminat inuidiam, seminat cõtra Deum blasphemiam, prouocat schismata, irritat hæreses, & intra Ecclesiã Dei infert diuisiones, & inter populos Christianos ponit offendicula, & inter gentes pugnas, & inter consanguinitatẽ mutationes, & quod peius est, in corda seruorum Dei diuersa cogitationũ genera immittit. Pugnã carnis mox, si caro euaserit uictrix, sequitur bellum conscientiæ. Vtrũq; sane horribile, ut quod nulla fuga euitare licet. Quocũq; n. fugimus, hñ hostes nos sequuntur, carnẽ nostram nobiscũ portamus, sed nec est, quo fugiamus. Quicquid n. uolumus, fugere possumus: cõscientiã nostram fugere nõ possum9. Intra in domũ tuam, requiesce in lecto tuo: Intra in interiora, interius nihil habere potes, quo fugias à conscientia tua, si te rodiunt peccata tua. Sed nec Deum fugere potest peccator, quomodo timẽs irã Dei dicit. Quo ibo à spiritu tuo, et quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu ibi es: si descẽdero in Infernũ, ades.

Bellum conscientiæ.

Aug. in Enarratione. Psal. 30.

Psal. 138.

Ad sedandum igit tam atrox, quod intra nos latet, carnis aduersus nos & conscientiæ nostræ bellum, primũ omnium ad Deum pacis, quem fugere nõ possumus, confugiemus, ab illo opem petemus, ad illum dicemus. Esto mihi in Deum protectorẽ, & in domũ refugñ, ut saluum me facias. Quia fortitudo mea & refugium meũ es tu, & ꝓpter nomen tuum deduces me, & enutries me. Deinde & nos, quantũ in nobis est, contra carnẽ nostrã pugnare debemus, alioqui si carnali concupiscentiæ consentientes, secundum carnẽ uixerimus, moriemur: si aũt spiritu facta carnis mortificauerimus, uiuemus, ut inquit Apostol9. Tum aũt cõtra carnẽ pugnabimus, si membra nostra mortificauerimus, quæ sunt super terrã: id est, fornicationẽ, immunditiam, irã, rixã, ut Apostolus admonet, qui & alio loco dicit. Curam carnis ne feceritis in concupiscentñs uestris. Cęterũ caro mortificabitur per abstinentiam in ieiunñs, orationibus & uigilñs. Nam his & similib9 rebus, & caro domat, et diabolus exterminatur, qui carnẽ in potestate habet, nõ aũt animã, dicẽte Apostolo. Dat9 est mihi stimulus carnis meæ, angelus Sathanæ, qui me colaphizet. Et in carne Iob tentatus est à diabolo, dicẽte Domino. Et data est ei potestas à Domino in facultates eius. Et iterũ. Dabo tibi illum in potestatẽ, præter animã eius. Ac proinde cõtra diabolum etiam pugnãdum est, qui & ipse continuũ bellum contra nos gerit, ut supra ostendimus. Carnem aũt possidet diabolus, qui & in carne nostra seminat semina sua, id est, homicidia, fornicationẽ, concupiscentiã, libidinẽ, irã, rixam, ebrietatẽ, superbiam, furtũ, et omnẽ suggestionẽ malam, dicẽte Apostolo. Non est nobis colluctatio aduersus carnẽ & sanguinẽ, sed aduersus spiritus aëris huius, aduersus spiritualia in cœlestibus. Hæc semina qui recipit, in carne seminare dicitur, ac propterea de carne quoq; metet corruptionẽ, ut inquit Apostol9. Est igit infestissimus hostis noster diabolus, qui nunq; non circuit tanq; leo rugiens, quærens quem deuoret, tanto formidabilior, quanto callidior. Est n. uersutus hostis ille

Ad Deum pacis confugere. Psal. 30.

Pugnare contra carnem. Rom. 8.

Rom. 13.

Aug. de salut. doctr. c. 64.

2. Cor. 12. Iob. 1. & 2.

Ephes. 6.

ac tortuosus (ut inquit Augustinus, cuius uerba & hoc loco repetere libet, quanꝯ ea ipsa supra quoꝯ libro tertio recensuimus) nec facile deprẽhẽdi possunt circuitus uiæ eius, nec cognosci species uultus eius, nisi dominus illuminet. Nam nũc hic, nũc illic, nũc agnũ, nunc lupũ, nũc tenebras, nũc lucẽ se ostẽdit. Et singulis quibuslibet qualitatibus, locis & temporibus, secũdum uarias rerũ mutationes, uarias exhibet tẽtationes. Nã ut tristes decipiat, tristatur & ipse: ut gaudentes illudat, fingit se & ipse gaudere: ut spiritales defraudet, in angelũ lucis se transfigurat: ut fortes comprimat, apparet agnꝰ: ut mites deuoret, apparet lupus. Vnde nõ solum in carnis operibus, quę de facili cognoscũtur, nec tantũ in ipsis uitijs: sed in ipsis spiritalibus exercitijs laqueos abscõdit subtiles, & sub uirtutũ colore, ipsa uitia induit, & transmutat se in angelum lucis. Has igitur astutias quis agnoscet? Quis reuelabit speciem indumenti eius, & gyrũ dentium eius quis agnoscet? & abscondit sagittas suas in pharetra, & laqueos suos abscondit sub specie lucis. His & multis alijs machinis, clanculum adorit nos inimicus ille noster filius Belial: Ideoꝯ & fortiter cõtra ipsum pugnemus necesse est. Nec desunt propugnacula & arma, quibus illum nõ solum à nobis propellamus, sed etiam prosternamus. Ac primũ quidem propugnaculum, quo cõmunimur, est turris illa, de qua in Psalmo dicitur. Turris fortitudinis, à facie inimici. Turris hęc Christꝰ est, ad quem fugientes, non solum tela inimici diaboli per tot loca, tempora, & occasiones contra eos insidiantis, euitabunt: sed etiam in illum, quæ uoluerint securi ipsi iaculabuntur. Quisquis igitur tutus esse uult, ne feriatur à diabolo, ad turrim fortitudinis fugiat Christum, ad quam diaboli iacula nunꝯ pertingere possunt: Nec tutus tantũ à diaboli iaculis erit, qui in hanc turrim intrat, sed ipse etiam in inimicũ diabolum tela iaculari poterit, quibus ipse feriatur, & uincatur. Hæc nimirum sunt, uerbum Dei, fides, spes, opera charitatis, & oratio: Apostolus armaturã Dei appellat. Induite, inquit, uos armaturam Dei, ut possitis stare aduersus insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnẽ & sanguinẽ, sed aduersus Principes & Potestates, aduersus mundi rectores tenebrarũ, contra spiritalia nequitię, in cœlestibus: propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecte stare. State ergo succincti lumbos uestros in ueritate, & induti loricam iustitiæ, & calciati pedes in præparationẽ Euangelij pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeã salutis assumite, & gladium spiritus, quod est uerbum Dei, per omnẽ orationẽ & obsecrationẽ orãtes, omni tempore in spiritu. Omniũ aũt maxime oratione dominica aduersus insidias diaboli nos tuebimur, qua nos Dominus cœlestẽ Patrẽ orare iubet, ne nos permittat induci in tentationem. Hoc siquidem tactus iaculo, non audebit ad nos cominus

Aug. in lib. soliloquiorum c. 7. lib. 3. c. 3.

Variæ tentationes diaboli.

Aug. in Enarratione in psal. 60.

Propugnacula nostra cõtra diabolum.

Turris fortitudinis est Christus.

Ephes. 6.

Armatura Dei contra diabolum.

Efficacia orationis Dominicę.

minus accedere. Scit enim inimicus noster diabolus, qui se his armis tuentur, eos sine dubio aduersus ipsum victoriã obtinere. Necq; enim ignorat, quod in Psalmo dicit Dauid. Quoniam in te, inquit, eripiar à tentatione. Et iterum: In Deo faciemus uirtutem, & ipse ad nihilum deducet omnes tribulantes nos. Scit etiam Deum semper paratum esse, ut nos à tentatione (ubi opem eius implorauerimus) eripiat, Apostolo Paulo dicente. Fidelis est Deus, qui non patietur nos tentari, supra id quod possumus: sed faciet etiã cũ tentatione prouẽtum.

Psal. 17.
Psal. 59.
1. Cor. 10.

De remedijs Domesticæ seditionis, Caput VI.

DOmus ex marito & uxore, parentibus & liberis, domino & seruis constat. Inter quos, qui cęteris omnibus dominatur, paterfamiliâs: qui autem illi parent, familia appellantur. Est autem ita natura comparatum, ut maritus uxori, parentes liberis, & domini seruis dominentur. Natura enim imperant & dominantur, qui mente prospicere possunt: Qui autem corpore, quid imperatum fuerit, præstare possunt, natura parẽt. At uxor & seruus, quasi instrumẽta sunt illa generationis: hic uero exequutionis, eorum quæ prudentis mariti & domini consilio fuerint prospecta. Vtitur enim maritus uxore, tanquam instrumẽto ad procreationem liberorum, quibus deinde tota domus propagatur. Nisi enim mas & fœmina ad generandum coniungerẽtur, nec liberos domus nec seruos haberet. Seruo autem utitur dominus, ut ea quæ ad sustentandam familiam necessaria esse prospexerit, opere ipso exequatur. Liberos uero tum procreat, tum honeste educat, ut quos ualentes ipsi suo labore tuentur & alunt, mox imbecilles ob senium facti, à ualentibus eadem reportẽt: & qui uiuere ipsi perpetuo non possunt, etiam mortui in filijs uiuant, &, ut dici solet, natis natorum. Ex duabus igitur societatibus domus coalescit, mariti & uxoris, domini et serui. Vnde & Hesiodus Poëta dixit, οἶκον μὲν πρώτιστα γυναῖκά τε βοῦν τ' ἄροτῆρα. Id est Primum ædes, deinde uxorem, inde bouem agricolantem. Hic præcipue ad uictum, illa ad liberos: quo loco per mulierem etiam uirum intelligit, & per bouem aratorẽ seruum, & reliquam ad comparandum uictum necessariam possessionem: Bos enim pauperibus pro seruo est. Sunt autem certæ leges, tam coniugum inter se, quam domini ad reliquam familiam, quibus custoditis, concordia fouetur: Neglectis uero, discordia & seditio in societate domestica concitatur. Concordia inter uirum & uxorem his maxime legibus conseruatur. Prima, Vt inter eos iniuria cesset, ut conuitia, amatoria medicamẽta, immoderata castigatio, & si qua sunt similia. Secũda, Vt ab externo & illegitimo concubitu abstineant: Est enim sacratissima nuptialis satio. Ideoq; nec serere debent coniuges, unde nasci quicquam nolenti

Aristot. lib. 1. pol. c. 1.

Vxor instrumẽtum ad generationem.

Aristot. lib. 1. Oeconomicorum c. 3.

lib. 1. operis ἔργα καὶ ἡμέρα.

Leges concordiæ inter uirum & uxorem.

Aristot. lib. 1. Oeconomicorum c. 4.

lent: et si fructꝰ gignāt, eorū eos pudeat, et quos maxime celent. Tertia, Sic uenere utātur, ut neqꝫ prēsentes egeant, nec ut cum aberūt, abstinere nequeant: sed ita assuefaciendum, ut & prēsentes & absentes satis habeant. Etsi hi, qui longinquis fuerāt ortus sui tempore regionibus separati, inter se conuenerint, & si uir ad peregrina cōtenderit, nulla longinquitas, nulla absentia, cōplacitā minuat charitatē. Eadem lex prēsentes absentesqꝫ coniungit: idem uero uinculum inter distantes & consistētes, coniugalis charitatis iura constringit. Eodem iugo benedictionis utriusqꝫ colla sociantur, etiamsi alter obeat separatarū regionū longa diuortia: quia non corporis ceruice, sed mētis, iugum gratiæ receperunt. Sed & eam pudicitiꝫ legem seruabit uxor, ut ad ipsam uir, non ipsa ad uirū accedere uideatur: neqꝫ enim deuitare uirū debet, sed nec tamen ipsa prior tētare. Vt enim hoc meretricis est, & impudentis: sic & illud fastuosꝫ, nec uirū amantis. Sunt & proprię leges uxoris. Prima, Probā mulierē omnium, quę intra priuatos parietes sunt, dominā esse oportet: quę aūt foris sunt, curabit marito. In cæteris omnibus mulier uiro parebit, nec quicq̄ eorum curabit aut tractabit, quæ extra domum uel publice uel priuatim aguntur: Ne ei accidat, quod matri Papyrij Prætextati, quæ cum filium percontata esset, quidnam Patres in Senatu egissent (nam & puer cum parente suo in curia fuerat) Papyrius festiuo mendacio matrem, quam nimis curiose negocia ad se non pertinentia curare intelligebat, eludens. Actum est (inquit) in Senatu, utrū uideretur utilius, exq̄ Republica esse, unus ne ut duas uxores haberet, an ut una apud duos nupta esset. Quo pueri responso decepta mater, alias quoqꝫ matronas, ipsa quanquam imprudens fefellit. Siquidem postridie cum lachrymantes, atqꝫ obsecrātes orarēt, Vna potius ut duobus nupta fieret, quàm ut uni duæ, errore earum patefacto, ludibrio Senatoribus habitæ discesserunt. Secunda, Non permittet proba mulier quenquam domū ingredi, sine præcepto uiri. Summopere enim formidare debet, quæ facile de mulierum corruptione circumferri solent. Tertia, Sumptu, uestitu, & apparatu minore etiā utatur uxor, quàm leges ciuitatis permiserint. Consyderare enim debet, quod nec uestimentorum nitor, nec elegantia formæ, nec auri multitudo, tantum ualet ad mulieris commendationem, quantum modestia in rebus, ac studium honeste decoreqꝫ uiuendi. Lysandri filiabus uestes muliebremqꝫ mundum præciosum, Tyrannus Siculus misit: ea Lysander capere noluit, dicens. Hoc ornamentum dehonestabit potius filias meas, quàm ornabit. Sed ante Lysandrū hoc Sophocles dixit. Non est hic ornatus ò infœlix: uerū dedecus uidebitur tuæqꝫ insania mentis. Ornamētum enim est (ut inquit Crates) quod ornat: ornat aūt, quod honestiorē mulierem facit. Talem uero prēstat nō aurum, non Smaragdus, non coccineus color: sed quæcunqꝫ grauitatis, moderationis,

L. consensu & autem ibi pos. ubi not. C. de repud. gl. in c. quemadmodum de iureiu. in Aut. de nup. §. si igitur gl. in c. sicut 7. q. 1. Amb. lib. 5. Examerō c. 7.

Plutarchus in præceptis connubialibus.

Leges uxoris.

Mater Papyrij Prætextati. *Aulus Gellius lib. 1. noct. att. c. 23.*

Ne sit curiosa in uestitu.

Verū ornamentum mulieris.

derationis, & pudoris ſpeciem adhibent. Quanq̃ nihil uetat, uxorem honeſte quoq; mundicia ornatus uti, modo ab honeſtatis & pudoris tramite nõ diſcedat. Nam & natura mulieres mũdiciem amant, à qua & mundus muliebris dicitur, quo ſcilicet mulier mundior fit. Nam & tali ornatu mulieres etiã ſanctiſsimas uſas fuiſſe, traditũ eſt. Sic enim de ſancta uidua Iudith legimus. Et deſcẽdẽs in domũ ſuam, abſtulit à ſe cilicium, & exuit ſe ueſtimẽtis uiduitatis ſuæ, & lauit corpus ſuum, & unxit ſe myrto optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui, & impoſuit mitrã ſuper caput ſuum, & induit ſe ueſtimẽtis iocunditatis ſuę, induitq; ſandalia pedibus ſuis, aſſumpſitq; dextrariola, & lilia, & inaures & annulos, & omnibus ornamẽtis ſuis ornauit ſe: ſed ita tamen, ut omnis ea compoſitio non ex libidine, ſed ex uirtute pependerit. Quarta, Eſt præterea mulieri per cõiunctionẽ Matrimonij lex à Deo impoſita, ut mores uiri pro lege habeat. Quos ſi æquo ferat animo, facile reget domũ: ſin contra, difficilius. Quinta, Non ſolum in proſperis rebus, ſecũdaq; fortuna unanimẽ ſe uiro præſtare, & ſeruire uelle debet uxor: uerũ etiam in aduerſis. Et ſi defectũ patiatur rerum, pauperieq; prematur, corporis morbo laboret, aut aliqua mentis impotẽtia, æquo animo ferat, & ſemper optima loquatur de uiro, obſequaturq; in his quæ ſunt licita & honeſta: id ſolum cauens, ne quid turpe aut indignũ faciat. Sexta, Nec ſi quid animi perturbatione deliquerit maritus, in memoria habebit mulier, ſed ægritudini ignorantiæq; aſcribet. Nam quanto in his diligẽtius obſequetur, tanto ſibi maiorẽ gratiam habebit, cum ab ęgritudine fuerit liberatus: & ſi iubente aliquid turpe nõ paruerit, melius recognoſcet ad ſanitatem reuerſus. Illa quoq; cõmunis lex coniugibus data eſt, ut unam confiteantur fidem Chriſtianã, & ut in una Catholica religione uerſentur. In coniugio ſiquidem primũ quæritur religio, non igitur Gẽtilis ducenda eſt, nõ Iudęa, nõ alienigena, id eſt, hæretica, & omnis à fide Chriſtiana et Catholica aliena. Prima coniugij fides caſtitatis gratia eſt, ſi Idola colat, quorũ prędicant adulteria, ſi Chriſtũ neget, qui præceptor & remunerator eſt pudicitiæ, quomodo poteſt diligere pudicitiam? Si Chriſtiana ſit, nõ eſt ſatis, niſi ambo initiati ſint Sacramẽto Baptiſmatis. Simul ad orationẽ nocte coniugibus ſurgendũ eſt, & coniunctis precibus obſecrandus Deus, ut alibi docet Ambroſius. Quin & Ethnicis ea lex fuit, ut curioſæ religiones & peregrinæ ſuperſtitiones à ueſtibulo domus arcerentur. Nulli enim Deo ſacra occulta & abſcondita, grata putabantur, quæ à muliere fiebant. Apoſtolus Paulus eam legem præſcribit coniugibus, ut unuſquiſq; uxorem ſicut ſeipſum diligat: uxor autem timeat uirum ſuum.

Idem de parentibus & filijs hæc præcepta tradit. Filij, inquit, obedite parentibus ueſtris in Domino: hoc enim iuſtum eſt. Honora patrem & matrem tuam, quod eſt mandatum primum in promiſsione, ut bene ſit tibi, ut ſis longæuus ſuper terram. Et uos patres

Mundus muliebris.

Iudith. c. 10.

Ariſt. lib. 2. Oeconom. c. 1.

Vna fides & religio in coniugibus.

Ambroſ. de Abraham Patriarcha lib. 1. cap. 9.

Plut. in præceptis coniugalibus.

Eph. 5.

Eph. 6. Coloſſ. 3.

nolite ad iracundiam prouocare filios uestros: sed educate illos in disciplina, & correctione Domini. Eiusdem lex est de dominis & seruis, quæ sic habet. Serui, obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis uestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed ut serui Christi, facientes uoluntatẽ Dei ex animo, cũ bona uoluntate seruientes, sicut Domino & non hominibus. Quoniam unusquisq; quodcũq; fecerit bonum, hoc recipiet à domino, siue seruus, siue liber. Et uos domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes, quia illorũ & uester dominus est in cœlis, & personarũ acceptio non est apud Deum. Etsi aũt filijs & seruis obedientiã, uxori & seruis timorẽ iniungat Apostolo: tamen & obedientię et timoris in his diuersa est ratio, q; & uerba Apostoli designãt. Siquidem obedientiæ filiorũ & seruorũ, timori item uxoris et seruorũ diuersa subiunxit. Ad filios n. dicit. Obedite parẽtibus uestris in Domino. Ad seruos uero: Obedite dominis carnalibus, cũ timore ac tremore. De uxore dicit. Vxor aũt timeat uirũ suum. Quo loco timor pro reuerentia accipitur. De seruo aũt dicit: Obedite cũ timore & tremore. Sicut igitur inter seruum & uxorẽ metus diuersitas: ita & inter filios & seruos discrepat obedientia. Aristoteles, quod ad administrationẽ domesticã attinet, duas species seruorũ facit. Præpositum siue domus procuratorẽ, & artificem, qui quippiam operatur: ac domino quidem ad seruos has leges præscribit. Prima, Præposito liberaliora, artifici minus liberalia negocia cõmittet. Secunda, Ita seruis colloquetur, ut neq; insolescere, neq; remissos esse sinat: & liberalioribus honorem, operum uero effectoribus cibum abunde ministret.

Lex inter dominos & seruos. *Ephes. 6. Coloss. 3.*

Differentia timoris & obedientię inter domesticos.

Arist. lib. 1. œconomic. c. 5.

Leges domini ad seruos.

Tertia, Aut nihil aut parum uini seruis indulgeat. Nam uini potus etiam liberos insolentes, iniuriosos q; reddit. Quarta, In seruis tria sunt necessaria: opus, castigatio, & cibus. Ac cibus quidem sine opere & castigatione, ubi defecerint, insolentes eos reddit, & ad iniuriandum procliues. Opus aũt sine castigatione & cibo res uiolenta est, & impotentes seruos reddit. Quinta, Sunt aũt hæc seruis pro uniuscuiusq; dignitate distribuenda, ac melioribus meliora, deterioribus deteriora præstanda. His itaq; mariti & uxoris, parentũ & filiorũ, dominorũq; & seruorũ, inter se seruatis legibus, pulchre domesticæ societatis constabit concordia. Contra uero, ubi hę ipsæ neglectę, aut minus diligenter in administratione rerũ familiarium custoditæ fuerint, in quacũq; tandem domus parte id fiat, mox dissolutis legibus, quæ sunt uerũ societatis domesticæ uinculum, & glutinũ quoddam, ipsa quoq; concordia dissoluatur, dissensionesq; & discordiæ subnascantur necesse est. Veluti si maritus uxori iniuriam inferat, uel contrà uxor uiro, altero uidelicet in alterutrũ conuitia iaculantibus, quod tamen uxori magis proprium est: aut manus inijcientibus, quod frequentius solent mariti: aut si absente uel inscio uiro, mulier uiros suspectos aut incognitos in domum intromittat: maxime uero, si

Ne seruis detur uinũ.

Impedimẽta concordiæ inter maritũ & uxorem.

cum quibus non decet, consuetudinẽ habeat: aut maiores sumptus, quàm pro tuenda dignitate & decoro suo, in comparandis uestibus, & reliquo ornatu & mundo muliebri faciat: aut si erga uirum uel nimium morosa sit, aut petulans & procax: aut si eorũ quæ extra domũ aguntur, nimis curiosa fuerit, aut maritus eorũ, quæ ad curam uxoris pertinẽt, nimis diligens curator: aut si uxor mores mariti fastidiat, et ut plęricę inepte & insulse solent, si iocãte blandientecę marito, frontem ipsa contrahat, & agente aliquid serio iocetur & rideat. Nam ea sunt tum tristis, tũ contemnẽtis animi indicia: aut si in aduersis rebus, maritũ uel negligat uel cõtemnat, et si quid uel morbo, uel alia intempestiuius urgente solicitudine affectus impotẽtius agat, id in peiorem ipsa partẽ accipiat. Denicę si non sit par eademcę utriusę Religionis & fidei Catholicę confessio: ex his enim & similibus causis inter maritũ & uxorẽ graues plęrũcę dissensiones nasci, uel ipsa experientia docet: quas & ipsas non inepte seditiones appellabimus. Iuxta illud Comici. Perpulisti me, ut homini adulescẽtulo in alio occupato amore, abhorrenti à re uxoria, filiam darem in seditionẽ atcę incertas nuptias. Sic & animũ parentũ à filijs alienat, si mandatis eorũ non pareant: & contra filij quocę parentũ obedientiam relinquunt, si nimis eis duri sint, nec quæ uel honesta ratione permissa sunt, eorũ uoluntati indulgeant. Nam utrincę peccatur: est enim peccatũ filiorum, non obedire parentibus. Parentũ uero, paruulos atcę lactẽtes ad iracundiam prouocare, aut certe iam adolescẽtibus & maturioris ætatis ea imperare, quæ grauia sunt. Sicut igitur in filijs obsequium & subiectionis merces est demonstrata: ita parẽtibus moderatũ iubetur imperium, ut non quasi seruis, sed quasi filijs se præesse nouerint. Sed & eo peccant parẽtes, si non recte educauerint liberos: propter quod & præcepto Apostolico adiunctũ est. Educate illos in disciplina, & correctione Domini. Hieronymus pro eo quòd correctionẽ nos legimus, melius in Græco dici putat Νουθεσίαν, quę admonitionẽ magis & eruditionẽ, quàm austeritatem sonat. Sed nec Ethnici hanc liberorum educandorũ rationẽ ignorarũt, qui & ipsi parentum erga liberos disciplinã cum lenitate & facilitate quadam coniunctam commendant: asperitatẽ & inclementiam uituperant. Cuius rei Mitio & Demea, quasi exempla in Comœdia proponuntur. Ille enim urbanus & comes pater: hic uero durus & asper inducitur. Ac utriusę quidem mores Mitio ipse apud Comicũ ad hunc modum exprimit.

Discordia in moribus aut in religione.

Terentius in Andria Act. 5. Scena 1.

Lex inter parentes & filios.

Hieronymus in comment. in Epist. Pauli ad Ephesios.

Duo diuersorum morum parẽtes Mitio et Demea, apud Terẽtium in Adelph. Act. 1. Scena 1.

Fratri, inquit, nati filij
Duo sunt, inde ego hunc maiorem adoptaui mihi,
Eduxi á paruulo, habui, amaui pro meo,
In eo me oblecto solum, id est charum mihi.
Ille ut idem contra me habeat, facio sedulo.

Do

Do, permitto, non neceſſe omnia habeo
Pro meo iure agere, poſtremo alij clanculum
Patre quæ faciunt, quæ fert adoleſcentia,
Ea ne me celet, conſuefeci filium.
Nam qui mentiri aut fallere inſueuerit patrem, eum
Audebit, tanto magis audebit cæteros.
Pudore & liberalitate liberos
Retinere ſatius eſt credo, quàm metu.
Hæc fratri mecum non conuenunt, neq; placent.
Nimium ipſe durus, & præter æquum & bonum:
Et errat longe, mea quidem ſententia,
Qui imperium credat grauius eſſe aut ſtabilius,
Vi quod fit, quàm illud, quod amicitia adiungitur.
Mea eſt ſic ratio, & ſic animum induco meum:
Malo coactus qui ſuum officium facit,
Dum id reſcitum iri credit, tanti ſper cauet.
Si ſperat fore clam, rurſum ad ingenium redit.
Ille, quem beneficio adiungas, ex animo facit.
Studet par referre, præſens abſensq; idem erit.
Hoc patrum eſt, potius conſueſcere filium
Sua ſponte recte facere, quàm alieno metu.
Hoc pater & dominus intereſt: hoc qui nequit,
Fateatur ſe neſcire imperare liberis.

Iam & ex eo diſcordiæ domeſticæ naſcuntur, quod domini in ſeruos imperium exercent uel durum nimis & aſperũ, uel nimis lene, uel inæqualiter inter eos operas, præmia, & mercedes diſtribuunt: aut cum ſerui uel natura, uel indulgentia & licentia dominorũ, uel temulentia inſolentiores in eos, qui ingenio ſunt manſuetiore inſurgunt, & turbas in domo tam in dominũ, quàm in reliquã familiam excitant: maxime uero, qui improbi filijs familiàs turpium magiſtri & duces amorum exiſtunt, quales plærunq; in Comœdijs ſerui inducuntur. Nam paucos reperias, in quos conuenit, quod apud Comicum de Geta dicit Demea.

Terentius in Adelphis Act. 5. Scena 6.

Is mihi eſt profecto ſeruus, ſpectatus ſatis, cui dominus curæ eſt.

Multi uero, qualem ſe eſſe fatetur apud eundem Poëtam Dauus.

Perturbaui, inquit, omnia:
Herum fefelli, in nuptias comeci herilem
filium. Hem aſtutias: quod ſi quieſſem, nihil euenisſet mali.

Idem in And. Act. 3. Scen. 4.

Vnde & prouerbiũ natũ uideri poteſt, cuius alibi Macrob. meminit. Quot ſeruos habemus, totidẽ habemus & hoſtes. Ex his igit alijſq; ſimilibus

Macrob. in Saturnalibus.

milibus causis, orta domestica seditione, primũ omniũ diligẽs paterfamiliâs, unde, & ex quibus causis nata sit, inuestigabit. Vt si propter suam erga uxorem, liberos & seruos, duritiem & inclementiam excitata fuerit, ipse mores suos commutet, & clementia & comitate ita emolliat, & componat, ut familia diligere ipsum ac uenerari malit, quàm timere. Siquidem comitas & clementia patrisfamiliàs, totam familiam dictis audientem reddunt: duritia autem & inclementia, rebellem & contumacem. Quod apud Comicum eleganter de se & fratre, moribus scilicet inter se dissimillimis exprimit Demea.

Terentius in Adelphis Act. 5. Scena 4.

Re, inquit, ipsa reperi,
Facilitate nihil homini esse melius, neq; clementia.
Id esse uerum, ex me atq; ex fratre cuiusmodi facile est noscere.
Ille suam semper egit uitam in ocio, in conuiuijs:
Clemens, placidus, nulli lædere os, arridere omnibus.
Sibi uixit, sibi sumptum fecit, omnes benedicunt, amant.
Ego ille agrestis, sæuus, tristis, parcus, truculentus, tenax,
Duxi uxorem, quam ibi miseriam uidi? nati filij.
Alia cura. Porro autem dum studeo, illis ut quàm plurimum
Facerem, contriui in quærendo uitam, atq; ætatem meam.
Nunc exacta ætate, hoc fructi pro labore ab ipsis fero,
Odium: ille alter sine labore patria potitur commoda.
Illum amant, me fugitant: illi credunt consilia omnia:
Illum diligunt, apud illum sunt ambo: ego desertus sum.
Illum ut uiuat, optant: meam autem mortem expectant, scilicet
Ita eos meo labore eductos maximo, hic fecit suos
Paulò sumptu: miseriam omnem ego capio, hic potitur gaudia.
Age age, nunc experiamur contra hæc, quid ego possim
Blande dicere, aut benigne facere, quando eo prouocat.
Ego quoq; á meis me amari & magnipendi postulo:
Si id fit dando atq; obsequendo, non posteriores feram.
Deerit, id mea minime refert, qui sum natu maximus.

Leges Domesticę patrisfamiliàs

Sin uxor molesta erit marito, filijs, aut reliquæ familiæ, benignitate ipsam ad mansuetiores reducet mores: aut si id non iuuerit, moderate eam castigabit: filios rebelles corrigat, alium quidem severius, alium leuius, ut cuiusq; ingenium & mores ferẽt: & ita quidem ut patrem se, non dominum erga eos, nec duro nimis, sed nec nimis leni animo esse ostendat. Seruos contumaces durioribus uerbis, & si ita res exiget, insolentiores uinculis etiam & uerberibus ad obedientiam compellet, incorrigibiles etiam domo expellet. Denique ita

ita se geret maritus ad uxorem, pater ad filios, dominus ad seruos, tum inter se fratres, ut patris sit quasi regnum aliquod in domo, mariti & uxoris quasi Aristocratia, & fratrum inter se quasi Censupotestas. Quorum regiminum leges si transgrediantur, tum ex regno in domo fit Tyrannis, ueluti si pater filijs utatur ut seruis: Et ex Aristocratia paucorum potestas, ut si uir in omnibus dominetur, nec uxori suam quoq; potestatem in domo permittat. Similiter si uxor dominetur, ob amplitudinem patrimonij: Et ex Censupotestate popularis potestas, ut si fratres multum ætatibus differentes, inter se dissideant, &c. Quemadmodum superiori libro demonstratum est. Triplex regimen domesticum.

De Delatoribus & indicibus seditionum, Caput VII.

IAm ad ciuiles discordias uenio, quarū septem sunt remedia. Inquisitio, diuisio, transactio, uis armata, iudicialis uindicta, causarum, ex quibus nascuntur seditiones, remotio, & contra futura seditionum remedia cautio. Inquisitionis duæ partes sunt: Delatio siue denunciatio, & iudicialis cognitio. Principio igitur rumore aliquo latentis seditionis exorto, mox prudens & diligens Irenarcha, aut cui sedandarum seditionum cura commissa fuerit, diligenter curabit, ut authores & principes seditionum, & clandestinos seditiosorum conuentus, tractatus, & consultationes caute inquirat. Ad quam rem in primis necessarij sunt delatores siue indices seditionum, quorum opera sollicite seditiosos conquirere possit. Septem remedia cōtra ciuiles discordias.

Sunt autem Delatores, qui uel crimina, uel facinorosos, uel eorum bona, Irenarchis, alijsq; Magistratibus, & fisco denunciant. Porro omnes delatores esse possunt, qui lege non prohibentur. Primum igitur deferre non possunt mulieres, proprer sexus infirmitatem, & quia aliena negocia curare non possunt: Alij à deferendo remouentur propter dignitatem, ut clarissimi uiri: Alij propter pœnam deferre non possunt, ut qui fustibus cæsus, in opus publicū erat datus. Similiter qui in metallum damnati sunt: idq; ideo, ne desperati ad delationem facile possint sine causa confugere. Veterani quoq; sacris constitutionibus delatores esse prohibentur, propter honorem utiq; & merita militiæ. Item milites propter honores stipendiorum, quæ merentur, deferre prohibentur, & quia aliena negocia curare non possunt. Item, qui tutores uel curatores fuerūt, deferre non possunt causam pupillorum, uel adolescentium suorum. Sed nec filij parētes, nec serui dominos, nec liberti patronos deferre possunt. Et seruus quidem deferens dominum, in exemplum omnium proditorum sæuissimæ sententiæ subiugatur. Cæterum hij omnes, si

L. intra ff. de diuers. præscrip. l. nulli §. fi. C. de Ep. & Cler. ff. ex quibus causis maior l. nec non §. quod eis ff. de test. l. 1. & l. quæsitum ff. de probá. L. deferre ff. de iure fisci l. qui accusare ff. de accusa. c. de procurá. l. ita demū & l. qui stipend. ff. qui accusare non pos. l. pe. l. fi. c. de delá to. lib. 10.

suam iniuriam exequantur, mortemue propinquorum defendant, nec à delatione, nec ab excusatione excluduntur: Sicut nec seipsos deferre prohibentur. Postremo in causa rebellionum, & criminis læsæ Maiestatis, omnes quantumlibet alioqui deferre prohibiti, delatores esse possunt. Nec quisquam in causa tam nefarij criminis, à deferendo remouetur. Cæterum persistere in delatione debent delatores, & probare, quod ab eis fuerit delatum: ac propterea in probationibus deficientes, quia calumniari uidentur, calumniatorũ pœnam, sicut & accusatores calumnioſi, sustinebunt. Sed & infamia notantur delatores, qui non probant. Postremo omnibus, qui se læsos esse existimant, aduersus huiusmodi calumnioſos delatores, licentia datur, implorandi iudicum seueritatem ferro districtam. Rursus uero ut pœnam non deuitant, qui calumnioſe deferunt: sic præmia decerni debere ijs, qui quæ detulerũt uera esse probauerint, & moribus receptum, & sacris Constitutionibus confirmatum est. Quod & ucterũ exemplis, & quæ ea de re extant, tam Ecclesiasticis, quàm ciuilibus Constitutionibus, liquidò comprobatur. Ac primum quidem extant ea de re non pauca, & eadem insignia ueterum exempla: Quale est (ut inter multa referã unum) illud apud Liuium. Tempore quo Carthaginensium obsides Seciæ custodiebantur, excitato à seruis, qui cum obsidibus erant tumultu, indicibus eius tumultus, quorum unus liber erat, duo serui: Libero quidem centum millia grauis æris, seruis aũt uicena quina millia æris & libertas, tum precium eorum dominis, patres ex ærario dari iusserunt. Et in tabulis quoq; proscriptionis Triumuirorũ, qui coniurationem percussorum Iulij Cæsaris uindicabant, inter cętera continebatur, ut indicantibus coniurationis participes præmia darentur: nec quisquam qui ea accepissent, in cõmentarijs eorum perscriberetur, ne hinc cuiquam manifestus fieret. Sic Quinto Curio, quia primus consilia coniuratorum Catilinariæ seditionis detexerat, præmia publice à Senatu constituta fuerũt, qui & inter socios Catilinæ, Cæsarem nominauit, idq; è Catilina se cognouisse dixit. Sed & alter eiusdem seditionis index L. Vectius, Chirographum eius Catilinæ datum pollicitus est. Verum Cęsar id nullo modo tolerandum existimãs, apud Ciceronem, dixit Curio pręmia darentur, effecit. Vectium pignoribus captis, & direpta suppellectile, male mulctatum, ac pro rostris in concione penè discerptum, coniecit in carcerem. Autor Suetonius. Deinde in Synodo Romana, sub Symmacho Papa celebrata, de his qui coniurationem eorũ, qui Episcopatum Romanum ambiunt, ad hunc modum constitutũ est. Propter occultas fraudes (inquit Canon) & coniurationum secretas insidias, quas huius sentẽtia districtionis consequitur, si quis ad Ecclesiasticam pertulerit notitiam consilia eorum, qui contra hanc Synodum de Pontificali egerint ambitu, & rationabili

s. de delatorib. l. fi. lib. 10.

ff. de iure fisci l. res quæ §. fi. ff. de iur. fisci l. non tantum l. senatus in princip. & §. diuus l. fi. C. de accus. cũ simil. L. omnes iudices C. de delatorib. lib. 10.

Pręmia delatoribus ueracibus decernẽda.

T. Liuius lib. 2. de bello Mac. & Asiat.

Appianus lib. 4. de ciuil. Ro. belis.

Suet. in C. Iulio Cæsare.

bili probatione conuicerit, particeps actionis huiusmodi, non solum purgatus ab omni culpa sit, sed etiam remuneratione, quæ non indigna sit, subleuetur. Sed & Honorij & Archadij de eadem re ciuilis extat Constitutio, quæ ad hunc modum habet. Sane, inquiunt, si quis in exordio initæ factionis studio ueræ laudis accensus, ipse prodiderit factionem, & præmio & honore à nobis donabitur. Is uero, qui usus fuerit factione, si uel sero, incognita tamen adhuc, consiliorum arcana patefecerit, absolutione tantum ac uenia dignus habebitur. Deinde ad hunc modum per delatores & indices seditionum authoribus, & eorum conuentibus & consultationibus patefactis, si necdum satis probatũ fuerit crimen, indices ordinariæ inquisitionis processu contra suspectos & diffamatos instituto, rite & legitime super crimen cognoscẽt. Et in eos, quos nocentes esse repererint, condignis pœnis animaduertent. Innocentes uero absoluent: Maxime uero id curabunt, ut sine ulla mora amentiæ duces auferantur.

l. quisquis §. ult. c. ad leg. iul. maiest.

T. Liuius lib. 4. secundi belli Punici.

Quibus modis seditiosorum coniurationes & consilia dissoluantur, Caput VIII.

SEcundum remedium ciuilium seditionũ est diuisio, qua scilicet seditiosorum cœtus & coniurationes, consilio & arte dissipantur. In qua re primum danda erit opera, ut qui plurimum tum authoritate, tum fide apud multitudinem ipsam ualent, eos primum periculorum iniecto metu, deinde honorum & prẽmiorum ostentata spe, aut alijs rebus, quibus eorum animus à cõcepta coniuratione deflecti posse uidebitur, inducamus, ut & ad meliorem mentem redeant ipsi, & multitudinis quoq; tum iram mitigare, tum furorem compescere conẽtur. Nam ad hunc modum capitibus dementiæ è furiosa seditiosorum turba diuulsis, tum facillime inter se quoq; qui coniurationis sunt participes, dispergentur. Nunquam enim ad contumaciam, pari consensu multitudo prorumpit: sed incitantur à paucis, qui uitiorum scelerumq; impunitate sperant peccare cum plurimis. Idem deinde cum ipsa multitudine aget prudens Irenarcha: nempe & pericula eius, & incõmoda seditionis obuentura enarrabit: tum fidei eos, qui dominis suis obstricti sunt, fideliter admonebit. Et quam laudem apud omnes, quanq; fœlicem rerum suarũ successum, si eam ipsam fideliter custodierint: Contra uero, quam infamiam apud bonos & graues uiros, si eam nõ seruauerint, contracturi sint, quanq; rerum suarũ iacturam obituri sint, declarabit. Sed nec ullo eos, contra fidelitatẽ & obedientiam dominorum suorum, iurisiurandi uinculo obligari contendet, & pro uiribus etiam conuincet: Idq; oratione, ut non affectata, sic non omnino simplici & neglecta, sed ut res ipsa exiget, ad flectendos simplicium

Diuisio, qua dissipãtur consilia seditiosorum.

Prudens admonitio Irenarchæ.

Qualis debet eius esse oratio.

T. Liuius lib. 2. ab urb. cond. Valerius li. 8. c. 9. Plin. de illust. uiris c. 18.

& deceptorum animos efficace. Qualis fuit illa, qua Menenius Agrippa plebem sacrũ montem trans Anienem insidentem, ad meliora & saniora consilia, ac postremo ad concordiam etiam reuocauit. Is priſco illo dicẽdi & horrido modo, nihil aliud quàm hoc narrasse fertur. Sic enim Liuius narrat historiam. Tempore quo in homine non ut nunc omnia in unum consentiebant, sed singulis membris suum cuiq; consilium, suus sermo fuerat: Primũ indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore, ac ministerio uentri omnia quæri, uentrẽ in medio quietũ nihil aliud, quàm datis uoluptatibus frui: cõspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrẽt, nec os acciperet datũ, nec dentes conficerẽt. Hac ira dum uentrẽ fame domare uellent, ipsa una membra, totũq; corpus ad extremã tabem uenisse: Inde apparuisse, uentris quoq; haud segne ministerium esse, nec magis ali, quàm alere eum, reddentẽ in omnes corporis partes hunc, quo uiuimus, uigemusq;, diuisum pariter in uenas maturũ confecto cibo sanguinem. Atq; ad hũc modum narrata fabula, hinc comparationẽ fecit, Quàm intestina corporis seditio similis esset iræ plebis in Patres: Quippe Senatus & populus, quasi unum corpus discordia perirent, concordia ualerẽt. Atq; hoc sane exemplo ostenditur, quantum oratio non modo ad diuidendam multitudinẽ, sed etiam ad reducendam eam uniuersam in concordiam, ualeat.

Menenij ad plebem seditiosam.

Vegetius lib. 3. c. 4. de re mil.

Illud etiam ad dissoluendas seditiosorũ coniurationes proderit, si negocium eis bellicum aduersus hostes externos detur: maxime uero factionum ducibus negocia aliqua illis haud ingrata, demandentur. Quo consilio sæpe Romanos usos fuisse legimus, sicut & in ipsis expeditionibus bellicis Dux attentus esse debet, ut in omnibus legionibus, siue auxilijs, uel uexillationibus, à Tribunis uicarijs Principibusq;, si qui turbulenti uel seditioſi fuerint milites, non pro inuidia suggerentium, sed pro rerũ ueritate cognoscat, eosq; prudentiori consilio segregatos à castris, ad agendum aliquid, quod ipsis prope uideatur optabile: aut ad castella urbesq; deputent muniendas atq; seruandas tanta subtilitate, ut cum abijciuntur, uideantur electi.

lib. 3. c. 10. de re militari.

Quemadmodum aũt in uniuersum sapientis Ducis est (ut inquit Vegetius) inter hostes discordiarum serere causas: nulla enim, quamuis sit minima natio, cito potest aduersarijs deleri, nisi propriis simultatibus seipsa consumpserit. Nam ciuile odium ad inimicorũ perniciem præceps est, ad utilitatẽ suæ defensionis incautum: Ita omnium maxime ad dissipãda seditioſorum consilia proderit, si inter eos discordiarum & dissensionũ seminibus sparsis, ipsi inter se cõmittantur, eoq; adigantur, ut quæ in alios nocendi arma parauerãt, ea ipsa in se tandem conuertant.

Esaiæ 58.

Iustum est enim corã Deo, iniquorũ dissolui concordiam: quippe idipsum Domino per Prophetã præcipiente. Dissolue (inquit) colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes: dimitte eos, qui confracti sunt liberos,

liberos,& omne onus dirũpe. Sane hoc consilio usus Apostolus Paulus,cum Iudęorũ(qui tum eius uitę insidiabãtur,& corã Præside quasi reũ mortis accusabãt) alterã quidem partẽ Saducęorũ, alteram Phariſęorũ esse sciret,exclamauit in Cõcilio. Viri fratres, ego Phariſęus sum filius Phariſęorũ:de spe & resurrectione mortuorũ ego iudicor. Et cũ hæc dixisset, facta est dissensio inter Phariſęos & Saducæos, & soluta est multitudo, & factus est clamor magnus. Et exurgentes quidam Phariſæorũ(nam & illi resurrectionẽ mortuorũ esse dicebant)pugnabant,dicẽtes:Nihil mali inuenimus in homine isto, quid si Spiritus locutꝰ est ei, uel Angelus? Sed & causas seditionũ diligenter spectare cõducet:Quippe ex his facile seditioſorũ coniurationes disrumpendi consilia capientur. Veluti,si multitudinis seditioſorũ,ex pauperibus conflatæ,auxilium à diuitibus, quos sibi coniurationis fœdere copularũt, pendeat: Recte dissoluentur colligationes iniquitatis,si lege lata diuitibus,sub certa pecuniaria pœna,seditioſorum cõmunione interdicatur. Qua sane ratione Theodosius Imperator,cõiurationẽ Donatiſtarũ et Circumcellionũ in Aphrica disſipauit.Siquidẽ ꝓmulgata lege in omnes hęreticos, ut quiſquis eorũ Clericus uel Episcopꝰ ubilibet esset inuẽtus, decẽ libris auri multaretur: multi eius pœnæ formidine animaduertẽtes,in ea hęresi nihil se dignũ inueniri,ꝓpter quod tãta damna paterẽt, mox sine ulla difficultate,ad unitatem & concordiam Ecclesiæ Catholicæ reuersi sunt.

Act.23. Diuisio inter Iudæos per Paulum facta.

Dissipare consilia cõiurationis.

Augusti. epist. 50. ad Bonifac. Comitem.

De Transactionibus, quibus seditioſi ad concordiam reuocantur, Caput IX.

TErtium remedium ciuilium discordiarũ est transactio, qua scilicet seditioſi certis legibus, uel datis uel acceptis, ad cõcordiam reuocãtur. Quo sane remedio tũ utimur, cum ratio iniri nõ potest, qua seditioſorũ cõiurationes, & consilia cõmode dissolui possint. Primũ igitur omniũ prudens Irenarcha curabit, ut iusta sit & honesta,quam cum seditioſis facit, transactio. Porro honestã à personis,rebꝰ,& cõditionibus denominamꝰ,ut si inter personas fiat,quorũ honesta cõcordia esse possit. Similiter si honestis de rebus,legibus,& cõditionibus,pax & cõcordia concilietur,iusta & honesta:Sin aũt inter personas,quarũ nulla iusta & honesta societas esse possit, aut de rebus turpibus & inhonestis cõditionibus, pax & cõcordia componatur,turpis & iniusta appelletur. Primũ igitur in facienda transactione,personę spectandę erũt: & si tales fuerint,inter quas iusta et honesta cõcordia esse possit,nihil prohibebit,quin pax inter eas transactioue,sed iustis tamen et honestis legibꝰ componatur. Sin uero eius conditionis sint, ut nulla inter eos honesta cõcordia esse possit, tum armata potius ui comprimẽtur mali,quam iniusta inter bonos & malos cõcordia cõcilietur. Itaqꝫ

Transactio honesta.

Transactio inhonesta.

Inter Catholicos & hæreticos non potest esse iusta et honesta pax & cõcordia.

inter Catholicos & hæreticos orta seditione, quoniã iusta & honesta inter eos pax & cõmunio esse nõ potest: siquidem cum hæreticis nullæ amicitiæ coiri possunt, ut cum quibus cibũ capere etiã prohibemur, & ne Aue quidem illis dicere debemus. Idcirco nec transactione huiusmodi seditio, si reuerti ad unitatẽ Ecclesiæ Catholicæ nolunt hæretici, sed armata potius manu extinguenda erit. De qua re & diuina lex extat. Sic enim in Deuteronomio scribitur. Si audieris in una urbium tuarũ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandũ, dicẽtes aliquos. Egressi sunt filij Belial de medio tui, & auerterũt habitatores urbis tuæ, atq; dixerũt. Eamus, & seruiamus dijs alienis, quos ignoratis: Quære sollicite, & diligenter rei ueritate perspecta, si inueneris certũ esse quod dicitur, & abominationẽ hanc opere perpetratam, statim percuties habitatores urbis illius in ore gladij, & delebis eam, omnia q; quæ in illa sunt, usq; ad pecora. Quicquid etiam suppellectilis fuerit, congregabis in medio platearũ eius, & cum ipsa ciuitate succendes: ita, ut uniuersa consumas Domino Deo tuo, & sit tumulus sempiternus. Non ædificabitur amplius, & non adhærebit de illo anathemate quicq; in manu tua, ut auertatur Dominus ab ira furoris sui, & misereatur tui, &c.

2. Corinth. 5.

Deut. 13.

Fugienda omnis cõcordia de rebus inhonestis.

Deinde danda opera erit, ut de rebus honestis, & iustis legibus, & cõditionibus, pax & cõcordia cum seditiosis transigatur. Fugienda est enim omnis de rebus turpibus & inhonestis conditionibus, inita cõcordia. Qualis est, quæ inter infideles, hæreticos & schismaticos, de persequendis Christianis & Catholicis initur. Item, quæ inter Catholicos fit & hæreticos, his adiectis conditionibus: Vt Catholici cum hæreticis in fide & religione cõmunicẽt: Vt Ecclesias, earũq; bona, quæ per uim occupant, retinere & administrare possint, & si quæ sunt similes, de quibus nonnihil etiam in libris nostris de Legationibus diximus. Sunt aũt aliæ leges, quibus rebelliones: aliæ, quibus factiones componũtur. Ac in sedandis quidem rebellionibus, omnium maxime cauendum erit, ne quid de Imperio & potestate dominorũ, aduersus quos rebellio excitata est, remittatur. Nam ubi semel impune dominorũ Imperium imminutum esse intellexerint subditi, & si acceptis legibus ad tempus quiescere uideãtur: tamen ubi uel minimam occasionẽ nacti fuerint, maioris libertatis aut licẽtiæ potius consequendæ spe, facile ad semel condonatam rebellionem reuertũtur. Sic per primam illam secessionem plebis in Sacrũ mõtem trans Anienẽ fluuium, omnibus Tribunitijs seditionibus fenestra aperta fuit: quia in tractatu cõcordiæ conditiones datæ sunt, ut plebi sui Magistratus essent sacrosancti, quibus auxilij latio aduersus Consules esset, neue cui patrũ capere eum Magistratũ liceret. Nam ad eum modũ Tribunis plebis creatis, ac Patrum Imperio nõ leuiter imminuto: mox alia super aliam, plebis nũc illos, nunc alios Magistratus, uel abrogari, uel creari petẽtis, aduersus patres

De Legation. lib. 3. c. 11.

Ne quid propter seditionem remittatur de iure & potestate superiorũ.

Tit. Liu. li. 2. ab urb. cond.

tres accensa seditio fuit. Quod Quintius Consul in oratione, quam urbi imminẽtibus Equis Volsciscq; ad populũ habuit, grauiter cõqueritur his uerbis. Discordia (inquit) Ordinũ est uenenum urbis huius, patrũ & plebis certamina: dum nec nobis Imperij, nec uobis libertatis est modus: dum tædet uos Patritiorũ, hos plebeiorũ Magistratuum sustulere animos. Proh deũm fidem, quid uobis uultis? Tribunos plebis cõcupistis, cõcordiæ causa cõcessimus: Decemuiros creari desideraſtis, creari passi sumus: Decemuirorũ uos pertęsum est, abiere Magistratu, manẽte in eosdem priuatos ira uestra: Mori atq; exulare nobilissimos uiros atq; honoratissimos passi sumus, Tribunos plebis iterũ creare uoluistis, creastis: Consules facere uestrarũ partiũ, & si patribus uidebamus iniquũ, patritiũ quoq; Magistratũ plebi donũ fieri uidimus: Auxilium Tribunitium, prouocationẽ ad populum, scita plebis iniuncta patribus sub titulo æquandarũ legũ, nostra iura oppressa tulimus. Quis finis erit discordiarũ, & quando cõmunẽ hanc patriam esse licebit? Victi nos æquiore animo quiescimus, quàm uos uictores. Satis ne est uobis, uos metuẽdos esse? Aduersq; nos Auẽtinũ capitur, aduersus nos Sacer occupat mons: Esquilias quidẽ ab hoste prope captas, & scãdentẽ in aggerẽ Volscũ hostẽ, nemo submouit, in nos uiri armati estis, &c. Iam et illud cauẽdũ erit, ne blãdis uerbis et adulationibus, prece aut precio, sed salutaribus admonitionibus, nõ fictis quidem illis, sed ueris & synceris, subditi ad obedientiam reuocẽtur: neq; enim diuturnũ esse potest, quod est simulatũ. In principio quidẽ uernat, in processũ tanq; flosculus dissipatur & soluitur: Quod autem uerũ & syncerũ est, alta radice fundatur. Cuius rei Diuus Ambrosius, ex libris Regũ tale affert exemplum. Absalon erat Dauid Regis filius, decore insignis, egregius forma, præstãs iuuenta: ita, ut uir talis in Israël nõ reperiretur, à uestigio pedis usq; ad uerticẽ immaculatus. Is fecit sibi currus, & equos, & uiros quinquaginta, qui præcurrerẽt ante eum. Surgebat diluculo, & stabat ante portã in uia: et si quem aduertisset, Regis iudicia quærentẽ, accedebat ad eum, dicens, Ex qua ciuitate es tu? Respondit ille: Ex una tribu sum de tribubus Israël seruus tuus. Referebat Absalon, Verba tua bona sunt & directa, et qui te audiat, nõ est tibi datus à Rege. Quis constituet me iudicẽ? & quisquis ad me ueniet, cuicũq; fuerit iudicium necessariũ, iustificabo illum. Talibus delinibat singulos sermonibus. Et cum accederẽt adorare eum, extẽdens manus suas, apprẽhendebat atq; osculabatur eos. Sic cõuertit in se corda omnium, dum blanditiæ huiusmodi intimorum tangunt uiscerũ sensum. Sed delicati isti & ambitiosi, elegerũt honorabilia, & grata ad tempus & iocunda. Vbi aũt parua processit dilatio, quam prudens omnium Propheta pauliſper cedendo interponẽdam putauit, nõ potuerũt tolerare atq; sustinere. Denicq; nõ dubitãs de uictoria Dauid, cõmendabat filium dimicaturis, ut ei parcerẽt.

Idem lib. 3. ab urb. cond. Oratio T. Quintij ad plebem seditiosam.

Vera, non adulatoria sit admonitio Irenarchæ.

Ambros. lib. 2. off. c. 22. 2. Reg. 15. Absalon seditiosus.

Cęterū prędio cū Absalon & alijs, qui illi adhęrentes, in patrē Dauid cōiurauerāt, facto: & Absalon quidē in quercu suspēsus, populus aūt ab exercitu Dauid cędsus est, in qua pugna uiginti hominū millia ceciderūt. Quo quidem exemplo liquidō demonstratur, ea esse perpetua & solida, quæ uera sunt, & quæ syncere potius q̄ dolo transiguntur: Ea uero, quæ simulatione atq; assentatione parta sunt, non posse diu perseuerare, ac proinde nec concordia simulatis & fictis uerbis pacta, diuturna esse potest. Nam qui fictis & simulatis promissionibus, uel assentatione ad obedientiam redimuntur atq; inuitātur, haud diu in fide manēt. Nam ab initio facile quidem, ꝓmissionibus et assentationibus capiuntur, sed quia antea imperia dominorū suorum declinare assueti sunt, si paulo duriora apparuerint: immo si uerbo perstrinxeris, immurmurāt, deserūt, & ut antea, obedientiam relinquunt. In factionibus aūt nihil refert, quibus cōditionibus & legibꝰ, modo non turpibus & iniustis, cōcordia cōcilietur. Postremo illud etiā diligenter custodiendum erit, ut quæ conuentiones & pacta cum seditiosis inita fuerint, ea firmiter custodiantur. Nam & hostibus ueteres fidem seruandam esse censuerunt, non solum Ethnici, sed etiam Christiani. Vt enim iustū est, hominē beneficio affici ab homine: sic nephas est, hominē homini contra iustitiā insidiari, siue amico, siue inimico. Propter quod & ueteres, ut ab omni etiam iniustitiæ suspitione procul abessent, aduersarios molliore appellatione nominarunt, peregrinos uocātes, quos nos hostes appellamus. Et Hebręi aduersarios suos Allophylos, hoc est, alienigenas Latino uocabulo dixerūt. Iuxta illud, quod in libro Regū. I. legimus. Et factum est in diebus illis, cōuenerūt alienigenę in pugnā ad Israēl. Ac proinde quę cū seditiosis, alijsq; hostibꝰ nostris, pacta à nobis inita fuerint, ea incōcusse seruāda erūt. Veluti si cōstitutꝰ sit cū hoste certus aut locus aut dies prędio, iniustum certe fuerit aut loco hostem, aut tempore præuenire, siue id cōtra expressa pacti uerba fiat, siue per callidū aliquod cōmentū, uerbis in alienum sensum detortis, contra pacisc̄tium sentētiam atq; uoluntatem. Quod Thraces olim fecerūt, qui pactis cū Bœotijs aliquot dierū induciis, noctu impressionē in eos fecerūt. Iam negligētius agētes inducіarū fiducia, atq; ex his nōnullos trucidarunt, aliquot uiuos abduxerūt. Deinde expostulantibus de uiolatis pactis, Bœotijs responderunt: Nihil se prędter pacta fecisse, dies non noctes pacto cōtineri. Ex qua re deinde ortū prouerbium, Thracium cōmentū, quo excogitatæ cauillationes denotātur, quibus pacta eludunt. Atq; idem quoq; diuinarū literarū testimonijs cōfirmatur. Nam & Dauid moriturus iam, suprema uoce filium Salomonem conuenit, ut innocentem sanguinem à se tolleret, quem fuderat Dux eius exercitus Ioab, quando Abner, cum dę ineunda societate tractaret, dux licet aduersarij agminis, insidijs appetitus occubuit: quem fleuit, et post luctum eius ambulans, depositis infulis, planctus exequiarum iusta curauit,

Ambros. lib. 2. off. c. 23.

Fides etiā hostibus seruāda est

1. Reg. 4.

Pacta cum hostibus, bona fide seruari dębent.

Strabo lib. 4. Geographiæ. Eraſ. Chil. 1. Cent. 10. Adag. 18.

3. Reg. 2.
2. Reg. 3.

Ambros. in Apologia Dauidis c. 9.

Quo nimirum facto, diuinus Propheta docuit, etiam aduersarijs fidem esse seruandam, tum honorandam quoq; in hoste uirtutem. Sed nec eandem in omnes hostes seueritatem exercendam, sed pro diuersitate offensionum, & qualitate victoriæ, uel leuius uel atrocius quod in nos peccauerint, ulciscendum esse putauerunt, ut & in hac quoq; parte iustitiæ æqualitatisq; ratio haberetur. Interest enim, utrũ aliquis pugna aliqua & conflictu graui capiatur, an superiore gratia, uel aliquo euentu. Quod Diuus Ambrosius Madianitarũ, & Syrorum hostium exemplis comprobat. Siquidem, inquit, uehementioribus hostibus & infidis, & his qui amplius læserint, uehementior refertur ultio: Vt Madianitis, qui per mulieres suas plærosq; peccare fecerant ex plebe Iudæorum. Vnde & Dei in populum patrum iracundia effusa est, & ideo factum est, ut nullum Moyses uictor superesse pateretur. Gabaonitas autem, qui fraude magis quàm bello tenuerant plebem patrum, non expugnaret Iesus, sed conditionis impositæ afficeret iniuria: Sic nec Syros Propheta extinguere uoluit, sed cum aliqua potius gratia dimittere. Sic enim legimus, quod in obsidione eius miserat Rex Syriæ exercitũ suum, cognito quod Heliæus esset, qui consilijs & argumẽtationibus eius obuiaret omnibus. Quem uidens exercitũ Giezi seruus Prophetæ, de salutis periculo trepidare cœpit, cui dixit Propheta. Noli timere, quoniam plures nobiscum sunt, quàm cum illis. Et rogãte Propheta, ut aperirẽtur oculi seruo suo, aperti sunt. Vidit itaq; Giezi totum montẽ equis repletum, & curribus in circuitu Heliæi, quibus descẽdentibus ait Propheta. Percutiat Dominus cęcitate exercitũ Syriæ. Quo impetrato, dixit ad Syros. Venite post me, & ducam uos ad hominem, quem quæritis. Et uiderũt Heliæum, quem corripere gestiebant, & uidentes tenere non poterãt. Cunq; Rex Israël dixisset: Nunquid percutiam eos pater mi? Et ille ait: Non percuties, neq; enim cœpisti eos gladio & arcu tuo, ut percutias: sed pone panẽ & aquam corã eis, ut comedant & bibãt, & uadant ad dominũ suum. Appositaq; est eis ciborũ magna prępara tio, & comederũt & biberũt, & dimisit eos, abieruntq; ad dominum suum, & ultra non uenerunt latrones Syriæ, in terrã Israël. Quibus sane exemplis liquido conuincitur, etiam in bello iustitiam fidemq; esse seruãdam: maxime quam belli duces hostibus promittunt. Nam quæ inter se duces belli paciscũtur, tanq; publicę conuentiones, de iure gentium seruandæ sunt. Cæterũ, priuatos nihil prohibet de iure ciuili, hostes contra promissa pacem fallere. Quo sane casu lucrum habet, quod dici solet. Dolus an uirtus, quis in hoste requirat. Vnde & dolum bonum appellant Iureconsulti, si quis aduersus hostem latronemue machinetur. De iure aũt Canonico etiam priuatorum pacta seruanda sunt, etiam simplici uerbo inita: quia inter simplicem loquelam & iuramentum, non facit Deus differentiam.

In uindicando de hostibus, seruanda est æquitas.

Amb. lib. 1. off. c. 29.

Vindicta de Madianitis.

Numeri. 31. Iosue. 9.

4. Reg. 6.

Benignitas Heliſæi Prophetæ erga Syros

Pacta, quæ duces belli promittũt, seruare oportet.

Dolo fallere pacta non licet.

L. 1. §. non fuit ff. de dolo. c. 1. de pactis. ubi not.

De sedi-

De seditionibus, per uim armatam comprimendis, Caput X.

SEditiones ui armata supprimi & extingui posse, multis quidem & ijsdem ualidissimis diuinarum literarum, & humanarū scripturarū, tam Ecclesiasticarum quàm ciuilium, testimonijs & decretis, in ijs libris, quos de hęret. & schismaticis scripsimus, probatū est. Cæterū, quibus modis aduersus seditiosos bella gerenda sint (quod quartū remedij genus contra seditionē esse diximus) non hoc meum est explicare: sed eorum potius, qui rerum militarium sunt periti & exercitati, quibus merito in hac parte cedo, omnemq; illis de tota re & statuendi & decernēdi authoritatē relinquo: tum si quæ statuerint atq; decreuerint, ijs libenter subscribam. Haud ignarus, si ijs de rebus uel statuendi uel decernendi authoritatem mihi sumerem, idem accidere mihi posse, quod Phormioni illi Peripatetico Philosopho, qui cum Hannibal Carthagine expulsus, Ephesum ad Antiochum uenisset exul, proq; eo quod eius nomen erat magna apud omnes gloria, inuitatus esset ab hospitibus suis, ut eum quem dixi si uellet, audiret. Cunq; is se non nolle dixisset, loquutus esse dicit homo copiosus aliquot horas, de Imperatoris officio, & de omni re militari. Tum cum cæteri, qui illum audierāt, uehementer essent delectati, quærebant à Hannibale, quidnam ille ipse de illo Philosopho iudicaret: hic Pœnus non optime Græce, sed tamen libere respondisse fertur. Multos se deliros senes sæpe uidisse, sed qui magis quàm Phormio deliraret, uidisse neminem. Idem certe non iniuria mihi quoq;, si de re militari præcepta dare præsumerem, merito obijci posset: homini uidelicet, qui utcunq; in re literaria, & aliquātulum etiam in administrationibus publicis, nunquam tamen in castris uersatus sum. Illud tantum iustum, pium, & prudentem Irenarcham, aliosq;, qui ad comprimēdos armata manu seditionum tumultus destinati fuerint, obseruare oportebit, ut manus conserturi cum hostibus, primū omnium confiteantur peccata sua, & Dei misericordiam implorent, clamantes & dicentes cum filijs Israēl. Peccauimus tibi, quia dereliquimus te Dominū Deum nostrū. Item: Peccauimus, redde tu nobis quicquid placet, tantū nūc libera nos. Et cum Asa cōtra Zaram Æthiopē pugnaturo. Domine non est ulla apud te distantia, utrū in paucis auxilieris, aut in pluribus: adiuua nos Domine Deus noster: in te enim & in tuo nomine habentes fiduciam, uenimus cōtra hanc multitudinē. Dominus Deus noster tu es, non prævalet contra te homo.

Inexperti de bello nō debent differere.

Cicero lib. 2. de Oratore.

Phormio senex delirus.

Ante prælium Dei opem implorare.

Iud. 10.

2. Paral. 14.

Quemadmodum igitur pij Reges cum hostibus conflicturi, omnem sæpe spem & fiduciam in Deum collocarūt: Ita & eorū exemplum

plum sequuti Christiani Principes,& quicunq; alij seditionibus militari manu extirpandis prepositi,& ipsi in uirtute Dei, nõ in humana potẽtia confidere debẽt,& cum Propheta Dauid dicere. Hij in curribus,& hij in equis: nos aũt in nomine Dei nostri inuocabimus,&c. *Psal. 19.*

Sane hoc remedio belli Romani omniũ maxime seditiones seruiles sanarũt. Sic Syrus ille seruus,Eunus nuncupatus,qui collecto exercitu quadraginta amplius millia,& castra Prætorũ ceperat,& Duces Prętorios profugauit: tandem Perpenna Imperatore bello superatus est. Simili exemplo seditionem à Cylice seruo cõmotam,qui & ipse conflato exercitu,Prętorios exercitus fuderat,Aquilius bello extinxit. Intercluſum siquidem hostem commeatibus,ad extrema compulit, cõmunitasq; copias armis, fame deleuit. Pulchra sane uictoria contra seruos, sed rarioris aliquanto exempli Scytharum aduersus seruos suos,quam Iustinus ad hunc modum narrat. Scythæ (inquit) tertia expeditione Asiana, cum annis VII. à coniugibus & liberis abfuissent,seruili bello domi excipiuntur. Quippe coniuges eorum longa expectatione uirorum fessæ, neciam teneri bello,sed deletos ratæ,seruis ad custodiam pecoris relictis ,nubunt : qui reuersos cum uictoria dominos,uelut aduenas armati finibus prohibẽt. Quibus cum uaria uictoria fuisset,admonentur Scythę mutare genus pugnæ, memores non cum hostibus, sed cum seruis prælíandum, nec armorum,sed dominorũ iure uincendos: uerbera in aciem,non tela ferenda,omisso; ferro,uirgas & flagella, cęteraq; seruilis metus paranda instrumenta. Probato omnes consilio, instructi sicut præceptum erat, postquàm ad hostes accessere, inopinantibus uerbera intentant, adeoq; illos perturbant, ut quos ferro non poterant, metu uerberum uincerent:fugamq; non ut hostes uicti, sed ut fugitiui serui capesserent. Quicunq; capi potuerunt, supplicia crucibus luerunt. Mulieres quoq; male sibi conscię, partim ferro, partim suspendio uitam finierunt.

Lucius Florus lib.3. cap.19. Bella seruilia.

L. Flo. ubi supra.

Iust. lib.3.]

Serui uirgis & flagellis, non armis uincendi.

Quin & illud curare debent, quibus comprimendarum seditionum cura demandata est, ut quantum fieri potest, incruentam aduersus seditiosos obtineant uictoriam: Quod eò facilius fiet, quo seditiosorum plærunq; inter se discrepantium consilijs iusti Irenarchæ prudentia,ac bellicis ad eam rem pertinentibus strategematis dissipatis, ipsi uelint nolint pestiferam coniurationem deserere cogantur.

Præcauenda cruenta in seditiosos uictoria.

DE SEDITIO.

DE SEDITIONIBVS

LIBER QVINTVS, QVI EST DE POENIS SEDITIOSORVM.

Quis modus, in constituendis seditiosorum pœnis, seruandus sit: ac primum de generali seditiosorum pœna, Cap. I.



Edato itaq; utcunq; & compresso aliquantulum uel per diuisionem, uel per transactionem, uel per uim armatam, ciuilium discordiarum motu: quintũ remedium adhibendum erit, quam publicam, quæ de seditiosis sumitur, uindictam & pœnam esse diximus. In qua constituenda prudens Irenarcha, primum omnium ita affectus esse debet, ut amore corrigendi, non odio persequendi eam ipsam infligat. Sic enim non solum castissimæ innocentiæ, sed etiam diligentissimæ seueritatis officium implebit: quin ita etiam moderabitur pœnam, ne maioris turbationis & periculi causa, quàm præsentis morbi curatio existat. Cum igitur eis, per quos Respublica regitur, adest pace salua potestas disciplinæ aduersus improbos & nefarios homines exercendæ, tunc neq; secordia, neq; segnitie dormiendum est illis, sed aculeis pœnarum, quæ ad seueritatem pertinent, seditiosorum crimina coërcenda: Sic, ut nec patientiæ nomine torpescere, nec obtentu nimiæ diligentiæ sæuire uideantur. Nec iusta est misericordia, qua in perniciem bonorum malis parcitur. De malis siquidem coërcendis, scriptũ est in lege, Non misereberis illius. Et in libro Regum legitur, quòd Saul contraxit offensam, quia miseratus est Agag, hostium Regem, quem prohibuerat diuina sententia seruari. Vbi autem per graues dissensionum scissuras, non huius aut illius hominis est periculum, sed plurimorum strages iacet: Detrahendum est aliquid seueritati, ut maioribus malis sanandis, synera charitas subueniat. Ac generaliter quidem respiciendum est iudicanti, ne quid durius aut remissius constituatur, quàm causa deposcit: & ne maior pœna, quàm culpa sit: & ne ijsdem de causis alij plectantur, alij ne appellentur quidem. Nec enim aut seueritatis, aut clementiæ gloria affectanda est, sed perpenso iudicio, pro ut quæq; res postulat, statuendum est. Ac in leuioribus quidem causis, promio-

res

c. ita plane 23. q. 4. Affectus Irenarchæ in uindicta

Deut. 19. 1. Reg. 15.

c. ipsa pietas 23. q. 4.

l. respiciendum ff. de pœnis. Cic. lib. 1. de officijs.

res ad lenitatem iudices esse debent: in grauioribus pœnis seueritas legum cum temperamento aliquo benignitatis mitiganda est, & ut prouerbio dicitur: Sali adhibendum oleum. Ac primum quidem extant de seditiosorũ pœna, cõstitutiones tam Canonicæ quàm ciuiles. Sic enim in Concilio Chalced. constitutum est. Coniurationum & conspirationum crimen, quod apud Græcos dicitur Pharatrea, publicis etiam legibus certum est penitus inhiberi: hoc multo magis in sancta Dei Ecclesia, ne fiat, conuenit abdicari. Si qui uero Clerici uel Monachi inuenti fuerint coniuratores, aut conspiratores, aut Pharatreas uel factiones componentes aliquas, suis Episcopis, aut alijs omnino cadant de proprio gradu. Et Calixtus Papa de eadem re. Antecessores (inquit) nostri, cum plurima turba Episcoporum, quicunq; huius criminis rei in sacerdotali honore sunt positi, aut existũt Clerici, honore, quo utuntur, carere præceperunt: cęteros uero communione priuari, et ab Ecclesia extorres fieri iusserũt, omnesq; simul utriusq; ordinis uiros infames esse censuerunt, & non solum facientes, sed etiam consentientes. Lex uero ciuilis, quam Leo Imperator tulit, ad hunc modum habet. In nullis, inquit, locis, aut ciuitatibus, tumultuosis clamoribus cuiusquam interpellatio contumelioſa procedat, nec ad solam cuiusq; inuidiam petulantia uerba iactentur: Sciturus his, qui huiusmodi uoces emiserint, mouerintq; tumultus, se quidem fructum ex his, quę postulant, nullatenus habituros: subdendos autem pœnis his, quas de seditionibus & tumultus authoribus, uetustissima decreta sanxerunt. Est autem seditiosorum pœna, ueterum Decretis & Constitutionibus introducta, eâdem quæ est per legem Corneliam in Sicarios, ueneficos, & alios homicidas constituta. Sed & de ui publica tenentur, qui turbæ seditionisue faciendæ consilium inierint. Atq; hæc sanè pœna seditiosorum generalis est: sed quæ uel remissius, uel durius, pro diuersis criminis circunstantijs, irrogatur. Nam etsi omnis seditio noxia sit & periculosa, et ob id graui etiã pœna dignum crimen sit, ut qua pax & tranquillitas publica, omnisq; adeo iustitia turbatur atq; conculcatur: tum iura & leges, quibus Reſpublicę gubernantur, uel negliguntur, uel prorsus subuertuntur, ut supra demonstratum est: Tamen ut in cæteris delictis, ita etiam in seditionibus accidit, ut propter circunstantias diuersas, alia lenior sit, alia grauior. Ac leuiores quidem remissius: grauiores uero seuerius puniendæ. Sunt autem circunstantiæ, propter quas seditiones pœna uel graui ore, uel leniore puniuntur: Causa, persona, locus, tempus, qualitas, quantitas, euentus. De quibus omnibus & singulis, ordine dicemus.

c. de seditiosis lib. 2.

c. coniurationum 11. q. 1.

c. conspirationum. 11. q. 1.

l. 3. §. alio ff. ad leg. Cor. de sic.

l. in eadem. l. qui cetu ff. de ui. publ.

l. aut facta in princip. ff. de pœnis.

Bald. in l. non ideo minus C. de accus. Idem Bald. in Aut. sed nouo iure. c. de ep. et cle.

Propter cauſam ſeditionum aliam alia grauiorem eſſe uel leuiorem, & ob id pœna etiam ſeueriore uel mitiore dignam, Caput II.

Ariſt. lib. 2. Eth. c. 6.

Actus mali ſimpliciter.

ARiſtoteles inter affectus & actus humanos hanc differentiam facit, ut quidam per ſe praui ſint & mali, quicq; adeo continuo nomine ſuo cum prauitate ſint coniuncti. Vt maleuolentia, impudentia, inuidentia, adulterium, furtum, homicidium: quæ ita mala ſunt, ut nullum tempus ſit, quo perpetrata, bona eſſe aut uideri poſsint. Quia quicquid iſtorum, et quandocunq; efficitur, ſemper delinquitur. Alij actus indifferẽtes, id eſt, neq; boni, neq; mali ſunt, ut qui nullo conſilio, ſed caſu fiunt. Alij boni maliue ſunt, non quidẽ per ſe, ſed ſecundum eius, qui operatur, propoſitum. Atq; ad hunc ſanè modum legibus quoq; ciuilibus quædam tam quam per ſe, & in genere ſuo mala prohibentur: quædam propter bonam malamue eorum, qui agunt, intentionem & propoſitum: tum propter bonas malaſue circũſtantias, uel bona uel mala eſſe iudicantur. Vnde & uulgaria illa & trita luriſconſultorum uerba nata ſunt. Voluntas & propoſitũ, diſtinguunt maleficia. Item. In delictis ſpectamus, quod principaliter agitur. Item. Affectio operi nomen imponit, & ſi qua ſunt ſimilia. Adeo autem uoluntas & intentio opus uel bonum uel malum reddunt, ut ea etiam, quæ ſunt de genere prohibitorum, ſi bona intentione fiant: ipſa quoq;, mutato nomine, iuſta & bona eſſe dicantur. Sicut interficere hominem malum eſt, & de genere prohibitorum, immo & lege diuina prohibitum. Nam lex ait. Non occides. Ideoq; qui mala intentione hominem interficit, homicida eſt, & ut homicida pœna legis Corneliæ de Sicariis percellitur. Et tamen qui hominem occidit, uel Deo iubente, uel lege permittente, uel iudice mandante, neq; homicidij reus eſt, neq; ut homicida puniri poteſt. Ideoq; nequaquam contra hoc Præceptum, quo dictũ eſt: Non occides, fecerũt, qui Deo authore bella geſſerunt. Et Abrahã non ſolũ non eſt culpatus crudelitatis crimine, uerũ etiã laudatus nomine pietatis, quod uoluit filium nequaquam ſceleratè, ſed obedienter occidere. Sed nec homicidæ ſunt, qui perſonã gerentes publicæ poteſtatis, ſecundum ius legis, ideſt, iuſtiſsimæ rationis Imperium, ſceleratos morte puniunt. Non enim fruſtra ſunt inſtituta, poteſtas Regis, & cognitoris ius, ungulæ carnificis, arma militis, diſciplina dominantis, ſeueritas etiam boni patris: Habent omnia iſta modos ſuos, cauſas, rationes, utilitates. Hæc cũ timentur, & mali cõercentur, & boni quiete inter malos uiuunt. Igitur miles, cum obediens poteſtati, ſub qua legitime conſtitutus eſt, hominem occidit, nulla ciuitatis ſuæ lege reus eſt homicidij: Immo niſi fecerit, reus eſt Imperij

Actus indifferentes

l. 1. c. ad leg. Cor. de Sica. l. qui iniuriæ. ff. de furtis. l. quid Reipu. ff. de iniurijs. l. ſi non conuicij. C. de iniurijs.

Exod. 20.

c. cum homo. c. non ſolum. 23. q. 5.

Geneſ. 22.

c. non fruſtra. 23. q. 5.

c. miles. 23 q. 5.

Imperij deserti atq; contempti. Quod si sua sponte atque authoritate fecisset, in crimen effusi humani sanguinis incidisset. Itaq; unde punitur, si fecerit iniussus: inde punietur, si non fecerit iussus. Sic qui ob tutelam corporis sui, uel ut ab alio propulset iniuriam, occidit alium: quia iure id fecisse existimatur, nequaquã homicidij reus esse dicitur. Cum igitur homo ab homine occiditur, multũ distat, utrum fiat nocendi cupiditate, uel iniuste aliquid auferẽdi, sicut fit ab inimico, sicut à latrone: an ulciscendi uel obediendi ordine, sicut à iudice, sicut à carnifice: uel euadendi uel subueniẽdi necessitate, sicut interimitur latro à uiatore, hostis à milite. Sic contumelia, conuitium, aut quæuis alia iniuria, etsi de genere prohibitorum sit: tamen si non iniuriandi animo fiat, neque iniuriæ nomen retinet, nec ab eo, qui se ea læsum esse dicet, uindicari poterit. Sic quod Reipublicæ uenerandæ causa, secundum bonos mores fit, etiamsi ad cõtumeliam alicuius pertinet: quia tamen non ea mente Magistratus faciat, sed ad uindictam Maiestatis publicæ respiciat, actione iniuriarum non tenetur. Et ad eundem modum seditio, quamuis & ipsa mala sit, & de genere prohibitorum, tamen si non turbandæ Reipub. causa, sed ex alijs iustissimis & honestis causis excitetur, neq; mala esse dicetur, nec qui eam cõcitarunt, seditiosorum pœnam sustinebunt. Quemadmodum à crimine & pœna conspiratorum immunes fuerunt, quadraginta illi Illyrici & Græciæ Episcopi, qui conuenientes in unum, per confessionem in scriptis factã, & à proprio Metropolitano, Timotheo uidelicet, Patriarcha Constantinopolitano, quem Concilio Chalcedonense anathematizauerat, discesserunt, & Romam mittentes, Romano Episcopo communicare in scriptis professi sunt: quia iustam aduersus hæreticum Episcopum conspirandi, & ab eius communione deficiendi, causam habuerunt. Sic nec seditiosorum pœnæ obnoxij fuerunt multitudines populorum, qui ab Episcopo suo Dioscoro recesserũt: quia non à quibus potuit, manus impositionem acceperat. Iusta enim erat dissensionis eorũ causa, quam & protinus allegabant, dicentes. Quia secundum quod cõtinent Canones sanctorum Apostolorum, non est factus Episcopus, & ideo non recipietur. Principes enim intronizauerãt eum. Sic factionum certaminibus perturbata Republica, alijs quidem ad priuatum commodum spectantibus, alijs uero maiestatem Reipublicæ defendentibus, eã quidem partem, quę congregatis etiam armatisq; hominibus Reipub. iura tuetur, nec seditiosam esse, nec uim publicam priuatamue his, qui priuato commodo studentes Reipublicæ, tranquillitatem turbare conantur, inferre. Ac proinde nec pœna etiam seditiosorum obnoxiam esse dicemus. Nam si uim nobis inferentibus, cõgregatis hominibus, armis repellere possumus, quo minus de possessione rerũ nostrarũ deijciamur: quanto magis permissum est, coactis etiam & armatis hominibus,

l. ut uim. ff. de iust. & iur.

l. si nõ cõuicij. C. de iniurijs.

l. quod Reipu. ff. de iniurijs.

Seditio nõ semper crimen est.

c. sane, 16. q. 7.

l. 3. §. eum igitur. ff. de ui & ui arma.

Bar. in tract. de Guelph. & Gibell.

eos qui uim Reipublicæ inferunt, armis repellere? Sed & Tyrannum Rempublicam, propter commodum priuatum opprimentem, licebit ui armata coërcere: si tamen in defectum auxilij superioris id fiat, & ut Reipublicæ status conseruetur, non ut noua Tyrannis inducatur. Nam si aduersus milites uel priuatos, qui nocturni populatores agros intrauerint, aut itinera frequētata insidijs aggressionis obsederint, libera resistendi facultas tribuitur, et quod sęuū est punire iudicio, id ui armata, & propria authoritate uindicare: Quanto magis ad repellendam à Republica Tyrannicam crudelitatem omnibus licentia dabitur, ubi iudicis defuerit auxilium, etiam publicam Tyrannorum iniuriam congregatis & armatis hominibus uindicare, ut quam omnes defendere iure naturali tenentur. Idcirco qui ad hunc modū Rempub. à Tyrannide liberant, etiamsi id tumultu quodam & perturbatiore motu fiat, tamen ob id minime in pœnam seditiosorum incidunt. Nam regni Tyrannici, quoniam iniustum est, non potest turbatio seditiosa uideri, nisi medicina ipsum modum excederet, maiusq; incommodum ex destructione Tyrannidis, quàm ex Tyrannico regimine Reipublicæ afferretur.

Liberare Rempub. à Tyrannide.

C. de iud. l. nullus & ibi not. ff. de his quæ in fraud. cre. l. ait Prætor, §. si debitorē ff. de op. noui. nunc. l. de pupillo §. fi. & l. sequen.

Seditiones quædam bonæ & utiles.

Cic. lib. 1. de Oratore.

Iam & seditiones quędam à summis Oratoribus non solum non reprehenduntur, ut malæ: sed etiam commendantur, ut iustæ, bonæ & Reipub. utiles. Sicut Antonius apud M. Ciceronem, ostendens, quomodo C. Norbanum sodalem & Quęstorem suum, quem Sulpitius tanquam seditiosum ciuem accusauerat, ipse defenderit. Omnium, inquit, seditionum genera, uitia, pericula, collegi: eamq; orationem ex omni Reipub. nostræ temporum uarietate repetiui, conclusiq; ita, ut dicerem, etsi omnes molestæ semper seditiones fuissent, iustas tamen fuisse nonnullas & prope necessarias: tum illa, quæ modo Crassus commemorabat, egi, neque reges ex hac ciuitate exigi, neq; Tribunos plebis creari, neq; plebiscitis toties Consularem potestatem minui, neq; prouocationem patronam illam ciuitatis, ac uindicem libertatis populi Romani dari, sine nobilium dissensione potuisse: ac si illę seditiones saluti huic ciuitati fuissent, non continuo, si quis motus populi factus esset, id C. Norbano in nefario crimine, ac in fraude capitali esse ponendum, &c. Atq; ex his omnibus colligimus, seditionem propter causam, uel bonam esse uel malam: & earum quæ malæ sunt & iniustæ, aliam quidem alia esse uel grauiorem uel leuiorē, atq; ob id pœna etiam grauiore uel mitiore dignam. Ac inter iniustas seditiones, non immerito eorum quoq; conspirationem numerauerimus, qui improbe coëunt in alienā litem, ut quid ex condemnatione in rem ipsius actum fuerit, inter eos communicaretur: Propter quod & lege Iulia de ui priuata, & lege Cornelia de falsis, & pœna concussionis tenentur.

Seditio ex causis iudicanda.

l. ex Senatus Consulto ff. ad leg. Iul. de ui priuata, et l. 1. §. 1. ff. ad l. Cor. de fals. ff. de concuss. l. 2.

De

De differentia Personarum, propter quas pœna uel grauior, uel leuior contra seditiosos constituitur, Caput III.

PErsona in crimine seditionis, ut in cęteris delictis, dupliciter spectatur: Eius qui fecit, & eius qui passus est. *l. aut facta §. Persona. ff. de pœnis.*

Earum autem personarum, per quas seditio concitatur, quædam minoris ætatis sunt, quædam maioris: aliæ mares, aliæ fœminę: aliæ nobiles, aliæ plebeĭ: aliæ liberi, aliæ serui. Sic & inter personas, contra quas seditiones exercentur, differentia est. Nam quædam seditiones a filĭjs in parentes, quædam à seruis in dominos, quædam à subditis in Principes & Magistratus suos, quædam à ciuibus inter se concitantur. Ac propter diuersitatem personarum, utriusq; generis pœnæ quoq; in seditiosos uel sęuiores uel leuiores constituuntur: De quibus deinceps iam ordine dicemus. Distinctio inter personas uarias.

In primo igitur genere personarum, primum sibi locum uendicant seditiones iuuentutis, quæ ad concitandos tumultus, propter feruentiorem sanguinem, natura procliuior est: propter quod & leuissimis ex causis, turbulentis se acclamationibus accommodare solet, maxime uero contentione propter nuptias, aut alias iuuentutis illecebras inter iuuenes orta. Ex quibus causis magni sæpe tumultus oriuntur. Cuius rei aliqua exempla ex Græcis scriptoribus ab Aristotele referuntur, & memorabile est, quod Liuius alibi de duobus iuuenibus, unius uirginis nuptias ambientibus, narrat, cuius supra quoq; meminimus. Seditiones iuuentutis. *Arist. lib. 5. Pol. c. 4.*

Sed & mulieres sæpe ad seditiones commouentur, qualis fuit apud Scythas Amazonum ex factione Optimatum orta, per quam cum duo Regĭj iuuenes, Plynos & Scholpythus, domo pulsi fuissent, ingentem iuuentutem secum traxere, & in Cappadocię ora iuxta amnem Thermodoonta consedere. Ibi per multos annos spoliare finitimos consueti, tandem per insidias populorum trucidati sunt. Horum uxores cum uiderent exilio suo abditam orbitatem, arma sumpsere, & fines suos contra finitimos bella inferentes, defenderunt. Et ne fœliciores aliæ alĭjs uiderentur, uiros, qui domi remanserunt, interfecerunt. Tunc pace armis quæsita, ne gens interiret, concubitum finitimorũ ineunt: si qui mares nascebantur, interficiebantur. Virgines in eundẽ ipsum morẽ, non ocio neq; lanificio, sed armis, equis, uenationibus exercebantur, inustis infantium dexterioribus mammis, ne sagittarũ iactus impediretur: Vnde & Amazones dictę sunt. Satis quidẽ cruenta illa, quam dixi Amazonum mulierum seditio: Sed mitior aliquanto Ro. matronarũ, abrogationem legis Oppiæ petentium, quæ nulla nec authoritate, nec uerecundia, nec imperio uirorum retentę, omnes uias urbis aditusq; *Iustinus lib. 2.* Amazonũ seditio. Seditio matronarum Ro.

T. Liuius lib. 4. de bello Maced. & Asiat.

in forum obsederunt: Viros descendentes in forum, orantes, ut florente Republica, crescente indies priuata omnium fortuna, matronis quoq; pristinū ornatum reddi paterentur, sed & COSS. Prætoresq;, & alios Magistratus adire & rogare audebant. Ac parum abfuit, quin ex illa muliebri seditione, uirorum quoq; discordia concitata fuisset, alijs uidelicet abrogationem legis Oppiæ, quam mulieres petebant: alijs ut lex, quemadmodum matronæ rogauerant, abrogaretur, suadentibus.

Quid statuit lex Oppia.

Erat autem lex Oppia, quam M. Oppius & T. Romuleius Tribuni plebis, Q. Fabio & T. Sēpronio COSS. in medio ardore Punici belli tulerant, ne qua mulier plus semiuncia auri haberet, neu uestimento uersicolori uteretur, neu iuncto uehiculo in urbe oppidoue, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa, ueheretur.

l. 1. ff. de minoribus, l. 2. § uerba ff ad Sen. Consult. Vell.

Etsi autem in multis iuris articulis minoribus, & mulieribus, propter ætatis & sexus infirmitatem, contra iuris rigorem subuenitur: Tamen nullum est auxilium, quod in delictis eis suffragetur. Infirmitas enim ætatis & sexus, non dolus & calliditas auxilium sumit. Quanquam interdum miseratio ætatis, iudicem ad mitiorem pœnam perducat.

l. Auxilium. § in delictis. ff. de minorib.

Ac de pœna seditiosæ iuuentutis, ad hunc modum ueteres constituerunt. Solent quidem (inquit lex) qui uulgo se iuuenes appellant, in quibusdam ciuitatibus turbulentis se acclamationibus accommodare: qui si nihil amplius admiserint, nec ante sint à Præside admoniti, fustibus cæsi dimittuntur, aut etiam spectaculum eis interdicitur. Quod si ita correpti, in ijsdem deprehendantur, exilio puniendi sunt, nonnunquam capite plectendi: scilicet, cum sæpius seditiose & turbulenter se gesserint, & aliquoties apprehensi tractati clementius, in eadem temeritate propositi perseuerauerint: serui cæsi solent dominis reddi. At mulieres seditiosæ in hoc, sicut in cæteris delictis, parem cum uiris pœnam habent. Quemadmodum enim mulieres in perpetrandis delictis non minus dolosæ & fraudulentę, immo sæpe etiam callidiores sunt uiris, à quibus & uiri plærunq; decipiuntur: Propter quod recte Sapiens. Ne intenderis (inquit) fallaciæ mulieris, quia mulier uiri precios am animam capit: Ita iustum est, ut in eodem genere delicti, par etiam pœna tam uiros quàm mulieres constringat.

Luuenum pœna propter seditiones.

Mulierum pœna propter seditiones.

Prouerb. 5. & 6.

l. cum cōditionaliter. C. de quæstionib.

Atq; ex hac causa in delictis, pro excutienda ueritate, de mulieribus per tormenta quęstio haberi potest: de quibus & pœnæ pro qualitate delictorum sumuntur, siue in se confessæ crimina, siue legitimis probationibus fuerint cōuictæ. Sic mulier, quę intra quadraginta dies post conceptum partum, intra quod tempus nec dum animatus est uisceribus suis, post diuortium uim intulerit, ne filium procreet, temporali exilio coērcetur.

Pœna mulieris de abacto partu.

l. Cicero. ff. de pœnis.

Quæ uero accepta pecunia, post quadragesimū diem partū iam animatū sibi medicamentis abegit, lege Cornelia de Sicarijs, & lege Pompeia de Parricidijs tenetur.

tur, & ultimo supplicio afficitur. Sic simili pœna plectuntur uir & mulier, qui adulterium cum incestu, furtum, aliaue similia crimina committunt. Atq; ex his omnibus concludimus, seditiosas mulieres, pœna quoq; legis Corneliæ de Sicarijs, & legis Iuliæ de ui publica, quæ in seditiosos constitutæ sunt, æque sicut uiros teneri, à qua pœna eas neq; ætas, neq; sexus, modo sint doli capaces, excusat. Infirmitas enim, nõ calliditas mulieribus auxiliũ præstat, idq; nõ in delictis, sed in ciuilibus causis. Neq; enim in delictis propter fragilitatem corporis, mulieri impunitas conceditur. Nam etsi multis fœmina corporis incommodis obnoxia sit, tamen & maiores sæpe dolores, & uulnera etiam maiora, quàm uir sustinere potest.

l. si adulterium cum incestu. ff. ad leg. Iul. de adult.

ff. ad SC. Velleï. l. 2. gl. in l. nihil interest. ff. de adult.

Cæterum eò priuilegio gaudet pregnas mulier, ut pœna eius, quoad pariat, ac nutrix, quæ partum foueat, haberi possit, differatur: Immo ne quæstio etiam de ea habeatur, quamdiu pregnans est. Quanquam non mulieri, sed partui potius, qui non tantum parenti, cuius esse dicitur, sed etiam Reipublicę nascitur, huiusmodi priuilegium conceditur.

l. pregnantis. ubi Bar. de pœnis.

l. 1. § si ea. ff. de uentr. in poss. mittend.

In uno eodemq; genere delicti, pœnas in seditiosos pro conditione et qualitate personarum, uel seueriores, uel leuiores constitui, Cap. IIII.

RECte & prudenter ueterum constitutionibus sancitum est, ut pœnę pro cõditione & qualitate personarum, uel grauiores, uel mitiores in uno eodemq; genere delicti cõstituantur. Est aũt ea personarum, quod ad irrogationem pœnarũ attinet, differentia: Vt eorum qui delinquunt, quidam Ecclesiastici sint, quidam sæculares: quidam nobiles, quidam plebeij: quidam publicis honoribus & muneribus fungantur, quidam priuatam agant uitam: quidam liberi, quidam serui: & liberorum quidam honestiore, quidam humiliori loco nati: quidam honestioris, quidam fordidioris conditionis: quidam etiam nullius dignitatis capaces sint. Quales sunt artifices Mechanici, ut Pistores, custodes portarum, custodes pratorum, seu pascuorum, Saltuarij, alijq; alia eiusdem generis uilia ministeria exercentes. Quarum multa in constitutione Gord. Imperatoris, quæ est sub titulo de excus. munerum, Decimi libri Codicis, enumerantur.

l. Pedius. ff. de Incend. rui et naufr. ubi Bar. c. de ord. cog. l. 3.

Multiplex differentia personarũ

l. ne quis. C. de dig. lib. 12. & ibi 10. de plat. et l. maximarũ ubi idem 10. de platea. C. de excus. lib. 10.

Sed & utriusq; Ordinis Ecclesiastici et sæcularis, distincti gradus sunt: Vt in Ecclesiastico ordine, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Suddiaconi. In sæculari, Principes, Comites, Barones &c.

Ordo.

Dignitas. Rursus dignitatum quoq;, & munerum publicorum differentia est. Quippe eorum, qui dignitate prędditi sunt, alij Illustres, alij Spectabiles, alij Clarissimi, alijsq; modis alij alijs, uel superiores sunt uel inferiores. Ac propter hanc quidem differentiam personarũ, & earundem qualitatem & conditionem, delicta in una persona grauius, in alia mitius puniuntur. Sunt enim discrimina pœnarũ, neq; omnes eadem pœna affici possunt. Quemadmodum de Decurionibus constitutum est, ut in metallum damnari non possint, nec in opus metalli, nec furcæ subijci, uel uiui exuri. Et si forte huiusmodi sententia fuerint affecti, liberandi erunt. Sic nec Præses prouinciæ, puniri Decurionẽ permittere sibi debet, sed recipere eũ in carcerẽ, & Principi scribere de pœna eius. Sic nec quæstio de Decurione haberi debet, etiãsi munera Decurionatus deposuerit. Nam & propter pristinã dignitatem, quæstionem non patitur. Et generaliter uiri in dignitatibus constituti, usq; ad pronepotes, & eorum liberos, plebeiorum pœnis & quæstionibus non subijciuntur. Sed & pro qualitate & conditione personarum, discrimen quoq; in custodia earum seruandum est, de qua re olim Proconsul æstimare solebat, utrum in carcerem recipienda esset persona, an militi tradenda, uel fideiussoribus committenda, uel etiam sibi: Nam hij fere modi sunt custodiæ personarum. Hoc autem uel pro criminis, quod obijciebatur, qualitate, uel propter honorem, aut propter amplissimas facultates, uel pro innocentia personæ, uel pro dignitate eius, qui accusabatur, facere solebat: Quo iure & hodie utimur. Nam pro personarum dignitate, & qualitate delictorum, alij carceri mancipantur, alij militi custodiendi traduntur, alij fideiussoribus, uel sibi, id est, cautione iuratoria à se præstita, de sistendo iuri & respondendo dimittuntur.

l. moris §. sed enim ff. de pœnis.

l. si matrem. C. eo.

l. pe. C. de quæstioni.

l. diuo. ff. de quæstionib.

Discrimen personarũ in custodia reorum.

l. 1. ff. de custr.

l. si grauis, c. de dig. lib. 12. l. diui fratres. §. fi. ff. de pœnis. l. omnes iudices. C. de decur. lib. 10.

Sic in grauioribus delictis, in quibus plebeij carceri introduntur, Illustres militi committuntur, & interim cuiusmodi delictum sit, & qualis pœna imponenda, Principi suggeritur. Idem de Decurionibus, Principalibusq; ciuitatum, qui capitale crimen admiserunt, obseruatur: ut si quid admisisse uideantur, propter quod relegandi extra prouinciam in insulam sint, uincti custodiantur, et Imperatori, quod quisq; cõmiserit, scribatur. Sed nec Illustres propter crimẽ publicum uel priuatũ, cui tamen nõ per procuratorẽ respondere liceat, coram alio iudice, quàm Principe, uel cui Princeps cognitionẽ criminis demandauerit, accusari possunt. Cæterum coram Commissario Principis accusati, etsi absolui quidem innocentes possunt: condemnari tamen nocentes inconsulto Principe non possunt. Atq; ex his opinor perspicuũ iam fit, pœnas pro qualitate & conditione personarum in eos quidem, qui dignitate aliqua prædditi sunt remissiusi in eos uero, qui loco sunt humiliori, & conditionis sordidioris, seuerius decerni. Quod ita tamen accipiendum est, ut si dignitas crimen augeat,

l. quoties. C. ubi Senato. uel clariss. lo. de Platea in d. l. omnes iudices. C. de Decur.

augeat, pœna quoq; augeatur: Sin uero propter dignitatem leuius sit crimen, ipsa quoq; pœna leuior irrogetur. Sin dignitas crimen non augeat, nec minuat, qualitas pœnæ spectatur: ut si corporalis sit, grauior plebeio & priuato, quàm nobili atq; in dignitate constituto. Sin uero pecuniaria sit, maior diuiti, quàm pauperi imponatur. Sic quædam delicta Pagano, aut nullam aut leuiorem pœnam irrogant: militi uero grauiorem uel leuiorem. Nam si miles artem Ludricam fecerit, uel in seruitutem se uenire passus est, capite punitur. Quia ut huiusmodi delicta in persona militis, dignitate, gradu, speciecq; militiæ augentur: Ita pœna quoq; militi, quam Pagano grauior irrogatur. In his enim & similibus casibus, tanto magis quisq; pœna dignus est, quanto plus honoris delatum fuerit: & cui plura cõmittuntur, plura ab eodem exiguntur. Sic publice tractare de Religione, crimen est, quod dignitate minuitur. Vnde & pœna in eos, qui dignitate præditi fuerint, leuior erit: siquidem si Clericus fuerit, qui de fide Christiana publicè disputare ausus fuerit, à consortio Clericorum remouetur. Si uero militia prædituſ sit, cingulo spoliabitur. Cæteri etiam huius criminis rei, siquidẽ liberi sint, de ciuitatibus, in quibus morantur, repelluntur, pro uigore iudiciario etiam competentibus supplicijs subiugandi. Si uero serui, seueriſsimis animaduersionibus plectuntur. Generaliter enim in persona seruorum obseruatur, ut grauius puniantur, quàm liberi. Nã ex quibus causis liber fustibus cæditur, ex his seruus flagellis cædi, et domino reddi iubetur: Et ex quibus causis liber fustibus cæsus, in opus publicum damnatur, ex his seruus sub pœna uinculorũ, ad eius temporis spatium flagellis cæsus, Domino reddi iubetur, &c. Sed tamen exemplo seruorum puniuntur etiam liberi, sed plebei tamen & humiles personæ.

l. illicitas in fi. ff. de off. præsid.
l. quædam. ff. de pœnis.
l. 2. & l. omne ff. de re. milit.
l. Presbyteri. C. de Epiſ. & Cler. & ibidẽ gl.
l. nemo. C. de sum tri. et fid. Cath.
l. in seruorũ. ff. de pœnis.
l. Capitaliũ. § fin. ff. de pœn.

Nec obstat, quod alibi dicitur, Quos par facinus coinquinat & æquat, eos similis quoq; pœna comitari debet. Nã etsi in genere suo impares sint pœnæ, quæ in Clericos & Laicos, nobiles & plebeios, publicis muneribus & honoribus fungẽtes, & priuatos statuuntur: tamen relatione secundũ proportionem facta ad personas et earum qualitates & cõditiones, æquales esse iudicantur. Vt igitur in eadem genere pœnæ inæqualitas est, si una eademq; pœna nobilis & plebeius afficiãtur: Ita si diuersi generis pœnæ, altera quidẽ grauior plebeio, altera uero leuior nobili inferantur, recte æqualitas esse dicetur. Veluti, si nobilis et plebeius in uinculis detineãtur, aut tormẽtis subijciantur: una quidem pœna, et in genere suo æqualis est, quæ utriq; irrogatur, sed relatione facta ad personas, inæqualis est: Quippe alteri leuis, alteri grauis. Rursus uero mulcta pecuniaria imposita diuiti & pauperi, una quidem eademq; æqualis pœna est in genere suo: Sed quia diuiti leuis, at pauperi grauis est, relatione ad conditionem personarum facta, merito inæqualis esse dicetur.

l. si quemquam C. de Ep. & Cle.
Bar. in l. capitaliũ §. solent. ff. de pœnis.
gl. in c. non cõguntur. 41. dist. & gl. in c. contumaces. 50. dist.

Et

Et hæc omnia, quæ de differentia pœnarũ diximus, ut pro conditione & qualitate personarum, uel mitius uel seuerius infligantur, ita accipiẽda sunt, si pœnę pro uniuscuiusq; personę cõditione, qualitate, & dignitate diffinitæ fuerint: nam ita certum erit, quæ pœna quam personam & dignitatem astringat. At si pœna generaliter in omnes sine personarum & dignitatum differentia concepta fuerit, omnes quoq;, nulla personarum differentiæ ratione habita, obligabit.

Bar. in l. fi. ff. de rerũ diuis.

Qualis est pœna exceptorum criminum, ut læsæ Maiestatis: In causa siquidem Maiestatis, omnibus æqua conditio est. Item hæresis & Simoniæ: nam & ipsa in omnes æquo iure stringuntur. Sic & Magi, malefici, Mathematici, & rei criminis falsi. Item, qui priuati carceris exercent custodiã: qui tanquam ipsius Maiestatis uiolatores, ultimo supplicio subiugantur. His connumeramus, qui muneribus & honoribus publicis fungentes, in officijs suis peccasse, tum furtis seu aut alijs scelerib⁹ commaculasse, fuerint conuicti. Nam & tales non dignitas, sed pœna omnibus tam publicis quàm priuatis personis communis debet comitari. Quin & ab officijs remouentur, & quo minus ad ea ipsa redeant, inhabiles redduntur. Nam qui semel in officio male uersatus fuerit, is deinceps quoq; male in ipso uersaturus præsumitur. Cæterũ ne in his & similibus casibus, in quibus Clerici, milites, Doctores, aliæq; personæ dignitatibus præditæ, cruciatibus & tormentis subijciuntur, alijsue pœnis priuatorum & plebeiorum afficiuntur, iniuria aliqua dignitati inferatur: Constitutum est, ut non ante ad irrogationem pœnæ procedatur, quàm qui pœna afficiendi sunt, exauthorati, & qua fruuntur dignitate, fuerint exuti. Atq; hæc sane differentia pœnarum, in personis quoq; seditiosorum obseruanda est. Nam & ipsi pro qualitate & conditione personarum, uel grauius uel mitius puniuntur. Sic enim habet lex. Authores seditionis & tumultus, populo concitato, pro qualitate dignitatis, aut in furcam tolluntur, aut bestijs subijciuntur, aut in insulam deportantur: nisi certa in seditiosos pœna diffinita, aut propter atrocitatem criminis seditionis æqualis in omnes, nulla personarum aut dignitatum habita ratione, fuerit constituta.

l. nullus. C. ad leg. Iul. ma. l. Manicheos C. de hæret. l. si quenquam. C. de Ep. & Cle. gl. in c. cũ per Manconella. de accusa. l. et si excepta. ubi. glos. C. de malef. et mat. l. si quis decurio. C. ad. leg. Cor. de falsf. l 2. C. de priuat. carcerib. l. Iudices. c. de dig. lib. 12. ubi Io. de Plat. Bar. in l. 11. §. exercitus. ff. de his qui not. infa. tex. in l. Iudices. C. de dig. lib. 12. & tex. in l et si excepta C. de malef. & math. l. si quis aliquid §. authores. ff. de pœn.

Propter

Propter personas eorum, in quos seditiones exercentur, pœnam uel grauiorem statui, uel leuiorem,

Caput V.

ITAM & propter personas eorum, in quos seditiones exercentur, pœnæ uel seueriores constituuntur, uel mitiores. Nam crimina, quæ in parentes, in Magistratus & publicas personas perpetrantur, seuerius puniuntur, quàm quæ in personas externas & priuatas cõmittuntur. Et ad eundẽ modum grauiore pœna dignę sunt rebelliones, quàm factiones, ideſt, seditiones, quę à subditis in dominos, quàm quæ à subditis inter se concitantur. Quemadmodum autem in alijs accidit, ut ex uno facto plura crimina nascantur, ut ex eo, quod stuprum in sororis filiam committitur, adulterium & incestus nascitur, & qui sacratissimas uirgines rapuerit, stuprum & sacrilegium committit. Similiter, qui uxorem alterius rapit, simul adulter est & raptor. Ita & ex uno facto, quo subditi in dominos suos insurgunt, multa crimina oriuntur, quæ & diuersa nomina sortiuntur. Siquidem qui dominorum suorum obedientiam per seditionem relinquunt, interdum deficientes, interdum proditores, interdum transfugæ, interdum rebelles, interdum rei criminis læsæ Maiestatis appellantur. Deficientes: quia ab ijs, quorum sub Imperio sunt, desistunt, & in hostium numero se conferunt. Proditores: quia aliud actibus præ se ferunt, aliud occulte in mente agitant. Rebelles: quia quorum potestati & Imperio subiecti sunt, eis repugnant, & debitam obedientiam subtrahunt. Transfugæ: quia de terris domino suo subiectis, ad hostes, uel ad eos, cum quibus nulla amicitia est, fide suscepta, transfugiunt.

d. l. aut facta. ff. de pœnis.

l. qui de crimine. C. de accus. l. si quis adult. cũ incestu. ff. ad leg. Iul. de adult. l. si quis ne dicã rapere. C. de ep. & cle. l. unica. C. de rap. uirg.

l. amissione. § qui deficiunt. ff. de cap. diminu. l. postliminiũ. § transfuga. ff. de cap. & post. l. reuers. ff. de re milit. l. proditores. ff. et. c. ad leg. Iul. maiest. per tot. tit.

Rei criminis læsæ Maiestatis: quia aduersus Ro. Imperium, uel eos, qui in terris suis Imperij authoritatem tenent, & eorum securitatem machinantur. Iam uero ut rebellium differentia est. Nam alij à supremis, alij ab inferioribus potestatibus deficiunt: Ita & pœnarum discrimina sunt, quæ in rebelles cõstituuntur. Ac primũ quidem rebellium Ro. Ecclesiæ pœna est, ut à cõmunione fidelium separẽtur, omnibusq; priuilegijs & beneficijs, quę à Ro. Ecclesia habent, destituantur. A qua quidem pœna nemo, quantalibet dignitate prędituus, & ne Imperator quidẽ Ro. si rebellis Ro. Ecclesiæ extiterit, eximitur. Nam & Fridericus I. ab Alexãdro III. Philippus à Celestino III. et Innocẽtio III. excõmunicati. Otto IIII. ab Innocẽtio III. primũ anathemate percussus, deinde in pertinacia perseuerans, in Concilio Prędulũ Romę celebrato, Imperiali dignitate priuatus fuit. Sic et Fridericus II. quia Ecclesię Ro. rebellauit, ab Honorio III. primũ excõmunicatus, deinde Imperio regnisq; priuatus, & propter cõtumaciã eius,

Pœna in rebelles Ro. Ecclesiæ, Excõmunicatio.

Excõmunicati à Ro. Pont. Imperatores Ro.

c. ad apostol. de re. iud. li, 6. eius, omnes Imperij et regnorũ suorũ subditi, à sacramento fidelitatis absoluti, ac postremo, ab Innocentio IIII. per sententiam ab Imperio depositus fuit. Sic & quidã alij Imperatores, ab alijs Põtificibus Ro. propter rebellionem, eodem genere pœnæ perculsi fuerunt. Sed & qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales offenderint, non secus atq; uiolatores eorum, qui ad latus Romani Principis militant, ut

c. felicis. de pœnis. lib. 6. criminis læsę Maiestatis rei, puniuntur.

Constitutio Bonifacij VIII. De qua re extat constitutio Bonifacij Papæ VIII. Si quis deinceps (inquit) in hoc sacrilegij genus irrepserit, quod sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem fuerit hostiliter insequutus, uel percusserit, aut ceperit, uel socius fuerit facientis, aut fieri mandauerit, uel factum ratum habuerit, aut consilium dederit aut fauorem, aut postea receptauerit uel defensauerit scienter eundem, sicut reus criminis lęsæ Maiestatis, perpetuo sit infamis, diffidatus nihilominus & bannitus: sit intestabilis, ut nec Testamenti habeat liberam factionem, nec ad alicuius bona ex Testamento, uel ab intestato uocetur. Quatenus ab omni successione repulsus, publicaq; repulsa confusus, minus inueniat suæ malitiæ successorem: fiant habitationes eius desertæ, & ut non sit qui eas inhabitet, dentur cuncta ipsius ędificia in ruinam, & ut perpetuæ notam infamiæ perpetua ruina testetur, nullo tempore reparentur: nullus ei debita reddere, nullus in iudicio respondere teneatur. Quicquid etiã in bonis inuenitur ipsius, fisci uel Reipublicæ dominio applicetur, ut ex illis nil trãsmittat ad posteros, sed potius cum ipso quodammodo damnentur & sua.

Psalm. 108. Si qui uero feuda, locationes, officium, uel beneficium spirituale uel temporale ab aliquibus Ecclesijs obtinet, sit eis ipso iure priuatus: quę sic liberè ad Ecclesias reuertantur, quod Ecclesiarum rectores de ipsis pro sua uoluntate disponant. Quod si quis prædictorum filium uel filios habeat, nepotẽ uel nepotes, per rectã lineam descendentes, beneficiatum seu beneficiatos quouis beneficio (etiam si Pontificalem adeptus, uel adepti fuerint dignitatẽ) sint eis ipso iure priuati, spe promotionis omnino sublata. Nulli pręterea taliũ filiorũ atq; nepotum ex uirili sexu descendentiũ ab eisdem, alicuius aperiatur ianua dignitatis, aut honoris Ecclesiastici uel mũdani, seu ad alicuius loci regimen sit ascensus: Sit eis postulandi negata facultas, sit notorie iudicatus, & quodlibet aliud officiũ seu ministeriũ publicũ interdictũ. In iudicijs eorum assertio contra quenquã, nihil fidei, nihil credulitatis inueniat, ut ad testimonium prorsus reddantur indigni: Sit eis ad Ordines ascensus inhibitus, sit ad beneficium uel officium Ecclesiasticum denegatus accessus, & (ut magis famosa sit eorum infamia) ad actus legitimos nullus eis pateat aditus, nulla porta pandatur, eisdem super aliquo præmissorum, omni spe dispensationis adempta. Præsenti nihilominus adijcimus sanctioni, ut ex insequutione prædicta, sicut ex

ex iniectione manuum uiolenta, ipso facto excommunicationis sententiam quis incurrat, & tam insecutor, quàm alij supradicti, tãti mali participes, quamdiu in sua contumacia perdurabunt, singulis Dominicis diebus & festiuis, pulsatis campanis, & candelis accensis, per omnes illius loci Ecclesias, in quo tantum facinus fuerit attentatum, nec non ciuitatum & Diœcesum uicinarum excommunicati publice denũcientur: nec ab alio, quàm à Ro. Pontifice, possint absolutionis beneficium obtinere, nisi duntaxat in mortis articulo constituti.

Cum autem fuerint absoluendi, primo sufficienter & idonee caueant, quod inferendæ pœnæ parebunt, & auxiliante Domino, pœnitentiam peragent iniungendam: deinde per omnes illius loci Ecclesias principales, uicinorumq; locorum, Dominicis diebus & solennibus, incedant nudi coram populo, fœmoralia tantum habentes, & ferulas deferentes in manibus, cum quibus per easdem Ecclesias publice fustigentur, ituri postmodum ultra mare, & ibidem acturi pœnitentiam per tres annos ad minus: nec exinde postmodum reuersuri, absq; Sedis Apostolicę licentia speciali. Pœnitentię iniungẽdæ forma.

Verum cum talis gratiam reconciliationis meruerit (beneficio absolutionis obtento) indulgeatur ei licentia, ut suam & suorum iniuriam prosequatur, & debitorum illorum quæ contracta fuerint, de postmodum acquisitis repetitio non negetur.

Illud autem non duximus omittendum, quod si quis fuerit in præmissis nudo Concilio aut simplici fauore culpabilis, iudex in talem pœnam metiatur ex culpa, ut secundum quod excessus exegerit, uindicta procedat. Cæterum, quia dignum est, ut nefandi ratione flagitij, ultionis seueritas amplius extendatur, & propter enormitatem culparum, plagarum modus exuberet, nec pœnis solitis contentetur: Statuimus, ut ad collaterales, fratres uidelicet nepotes & pronepotes, talium possit extendere pœnas, in huiusmodi nostra constitutione contentas, circumspectio Romani Pontificis, prout circunstantiæ rationabiles suadebunt.

Præmissis etiam dignũ censuimus annectendum, ut si quisquam aliquo prædictorum excessuum, quenquam de Clericis uel Religiosis nostræ familiæ, uel Cardinalium afficere forte præsumpserint, proportionetur pœna delicto: Ita, quod uindicta ex æquo excessu respondente, ab offensa nostrorum cohibeantur deinceps manus temerariæ formidine ultionis, quas Dei uel nostra, seu fratrum nostrorum reuerentia non coërcet. Si quis uero per se, uel per alium occiderit Cardinalem (quod absit) uel dederit causam mortis, ultra quam promissa teneant: sic in eum potestas Iurisdictionis insurgat, sic rigor ultionis insiliat, quod contra uitę subsidium mortis solatium inuocet, uiuens pœnæ, non culpæ: uindictæ speculum, non offensæ.

Per hoc quoq; sæcularibus potestatibus non adimimus facultatem

tem utendi legibus contra tales, quas aduersus sacrilegos Catholici Principes ædiderunt. Quis enim locus regiminis potest esse tutus, Quis rector securitate gaudebit, si Romana Ecclesia, quæ omnium Ecclesiarum, disponente Domino, caput est & magistra, casibus istis subijcitur? Si eius filij speciales huiusmodi periculis exponuntur? Quem Ecclesiæ filium, quem fidei zelatorem, contumelia tanta non tangeret, & confusio tam aspera non moueret? Porro si filius est, dolebit: si fidelis, matre fidei læsa lædetur.

Quapropter si Princeps, Senator, Consul, Potestas, uel alius Dominus siue Rector, contra præsumptores prædictos præsentis Constitutionis tenorem non fecerit obseruari, tam ipse quàm Officiales ipsius, infra mensem (postquam res ad notitiam eorum peruenerit) eo ipso sententiam excommunicationis incurrant.

Defensor Ro. Pont. Carolus Magnus. *Platina in Leone 3.*

De rebellione uero Archiepiscoporum, Episcoporum, aliarumq; Ecclesiasticarum personarum, & earundem pœna, alio loco à nobis dictum est. Illud etiam addendum hoc loco uidetur, rebelles Ecclesiæ Romanæ, sæpe etiam ab Imperatoribus Romanorum fuisse punitos. Sic Desiderius Italiæ Rex, Romanæ Ecclesiæ rebellis, à Carolo Magno Imperatore punitus fuit. Idem quoq; Carolus Paschalem Primicerium, & Campulum Presbyterum, qui coniuratione facta in Leonem Papam Tertium, eum ceperant, ac Pontificali amictu priuatum, multisq; uerberibus cæsum, tam crudeliter tractarunt, ut oculis & lingua captus putaretur: capite plectendos pronunciauit, sed pro quibus intercedens Pontifex sacratissimus, tantum à Carolo Rege obtinuit, ut his uita condonaretur, & in Franciam tantummodo relegarentur.

Otto Primus. *Naucl. lib. 2. generatio. 33. Chronogra.*

Sic Otto Imperator Primus, Romanos Ioanni Papæ XIII. rebellantes: ut quem captum primum in Adriani molem, quod sancti Angeli castrum uocant, perduxerant, ac mox hominem exulatum in Campaniam miserant, seueriſsima pœna affecit. Nam Consules, Præfectum urbis, ac Decarchones (hij enim rebellionis authores erant) in carcerem detrudi iussit. Consules uinctos in Germaniam deportari fecit, Decarchones equulio suspensi sunt, & Præfectus urbis, amentiæq; caput, ludibrio per urbis plateas, compitaq; habitus: & interea dum traheretur flagellatus, in carcerem conjectus, inde ad Consules in Germaniam deportatus est. Sunt tamen qui scribant, Præfectum ipsum excarnificandum ipsi Pontifici traditum, abrasa barba, capillis suspensum ad caput equi Constantiniani, aliquandiu stetisse. Inde autem ablatum, asinoq; superimpositum, uerso ad clunes uultu, & manibus sub cauda ligatis, atq; ita per urbem ductum, uirgis cæsum, postea in Germaniam exulatum missum.

Pœna rebellium Imperij.

Pœna in rebelles Pape Ioan. XIII.

Pœna rebellium Imperij est, ut primū deportentur, id est, banno Imperiali subijciantur: nam banniti hodie deportatis æquiparantur,

æquiparantur. Olim à Senatu Romano hostes Imperij declarabantur, quæ pœna eadem fuit, quæ est hodie Imperialis Banni. Ideoq; impune ab omnibus etiam priuatis & propria authoritate capi, & ut serui detineri, tum spoliari bonis, & occidi possunt.

Bar. in l. amissione § deficientes ff. de cap. dimi. ff. ad leg. Cor. de Sica. l. 1. § fi. de re milita. l. proditores. Præpos. Alex. in tit. hic finitur lex in princip.

Deinde omnia eis, quæ ab Imperio habent priuilegia, munera, & honores adimuntur, omniaq; adeo in eis publica iura subuertuntur, ut nec Magistratus, nec Iudices maneant, nec nouo aliquo publico munere fungi possint.

Sed & terras, si quas habent, & Iurisdictiones amittunt: nam & hæc ad iura publica pertinent, tum subditi eorum ab omni fidelitate absolui intelliguntur. Feudis quoq; Imperij priuantur Vasalli rebelles, qui amicitiam fecerunt cum Vasallis dominorum suorum. Qua ratione Soccinus refert Albertum de Carpi, bonis feudalibus ab Imperatore Maximiliano fuisse priuatum: quia amicitiam cum Gallorum Rege Cæsaris inimico fecerat.

Gl. in l. 1. § cum patronis ff. de off. præfect. urbi. & in c. 1. § 1. quib. mod. feud. amitt. & per multa alia q̃ allegat Decius. Cons. 544. in secunda parte tertiæ partis.

Et nuper Ioannes Fridericus Dux Saxoniæ, propter rebellionem & Electoratus dignitate, & feudis, quæ ab Imperio habuit, à Glorioſissimo Imperatore Carolo, huius nominis Quinto, hoc eodem iure priuatus est.

Eadem pœna in proditores constituta est: nam & ipsi feudis, propter crimen proditionis priuantur. Quia fidem dominis non seruant, propter quod & proditores appellantur. Qui uero ab inferioribus potestatibus deficiunt, ea tantum iura perdunt, quæ ab his habent, quorum obedientiam relinquunt. Vt si Rex sit Regni, si Dux Ducatus, si Comes Comitatus, si Episcopus Episcopatus, si Ciuitas Ciuitatis, beneficijs, priuilegijs, Iurisdictionibus, muneribus, & honoribus destituuntur.

Gl. in c. 1. § 1. in uerbo qui fratrem quam ad hoc not. Iac. de Bel. in tit. quib. mod. feud. amit. Alex. cons. 136. uolu.

De pœna uero rebellium, qui & ijdem Maiestatem læserunt, talis extat Constitutio. Quisquis (inquiunt Honorius & Arcadius Imperatores) cum militibus uel priuatis, uel barbaris sceleſtam inierit factionem, aut factionis ipsius susceperit sacramentum uel dederit, de nece etiam Illustrium uirorum, qui consilijs & Consistorio nostro intersunt: Senatorum etiam (nam & ipsi pars corporis nostri sunt) uel cuiuslibet postremo, qui nobis militat, cogitauerit (eadem enim seueritate uoluntatem sceleris, qua effectum puniri iura uoluerunt) ipse quidem, utpote Maiestatis reus, gladio feriatur, bonis eius omnibus fisco nostro addictis.

l. quisquis C. ad leg. Iul. Mai.

Sane hæc lex duo capita habet: Primum, ut rei criminis læsæ Maiestatis, gladio ultore puniantur. Alterum, ut eorum bona publicentur, ac fisco uendicentur. Atq; huius quidem Constitutionis pœnam, omnes semper Principes in reos Maiestatis exercuerunt.

Sic Bernardus Italiæ Rex, quia bellum aduersus Patruum suum Ludouicum Imperatorem, cognomento Pium, molitus fuerat, pri-

mum Maiestatis iudicio ab Imperatore damnatus, deinde Aquis grani gladio cæsus est. Ac talem quidem pœnam anno superiore Inuictissimus Imperator Carolus, huius nominis Quintus, in Ioannem Fridericum, Saxoniæ Ducem, pronunciauit. Sed quam precibus pro eo à quibusdam Magnatibus apud se pro condemnato Duce interpositis, clementer remisit, uitamq; Duci donauit.

Naucl. uolu. 2. generat. 28.

Naucl. uolu. 2. generat. 40. Pœna in Henricum potentissimum Ducem Saxoniæ à Friderico I.

Sic Fridericus Imperator, huius nominis Primus, Henricum Saxoniæ Ducem, nepotem suum, quia per rebellionem tempore, quo Alexandriam in Italia obsederat, ab eo defecerat: Primum quidem, ut ad accusationem contra se propter crimen proditionis, & læsæ Maiestatis institutam responderet, ad curiam citauit. Deinde cum respondere nisi intra terras suas Dux detrectaret, Imperator lege lata, ut Imperatori euocare Principem pro iustitia ad locum quemcunq; uellet, intra terminos Imperij sui existentem liceret, & eadem lege per sententiam confirmata, Ducatus quos habebat Dux, omniaq; bona publicauit. Ac Noricum quidem Ducatum Ottoni Palatino, de Vuittlspach: Ducatum uero Saxoniæ Bernardo de Anhalt contulit.

Noricum.

Nicol. Baselius in addit. &c. Simili pœna Maximilianus Imperator Emichonem Comitem de Leyningen, quia ab Imperio per rebellionem defecerat, & ad hostem Francorum Regem transfugerat, affecit. Primum enim Maiestatis reum ipsum declarauit, deinde Banno Imperiali tam ipsum quàm omnia bona eius subiecit. Cuius etiam castella, uillas, munitiones & agros, Comes Palatinus, alijq; Principes, in deditionem suam ex mandato & permissione Imperatoris receperunt.

Pœna in Ducem Mediolanen. à Friderico I. *Naucl. uolu. 2. generat. 39.* Sunt & aliæ pœnæ, quas pro conditione & qualitate personarum & temporum, Imperatores rebellibus irrogarunt. Qualis est, quod idem Fridericus Imperator, post captum Mediolanum, Guolfagum Principē Mediolanensem, quia Imperio rebellis fuerat, ac multa in urbe contra Imperatorem molitus fuerat, captum triduo sub mensa ad modum canis tenuit, & multis flagellis cædi fecit. Qui postquam multis annis in Germania in compedibus retentus fuisset, tandem ruptis compedibus euasit.

l. si quis id quod in princ. ubi Bar. ff. de Iurisd. iud. l. eorum ubi Bar. ff. de pœnis. laſ. inſt. de actio. §. pœnales nu. 15. Postremo illud etiam ad pœnam rebellium, proditorum, & eorum, qui ex causa Maiestatis damnati fuerint, pertinet: Quod eorum domos destruuntur, & solo æquantur, imagines in perpetuam eorum infamiam & opprobrium, in publico depinguntur, & si quæ statuæ ad honorem eorum erectæ, aut imagines pictæ fuerint, detrahantur & aboleantur.

Etsi autem generaliter in persona eorum, qui crimina perpetrarunt, si uita functi fuerint, cum morte eorum simul etiam & crimina & pœnæ extinguantur: Tamen repetundarum & Maiestatis iudicia etiam mortuis reis, cum quibus nihil actum est, exercentur, ut bona

bona eorum fisco uendicentur. Vnde & ex quo quis tale crimen contraxit, necp ex bonis suis alienare, aut manu mittere, nec iure ei debitor soluere potest. Quin & memoria eius, qui crimen læsæ Maiestatis, siue diuinæ, siue humanæ commisit, damnari potest, ut sæpe constitutum est. Iam & propter atrocitatem huius criminis, pœna non solum suos tenet authores, sed etiam in filios eorum redundat. Quod eorundem Principum constitutione his uerbis expressum est. Filij uero eius, quibus uitam Imperatoria specialiter lenitate concedimus (paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est, hæreditarij criminis exempla metuuntur) à materna uel auita omnium etiam proximorum hæreditate ac successione habeantur alieni. Testamentis extraneorum nihil capiant: sint perpetuo egentes & pauperes, infamia eos paterna semper comitetur, ad nullos prorsus honores, ad nulla Sacramenta perueniant. Sint postremo tales, ut his perpetua egestate sordentibus, sit & mors solatium, & uita supplicium. Denicp iubemus etiam eos notabiles esse sine uenia, qui pro talibus unquam apud nos interuenire tentauerint. Sed nec filiæ à pœna paterni criminis sunt immunes, quanquam minor in eas, quàm in filios pœna constituitur, ut eadem lex his uerbis declarat. Ad filias sane eorum, qui quolibet numero fuerint, falcidiam tantum ex bonis matris, siue testata, siue intestata decesserit, uolumus peruenire, ut habeant mediocrem potius filiæ alimoniam, quàm integrum emolumentum, ac nomen hæredis: Mitior enim circa eas debet esse sententia, quas pro infirmitate sexus, minus ausuras esse confidimus.

Pœna in filios reorum læsæ Maiestat.

Pœna in filias reorũ lesę Maiest.

d. l. quisquis §. ad filias C. ad leg. Iul. Maiest.

Eadem pœna, qua parentes rei læsæ Maiestatis, & eorum filij plectuntur: Satellites quoqp conscij ac ministri, filijcp eorum tenentur, ut eadem constitutione cautum est.

Pœna in conscios et ministros.

Cæterum conscios accipimus, parentes & dominos, filios & seruos, qui crimen læsæ Maiestatis, quod uel perpetratum est, uel perpetrandum erat, sciuerunt. Sed quod tamen illi, cum propter patriam & dominicam potestatem possent, non prohibuerunt: hij uero, cum sub Imperio eius essent, in quem crimen commissum est, non reuelarunt: Sed nec tamen reuelare tenentur subiecti, nisi crimen, quod perpetratũ, uel perpetrãdum esse sciunt, probare possint. Qui enim solum audit & non reuelat, immunis est à delicto: nec quod ostendi non potest, iudicum animos commouere debet.

Sali. in d. l. quisquis §. id quidem. C. ad leg. Iul. Maiest. l. utrum ubi Bar. & Hyp. de Marj. ff. ad leg. Pomp. de Parricid. l. nostris C. de calumniatori.

Cæterum cum plura sint genera criminis lesæ Maiestatis: Vnum, quod in Principem, aut in eos, qui ad latus Principis militant, committitur. Alterum, quod in Rempublicam Romanorum perpetratur. Tertium, quod in eos admittitur, qui superiorem non recognoscunt. Ad primum tantum genus referenda est pœna, quam in reos criminis læsæ Maiestatis, & eorum filios & filias, lege Honorij &

Triplex crimen lesę Maiest.

Arcadij constitutam esse ostendimus. Ac proinde qui Rempublicam Romanorum lædunt, non personam Principis, ut quorum opera, dolo malo consilium initum fuerit, quo armati homines cum telis lapidibusue in urbe sint, conueniantue aduersus Rempublicam, locaue occupentur, uel templa: quoue cœtus conuentusue fiat, hominesue ad seditionem conuocentur: quorumue opera, dolo malo consilium initum fuerit, quo quis Magistratus populi Romani, quiue Imperium potestatemue habeat, occidatur. Quoue quis contra Rempublicam arma ferat, aliaq; eiusdem generis in Rempublicam, non in personam Principis aut Consiliariorum eius, machinatus fuerit: etsi crimen læsæ Maiestatis committant, & ob id capite plectantur, tamen ob paternum crimen, hoc casu neq; filij, neq; filiæ puniuntur.

L.1.2.& 3. ff. ad leg. Maiest.

L. fallaciter C. de abdi. not. in l. hostes ff. de cap. & postli. reuers.

Similiter qui patriam oppugnant uel produnt, quicq; crimen lesæ Maiestatis committunt aduersus inferiores potestates, etiam nullum superiorum recognoscentes, puniri quidem ipsi capite possunt: At eorum filij filiæq;, paterni criminis pœnam minime sustinebunt. Nam qui non recognoscunt superiorem, siue de facto, siue ex præscriptione tanti temporis, cuius initij non est memoria hominum, siue ex priuilegio principis. Etsi Principis loco in terris suis habeantur, tamen non sunt Princeps: quia aliud est, esse Principem, aliud haberi loco Principis.

L. mercis ff. de uerbor sig. Bar. in l. 1. ff. de legit. & suis, & in l. si is qui pro emptore ff. de usu cap.

Ideoq; constitutio, quæ in personam Principis, & eorum, qui ad latus eius militant, concepta est, locum non habet in eo, qui proprie non est Princeps, sed Principis loco habetur: Maxime, quia odia restringi conuenit, & in pœnis benignior interpretatio facienda est.

Nec constitutiones pœnales extendi debent, nisi ad casus expressos: etiamsi casus non expressi ex Identitate rationis contineri uideantur.

De Authoribus seditionum, & eorum pœnis, Caput VI.

L. 3. §. hæc uerba ff. de neg. gest. Bar. in l. omnes populi ff. de iust. & iur. 64. princip.

L. in hoc iudicio ff. de seruo corrupt.

Illud quoq; generaliter constitutum est, grauius puniri Authores & Principes delicti, quàm eorum adhærentes, auxiliatores, socios, atq; magistros. Vnde non immerito in Authores quoq; & Principes seditionum, quàm in multitudinem ab eis deceptam, seueriorem pœnam ueteres constituerunt. Siquidem grauius delinquunt, qui non ipsi tantum delictum perpetrant, sed etiam alios ad delinquendum hortantur, & ad aliquid improbe faciendum, uel cogitandum sollicitant. Ita enim duplici nomine peccant, & quia delinquunt ipsi, & quia Authores sunt, ut alij quoq;

Authores seditionis dupliciter peccant.

quoq; delinquant: quos uel malos cum boni sint, uel cum sint mali, deteriores reddunt. Qua ratione in eum, qui seruo persuasisse quid dicetur, quo deteriorem eum faceret, pœnale iudicium datur. Veluti, si quis seruo persuadeat, ut iniuriam faciat, uel errori, uel malis artibus deditus sit, uel seditiosus, uel amator, uel ut rationes Dominicas intercidat, uel adulteret, uel ut rationes sibi commissas turbet, uel si luxuriosum eum uel contumacem faciat, &c̄. Nam in eum, qui his alijsue similibus modis seruum corruperit, quanti ea res erit, in duplum actio datur. L. 1. & 2. ff. de ser. cor.

Ac tanto grauius etiam delinquunt seditionum authores, quia non unum aut alterum deteriorem faciunt, sed totam multitudinem, immo sæpe magnas prouincias, & amplissima regna corrumpunt: Quod facile intelligent, qui ueterum historias legent, maxime, quæ de Hæresiarchis proditæ sunt, quarum non paucæ à nobis in ijs libris, quos de hæreticis scripsimus, relatæ sunt. Seditionū Authores grauissime peccant.

Quin & nostris temporibus uidemus, quæ multitudines, immo quæ prouinciæ & regna, à quibusdam Hæresiarchis corrupta sint. Quod & omnis generis immanissima crimina, ut blasphemiæ in Deum & sanctos eius, sacrilegia, raptus sacrarum Virginum, illicita coniugia, rapinæ, incendia, Templorum & Monasteriorum deuastationes, Episcoporum, aliorumq; ministrorum Ecclesiæ, proscriptiones & exilia: Ecclesiasticorum iudiciorum in prophanas personas translationes, legum tam diuinarum quàm humanarum contemptus & abrogationes, & innumera alia eiusdem generis teterrima monstra, quæ authoribus Hæresiarchis nata sunt, liquido testantur. Qui igitur grauius delinquunt, iustum est, ut seuerius etiam puniantur: Quod & ueteres fideliter obseruarunt, qui non solum grauius in seditionum Authores, quàm deceptam multitudinem animaduerterunt: sed sæpe etiam pœna de Principibus seditionum sumpta, multitudini pepercerunt, aut saltem de seueritate aliquid remiserunt. Quanta mala ex seditionibus nostri temporis. Mitius in deceptam multitudinem, quàm in Authores animaduertitur.

Nimirum scientes, nunquam ad contumaciam pari consensu multitudinem prorumpere, sed incitari à paucis, qui uitiorum scelerumq; impunitate sperant peccare cum plurimis.

Quod si fieri medicinam necessitas extrema persuaserit, rectius est more maiorum (ut alibi inquit Vegetius) in Authores criminum uindicari, ut ad omnes metus, ad paucos pœna perueniat. Veget. lib. 3. c. 4.

Sic ob falso nunciatam militi Scipionis mortem, aliasq; nonnullas ob causas orta seditione in Hispania, cum denuo repressa seditio fuisset, de eo consilium haberi cœptum est, Vtrum in Authores seditionis tantum animaduerteretur, an plurium supplicio uindicanda seditio esset: Ac uicit sententia lenior, ut unde culpa esset orta, ibi pœna consisteret: ad multitudinem satis esse castigationem. Tit. Liui. li. 8. secundi belli Punici.

gationem. Quod & Imperator deinde uinctis seditionum authoribus, ac oratione sane quam eleganti & efficaci ad milites habita, eam ipsam his uerbis concludit. Itaq; (inquit) quod aduersus uos uniuersos attinet, si erroris pœnitet, satis supercq; pœnarum habeo. Albius Calenus, & Actius Vmbrius, & cæteri nefariæ seditionis authores, sanguine luent quod admiserunt, uobis supplicij eorum spectaculum non modo non acerbum, sed lætum etiam, si sana mens redijt, debet esse: de nullis enim quàm de uobis infestius aut inimicius consuluerunt.

Verba Scipionis ad milites.

Atq; eodem sane consilio erga hæresiarchas quoq; utendum esse, Beatus Hieronymus existimat. Ideo enim, inquit, Magistri hæreticorum percutiuntur, ut salui fiant discipuli: nimirum innuens, authoribus & inuentoribus hæresum nouarum, & ueterum resuscitatoribus punitis, facile deceptorum multitudinem reuerti: De quo & in libris nostris de hæreticis à nobis dictum est.

In Amos Prophet. c. 9. Pœna in hęresiarch.

Iam & illud ad seueritatem pœnæ authorum pertinet, quod ubi semel pœna constituta est, nullam moram eiusdem exequutio recipit. Vnde Constitutiones (inquit lex) quæ de recipiendis nec ne appellationibus loquuntur, ut nihil noui fiat, locum non habent in eorum personas, quos damnatos statim damnari publice interest: ut sunt latrones uel seditionum concitatores, uel Duces factionum.

l. constitution. ff. de appellat.

Cæterum de pœna authorum seditionum, hæ ferè leges extant. Qui author seditionis fuerit, lege Cornelia de Sicarijs tenetur. Item, Autores seditionis & tumultus, populo concitato, pro qualitate dignitatis, aut in furcam tolluntur, aut bestijs subijciuntur, aut in insulam deportantur.

l. 3. §. item qui author ff. ad leg. Cor. de Sica.
l. si quis aliquid §. auth. ff. de pœnis

Sed & ciuiliter tenentur seditionum authores de omnibus damnis & iniurijs, quæ quibuscunq; modis in ipsa seditione siue per singulos, siue per ipsam multitudinem data sunt. Nam huiusmodi circunstantiæ delictum aggrauant in persona principalium, non sectatorum. Singuli uero quicq; id tantum quod ipsi peccarunt, præstare tenentur.

Bar. in l. quoniam C. ad leg. Iul. de ui publ.

Propter la-

Propter locum & tempus, in seditiosos uel grauius uel leuius animaduerti, Cap. VII.

IAm etiam locus & tempus faciunt, ut quod delictum non est, fiat delictum: aut quod delictum est, uel seueriore, uel mitiore pœna luendum sit.

Ita negociationes, contractus, & commertia hominum, non solum illicita non sunt, sed etiam ita in Republica necessaria, ut sine ijs ne societas quidem hominum consistere posit: & tamen si hæc ipsa in locis sacris exerceantur, adeo illicita sunt, ut grauibus etiam pœnis, qui in hoc genere delinquunt, afficiantur. Nam & Christus, Dominus & Saluator noster, flagello de funiculis facto, de templo eiecit uendentes, oues & boues, & columbas: & numulariorum effudit æs, & mensas subuertit: & his qui columbas uendebant, dixit. Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negociationis. Negociationes in templis illicitæ sunt. Ioan. 2.

Sic contractio rei alienæ fraudulosa, delictum quidem est, nempe furtum: Sed quod grauius fit, si sacrum de sacro, uel non sacrum de sacro, ablatum fuerit. Nam huiusmodi delictum, propter locum sacrum, non solum furtum, sed etiam sacrilegium esse dicetur. *Inst. de obliq. quæ ex delicto nasc. §. 1. c. si quis. 17. q. 4.*

Sic iniuriam ex loco æstimamus uel leuem, uel atrocem: Veluti, si cui in theatro, uel in foro, uel in conspectu Prætoris facta sit. *Inst. de iniur. §. Atrox.*

Sic desertor, si in urbe inueniatur, capite puniri solet: alibi apprehensus, ex prima desertione restitui potest. Sic grauius punitur delictum, quod in ciuitate, quàm quòd in rure fuerit perpetratum. *l. non omnes §. desertor ff. de re milit. Bald. in. l. cum ancillis. C. de incest. Imp.*

Similiter propter tempus, delictum augetur & minuitur. Quemadmodum grauius est furtum nocturnum, quàm diurnum: Et atrociores sunt effractores nocturni, quàm diurni. Ideoq; hij fustibus cæsi, in metallum damnari solent: Diurni uero post fustium castigationem, in opus perpetuum uel temporarium dantur. *Gl. in l. si ut allegas C. ad leg. Cor. de Sicar.*

Sic qui diu uagatus, ad castra reuertitur, emansor dicitur: & desertor, qui per prolixum tempus euagatus, reducitur. Quorum utiq; pœna propter tempus grauior est, quàm eius, qui euagatus mox redijt: Immo & emansores & desertores, pro numero temporis uel grauius, uel leuius puniuntur. *l. 2. ff. de effractorib. l. 3. §. Emans. & §. desertor ff. de re milit.*

Sic mitius propter tempus punitur, qui adulterum nocturno tempore deprehensum occidit, quàm qui diurno. *l. Gracchus C. ad leg. Iul. de Adult.*

Ad eundem modum in seditiosos propter locum & tempus uel grauius, uel leuius constituitur. Sic atrocior est seditio, quæ in loco sacro, quàm quæ in prophano concitatur. Nam qui in sacrosanctis Ecclesijs, alijsq; uenerabilibus locis, in quibus cum pace & quiete uota competit celebrari, seditionem mouerint, aut cõclamationibus usus fuerit, tumultũ mouerit, aut impetum cõmiserit, aut conuẽticula collecta *l. denunciamus C. de his quæ ad Eccles. confug.*

collecta multitudine collegerit, aut celebrare conatus fuerit, ultimo supplicio subiacebit, ut Martianus Imperator constituit.

Sic non solum periculosior, sed etiam maiore pœna dignior est seditio, quæ eo tempore concitatur, quo foris bellis infestamur, quàm quo pacem cum externis habemus. Nam & facilius uincuntur, qui inter se diuisi sunt & dissentientes, quàm qui coniuncti & concordantes: Et facilius euelluntur pili caudæ equinæ singuli & paulatim, quàm omnes ui & impetu. Et idem Christus Saluator noster admonet. Omne, inquit, regnum in se diuisum, desolabitur. Et supra quoq; ex historijs demonstrauimus, tum maxime apud omnes semper nocuisse externa bella, quæ in dissentientes inter se ciues, & ciuili discordia laborantes, intentata fuerunt.

Plutarchus in uita Sertorij.

Matth. 12.

Propter Euentum, seditionem grauius, uel mitius puniri. Caput VIII.

Euentus ex proposito æstimandus est.

EVentus quoq; spectatur, ut delictum uel durius, uel remissius puniatur. Est autem Euentus malus, ex proposito & uoluntate delinquentis æstimandus, ut si earum rerum sit, quæ nobis uel licitę rei operam dantibus, uel saltem nihil male agentibus, nec agere uolentibus accidunt: minime nobis, quod male euenit, imputetur. Recte enim cum Canone dicere possumus: Absit, ut ea quæ propter bonum ac licitum facimus aut habemus, si aliquid hoc præter nostram uoluntatem cuiq; mali acciderit, nobis imputetur. Qua sane ratione qui Matronam non matronali habitu, sed meretricia ueste indutam, appellauerit, aut comitem ei abduxerit, iniuriarum non tenetur: quia non matronam, sed meretricem se appellare putauit. Sin uero earum rerum sit, quæ illicitæ rei operam nobis dantibus, etiamsi præter uoluntatem & propositum nostrum accidunt: merito quod male & secus etiam quàm uoluimus accidit, nobis imputandum erit. Sic qui aurum surripuit, qui ęs surripere se putabat, eius quod surripuit, furtum committit: & qui rem sacram furto subtraxit, quam prophanam esse putabat, ut sacrilegus punietur.

c. de occidend. 23. q. 5.

l. uulgaris §. si quis æs ff. de furtis.

Sic rem alienam inuadens, ut de possessione dominum eiiciat, si quis forte uel ex possidentis parte, uel eius qui possessionem temere tentauerit, interemptus sit, etsi occidendi animum non habuerit, qui de possessione per uim occupanda sollicitus fuit: quia tamen illicitę rei operam dedit, propter perpetratum homicidium ultimo supplicio afficietur.

l. quoniam multa C. ad leg. Iul. de ui publ.

l. 1. §. incend. ff. de incend. rui. & naufr.

Simili modo qui in unam domũ ignem immiserit, eoq; incendio aliæ quoq; domus cõbustę, aut ex adiacẽtibus domibus quid raptum fuerit,

fuerit: & si unam tantum domum comburere uoluit qui incendium fecit, tamen aliarum quoq; nomine iudicium in ipsum dabitur. Sic qui abortionis aut amatorium poculum dant, etsi dolo non faciunt, tamen si ex eo mulier aut homo perierit, summo supplicio afficiuntur. Si uero euentus delinquentis animo & uoluntati respondeat, quanto peior erit euentus, tanto atrocior quoq; pœna in delinquentem statuenda erit. Immo sæpe etiam qui effectu sceleris potiri non possunt, propter solam uoluntatem puniuntur.

l. si quid aliquid. §. qui abortionis ff. de pœnis. L. 1. ff. de extraord. cri. ubi Bar, Doct. in l. si quis ne dicam C. de ep. & cler. l. 1. §. diuus ff. ad leg. Cor. de Sicar. & l. diuus, ubi Bar. ff. eo Tit. L. quisquis C. ad l. Iul. Mai.

Et ad eundem sane modum in crimine seditionis euentus spectatur, ut de eo etiam teneantur seditiosi, maxime seditiosorum authores, quod male euenit: Etiamsi ab alijs peccatum fuerit, ac peius etiam quàm uoluerint acciderit, tamen quanto euentus fuerit magis noxius, tanto in delinquentem seuerius animaduertatur: Quin etiam in crimine rebellionis & læsæ Maiestatis, eadem seueritate uoluntas, qua effectus punitur.

De pœna multitudinis seditiosorum, Caput IX.

HActenus de pœnis singularum personarum, & circunstantijs, crimen seditionis aggrauãtibus, dictum est: Superest, ut de pœna multitudinis seditiosorum dicamus. Multitudo seditiosorum duplicis generis est: Quædam à Præsidente, Regentibus, & legitimis Magistratibus regitur, & hæc uniuersitas siue communitas dicitur, ut ciuitas, exercitus, &c. Regentes uniuersitatis, interdum procuratores, interdum patres, interdum curatores appellantur. Quædam confusa turba est, quæ non habet Præsidem, uel Magistratus legitimos, & hæc proprie multitudo uocatur. Nec interest siue ex ipso corpore communitatis eligantur, siue aliunde aduocentur Regentes: nam & alienigenis munera publica demandari possunt, ut supra demonstratum est. Multitudo duplex.

c. de decur. lib. 10. l. qui conditioni, ubi Io. de Plat. C. de his qui spont. mu. susc.

Sunt & congregationes quædam hominum, quæ & ipsæ Regentes & Magistratus sibi præficiunt, sed quæ tamen ius uniuersitatis non habent: Cuiusmodi sunt, conuenticula hæreticorum, Monopolarum, aliaq; illicita collegia. Etsi autem uniuersitas nihil aliud est, quàm homines ipsi, ex quibus corpus communitatis constat: tamen fictione iuris uniuersitas uice personæ fungitur, quæ aliud est, quàm homines uniuersitatis. Illicita collegia.

l. mortuo ff. de fideiuss.

Siquidem de populo nõ modo uno aut altero, sed omnibus etiam decedentibus, nihilominus idem manet populus. Sicut idem iudicium manet, si unus aut alter, uel etiam omnes iudices fuerint mutati. Et Legionem eandem haberi dicimus, ex qua multi decesserunt, quorum

l. proponebatur. ff. de iud.

quorum in locum alij subiecti sunt. Itemq; nauem, si adeo refecta esset, ut nulla tabula eadem permaneret, quæ nõ noua fuisset, nihilominus eandem existimari dicemus. Alioqui, si quis putaret partibus commutatis aliam rem fieri, foret, ut eius ratione nos ipsi non ĩdem essemus, qui ab hinc anno fuissemus: propterea, quod, ut Philosophi dicerẽt, ex quibus particulis minimis consisteremus, hæ quotidie ex nostro corpore decederent, aliæq; extrinsecus in earum locum succederent. Quapropter cuius rei species eadem consisteret, rem quoq; eandem esse existimari oportet. Itaq; idem hodie populus est, eadem ciuitas, eadem uniuersitas, quæ ab hinc centum annis fuerunt, etiamsi intra tantum tempus homines, ex quibus ipsa communitas & societas hominum consistit, sæpe decesserint, aliíq; in eorum locum accesserint. Idcirco uniuersitas personam repræsentat, quæ non est homines singuli, ut quæ partibus commutatis, ipsa tamen eadem semper manere existimatur.

Manente eadem specie corporis, idem corpus manere dicitur.

Porro eorum, quæ ab uniuersitate geruntur, quædam à Rectoribus & maioribus iudicibus uniuersitatum, quædam à populo, quædam à consilio populi explicantur: Sed nec rata sunt, quæ à populo, uel consilio populi geruntur, nisi quæ toto populo, aut Consiliarijs populi, authoritate potestatis, uel alterius Magistratus, uel sono tubæ, uel pulsata campana, uel uoce præconis, solenniter ad locum publicum conuocatis, ac duabus, ut minimum, partibus conuenientibus, à maiore parte earum decreta fuerint atq; ordinata.

ff. de reg. Iuris l. aliud. §. refertur ubi not. l. nominationũ C. de decur. li. 10. l. nulli ff. quod cuiusq; uni. no. ubi Doct. Gl. in rub. ubi not. C. quæ sit long. consue. Felinus in c. dilectus de Simonia. L. quod maior ff. ad municip. L. metu. §. animaduertendum ff. quid met. caus.

Adeo autem per Regentes & Consiliarios repræsentatur uniuersitas, ut quæ ab ipsis gesta fuerint, ea ab ipsa uniuersitate gesta esse intelligantur. Sic & quod maior pars populi fecit, tota uniuersitas fecisse uidetur. Iam & delinquere potest uniuersitas, quia & dolum committere potest. Idq; dupliciter: Committendo & Omittendo. Committendo delinquit uniuersitas: quoniam & Regẽtes uel Consiliarij uniuersitatis officia sua inique administrant. Veluti si iniustas leges ferant, iustas abrogent, publica munera & honores inæqualiter inter ciues distribuant, uel iniustis eos exactionibus onerent, aut si populus hæc ipsa, aut maior pars populi communicato consilio perpetret. Omittendo, ut si ea negligant Præsidentes & Consiliarij, quæ ad iustam Reipublicæ administrationem, tum ad publicam pacem & tranquillitatem, & ciuium salutem pertinent. Veluti si à malis & seditiosis hominibus, ciuitatem uel prouinciam non purgent: si in facinorosos homines non animaduertant: si ui oppressos, de manu calumniantium non eruant: si causam uiduarum & pupillorum, non iudicent, &c. Item si populus ipse Magistratũ male in officio suo uersantem, non reprehendat, nec iniustis eius factis contradicat. Et in hoc genere uniuersitas etiam nullo communicato consilio delinquit. Sicut & committendo etiam nullo communicato consilio delinquit,

Hier. 21. Esa. 1. Hier. 5.

quit, si delictum causam successiuam habeat: nam tunc communitas tenetur, etiamsi nullum consilium præcesserit, ut in rebellione, &c. Iason. qui ad hoc allegat multa in cons. 139. quartæ partis.

Atq; ex his omnibus, ut opinor, satis intelligimus, quibus modis uniuersitas delinquat: Reliquum est, ut de pœnis eius dicamus, ac de pœnis communitatum, quæ hæreticorum doctrinam amplectuntur, aut eorum uel personas uel doctrinas fouent, & schismatum eorum se participes faciunt, satis superq; à nobis in libris de hæreticis & schismaticis dictum est. Hoc loco de pœnis communitatum, prophanas seditiones concitantium & exercentium, agemus, ac rem omnem, quo clarius cognosci possit, in breues aliquot conclusiones contrahemus. Prima conclusio. Communitas siue uniuersitas ob crimen seditionis, siue cõmittendo siue omittendo perpetratum, ciuiliter & criminaliter puniri potest. Ciuiliter, ut si læsis ad resarcienda & emendanda damna condemnetur. Criminaliter, ut si solo adequetur ciuitas, aut Imperiali Banno subijciatur. l. metu §. animaduertendum ff. quid met. caus. l. si usufr. ff. quibus mod. usufr. amit. l. nulla communitas C. de Ep. & Cler.

Secunda conclusio. Communitas quæ Deo rebellis est, ut quæ hæreses amplectitur, earumq; authores uel sectatores fouet & defendit, præter eas pœnas, quæ iure tam Canonico quàm ciuili, in hæreticos constitutæ sunt, etiam diuino iure seueriſsime plectuntur. Sic enim habet lex diuina.

Si audieris in una ex ciuitatibus, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, inhabitare illic dicentes. Eamus, & seruiamus dijs alienis, quos deos non nouisti: interficiens necabis omnes, qui sunt in ciuitate cęde gladij, & incendes ciuitatem igni, & erit sine habitaculo in æternum, non reædificabitur etiam nunc, ut auertatur Deus ab indignatione iræ suæ: & dabit tibi misericordiam, & miserebitur tibi, & multiplicabit te, si audieris uocem Domini Dei tui, & obseruaueris præcepta eius. Hæc lex ut olim Iudæos in ueteri Testamento obligauit: ita non minus hodie Christianos Euangelica lege promulgata constringit. Quod si enim ante aduẽtum Christi circa Deum colendum, & Idola spernẽda, hęc præcepta seruata sunt: quanto magis post aduentum Christi seruanda sunt, quando ille ueniens, non tantum uerbis nos hortatus est, sed etiam factis? De qua re latius in libris de hæreticis scripsimus. Deut. 13. & 20. si audieris 23. q. 5.

Tertia conclusio. Communitates & ciuitates, quæ Rom. Ecclesiæ, & qui huic præest Rom. Pontifici, rebelles fuerint, ut quæ authoritatem eius imminuerint, iudicia cõtempserint, ac reuerentiam & honorem ei debitum subtraxerint: Quæ item personam ipsius, uel etiam Reuerendiſsimorum dominorum, Cardinalium, hostiliter insequutæ fuerint, aut contumelijs alijsue iniurijs afficerint: primum Pontificia dignitate hoc ipso priuatæ erunt, deinde Ecclesiastico interdicto subiacebunt: De qua re latius in libris de hæreticis scripsimus. C. Fœlicis de pœnis lib. 6. not in c. Romana §. in uniuers. de sent. excõmu. lib. 6. Bar. in extrau. qui sint rebelles in uerbo rebelando.

Quarta conclusio. Communitates & ciuitates Rom. Ecclesiæ aut Imperio Romano, & qui his præsunt, Rom. Pontifici & Imperatori Romanorum, rebelles: primũ omnia quæ iuris

ciuilis sunt, amittunt, ut Iurisdictiones, priuilegia, dignitates, Magistratus, &c. Ac propterea priuilegia quoq; uniuersitatum, studiorum generalium, amittunt ciuitates, quæ propter rebellionem fuerint condemnatæ: Ea autem, quæ sunt iurisgentium, retinent, ut dominia rerum. Quanquam & ea ipsa, si à priuatis capiantur, occupantium fiant: sicut & publicantur, si læsæ Maiestatis per sententiam fuerint condemnatæ. Quinta conclusio. Homines ciuitatis propter rebellionem condemnatæ, ciuitatem amittunt: propterquod & dimittere eam, & cum omnibus suis bonis ad aliam se transferre coguntur. Sexta conclusio. Quemadmodum singuli ab his, quorum sub Imperio sunt, desistentes, non solum ut rebelles, sed etiam ut criminis læsæ Maiestatis rei, ultimo supplicio puniuntur: Ita ciuitates & communitates rebelles, quia & ipsæ crimen læsæ Maiestatis committunt, pœna summi supplicij afficiuntur. Quod tum fit, cum uel aratrum in ipsam inducitur: quam pœnam olim Carthago passa est: Et Bartholus similem se sententiam Henrici Imperatoris uidisse refert, qua Brixiæ ciuitatem aratro subijciendam esse pronunciauit. Sic Fridericus Imperator, huius nominis Primus, quem Barbarossam uocarunt, rebellionem ciuitatis Mediolanensis uindicaturus, cuncta ipsius mœnia euertit, urbeq; solo adæquata, aratrum per circuitum duci, & sal in perpetuam damnationem seminari iussit. Idem Placentinis & Brixiensibus, ne denuo á fide desciscerent, secundum iuramenta præstita, præcepit muros suos & fossata dejicere, turres euertere: & eodem modo reliquas quoq; rebellium ciuitates disposuit. Eadem seueritate in Cremenses, & Brixienses rebelles, usus est Henricus Septimus Imperator; nam & ipse cuncta earum ciuitatum mœnia euertit.

Inno. in c. graue m de sent. excommuni. & not. in c. priuilegia. de re iud. lib. 6. in gl. & doct. Ar. C. de iure fisci l. certa forma lib. 10. & Bar. in extrauag. qui sint rebelles in uerbo rebellando in fi.

l. si usufr. in tus ff. quibus mod. usufruct. amitt.

Naucl. lib. 7. generat. 39.

Platina in Clemente 5.

Pœna incendij.

Similis ferè pœna est, quod ciuitates rebelles incendio deuastantur, quam quidem pœnam nostra ætate passum est oppidum Vueinsperg, in Ducatu Vuirtenbergensi situm: Ita Sueuico fœdere publicæ pacis, omnisq; adeo Germanicæ libertatis custode fidelissimo, ac omnium quæ usquam eo tempore exoriebantur, rebellionum acerrimo uindice, decernente: quippe propter crudelissimum facinus, quod in ea seditione, qua ruricolæ Lutheranorum persuasionibus corrupti, uniuersam prope superiorem Germaniam turbauerant, in nobilitatem Germanicam, cui tum antiquissimæ & generosæ prosapiæ, ipse generosissimi & fortissimi animi Comes ab Helffenstain, tanquam Capitaneus præfuit, immanissime perpetratum est, exactis primum ciuibus, totum deinde oppidum in perpetuam non solum tanti sceleris uindictam, sed etiam necessariæ uindictæ memoriam & exmplum, incendio consumptum est. Cuius rei ideo meminisse libuit, quia & me tum iuuene, tum uicem publicam, & in primis dulcissimæ patriæ meæ, ex intimis præcordijs, quantum tum mih

mihi non solum communis sensus, sed etiam publicæ honestatis ratio suggerebat, miserante, Tragœdia illa plusquam cruente peracta est. Et hæc pœna à solo Principe irrogatur. Nam etsi domus particulares sint priuatorum: tamen ciuitas uniuersaliter consyderata, est Principis, sicut & pulchra pallatia ciuitatis. Ideoq; ciuitas sine uoluntate & authoritate Principis destrui non potest. Nam si Principe inconsulto contra Decuriones sententia mortis ferri non potest: quanto minus ciuitas, nisi ex authoritate Principis huiusmodi pœna afficietur.

Bar. in extrauag. qui sint rebelles in uerbo rebellando.

Sed & Banno Imperiali subiicitur communitas & ciuitas rebellis, quæ & ipsa pœna grauissima est: quod & supra de singulorum rebellium pœna demonstratum est. Septima conclusio. Illud quoq; ad pœnam communitatum & ciuitatum rebellium pertinet, quod non solum ab ipso Principe, & ab ijs, qui rebus publicis præsunt, pœnis, quas dixi, coërcentur, sed etiam à priuatis hominibus, quæ contra Principem ipsæ & Rempublicam deliquerint, uindicari possunt. Nam & priuati homines ciuitates rebelles hostiliter inuadere, earumq; ciues capere, bona prædari, ædificia ruralia comburere, aliaq; in ipsos, quę in hostes solemus, quasi iure belli exercere possunt. Quæ uero publici iuris sunt ciuitatum, priuati uendicare non possunt: Sicut nec urbana ædificia, quibus destructis, urbs deformatur, comburere possunt.

Bald. in tit. de pace const. in uerb. Romanorum.

l. 3. in fi. ff. de acquir. rer. do.

Cæterum multitudo, ut nihil aliud est, quàm singulæ personæ multitudinis, & quæ nullum corpus repræsentant: Ita delictum multitudinis singulos tenet, eosq; nocentes, non uniuersos nec innocentes. De pœna uero multitudinis, quæ hæreses & falsas doctrinas amplectitur atq; defendit, in libris nostris de hæreticis satis multa scripsimus. Quæ uero ad pœnam earum multitudinum pertinent, quæ prophanis seditionibus agitantur, ex sequentibus conclusionibus, quantum quidem ad institutum nostrum pertinet, cognoscere licebit.

Delictum multitudinis singulos tenet.

Prima conclusio. Multitudine seditiosa delinquente, non uniuersi & innocentes, sed perpetrati delicti rei, & nocentes puniuntur. Veluti si collecto cœtu, multi homines in Ecclesiam irruant, ac sacerdotibus & ministris, uel in ipso cultu, uel loco sacro iniuriæ aliquid intulerint, etiamsi leuato uexillo, & pulsata campana id fecerint, si non præcesserit deliberatio & consilium, singuli, non uniuersi huiusmodi sacrilegium perpetrasse dicentur: Propter quod singuli quoq;, & ijdem nocentes, non uniuersi, nec innocentes punientur.

Bar. in l. aut facta §. nonnunquam ff. de pœnis.

Secunda conclusio. In arbitrio prudentis Irenarchæ positum est, ut ipsam etiam multitudinem puniat, si id è Republica esse, & ad restaurandam publicam pacem & tranquillitatem conducere existimauerit. Primum enim omnium Reipublicæ interest, ne crimina maneant impunita. Deinde, ut ita in facinorosos animaduertatur, ut

l. ita uulnera-tus cum multis cõcord. ibidem in gl. ff. ad leg. Aquil. c. non potest. 23. q. 4.

pœna prosit magis, quàm obsit delinquentibus, & salutarem illis afferat medicinam : tum innocentes etiam à contagione, & ab instantibus periculis illęsos custodiat. Cum enim contagio peccandi multitudinem inuaserit, diuinæ disciplinæ seuera misericordia est : Nam consilia separationis & inania sunt, & pernicioſa atq; sacrilega. Quia impia & superba sunt, & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animosos malos. Qua sane ratione Ethnici quoq; olim turbas, & multitudines peccãtes emendarũt. Sic Alexander Seuerus, integras Legiones exauthorauit : Quirites eos appellans, id est, ex militibus factos Paganos atq; Quirites. Et idem de exauthorata apud Antiochiam Legione exclamauit. Quirites discedite, atq; arma deponite. Quo sane mirando exemplo depositis armis, depositis etiam sagulis militaribus, omnes non ad castra, sed ad diuersoria militaria recesserunt.

Lamprid. in Alexandro.

Simile est, quod ad milites dixit Iulius Cæsar.

Lucanus.

Vadite meq; meis ad bella relinquite fatis,
Inuenient hæc arma manus.

Et paulo post.

Vos defecta senes exhaustaq; sanguine turba,
Cernetis nostros iam plebs Romana triumphos.

Et rursus.

Iam certe mihi bella geram, discedite castris,
Tradite nostra uiris ignaui signa Quirites.

Decimare Legiones. *Budæus in Annot. in l. 2. ff. de his qui not. infam.*

Idem etiam ueteribus in usu fuit, quod ex M. Cicerone colligimus, ut si à multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animaduerteretur, ut metus uidelicet ad omnes, pœna ad paucos perueniret. Fuit autem mos antiquus, quo in Decimum quenq; militem sortitio animaduertebatur capitaliter : Vnde Decimatæ Legiones appellatæ sunt, ut alibi doctissimus declarat Budæus. Hanc morem sequutus M. Crassus, aduersus Spartacum delectus Imperator, milites, qui contra mandatum eius pugnam cum hoste parum fœliciter conseruerant, primum quidem abiectis armis ad se fugientes, summa ignominia excœpit : Deinde iterum armatis concedens, sponsores ab eis armorum seruandorum postulauit, & ex eis quingentos, qui primam fugam in acie cœperant, quiq; aliis timendi fuerant authores, in Quinquaginta Decurias partitus est. Inde ex earum qualibet unum sorte delegit, quem in totius exercitus oculis ultimo affecit supplicio : peruetustum sane Romanorũ puniendi morem, in consuetudinem reuocans, qui non minorem damno ignominiam continet, plurimumq; aspicientibus horrorem incutit.

Plutarchus in Crasso.

Tertia

Tertia concluſio. Quoties à populo aut à turba peccatur (quia in omnes propter multitudinem uindicari non poteſt) inultum ſolet tranſire. Ideoq; priora dimittenda ſunt Dei iudicio, & de reliquo maxima ſollicitudine præcauenda: quia hoc caſu peccante multitudine, ſeueritati aliquid detrahitur, & locum habet, quod Canon dicit. Non aſpere, non duriter, non modo imperioſo iſta tolluntur: ſed magis docendo quàm iubendo, magis monendo quàm minando. Sic enim agendum eſt cum multitudine peccantium: Quin potius cum multitudo corrigi non poteſt, & idem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud bonis reſtat, quàm dolor & gemitus, ut per illud ſignum quod Ezechiëli ſancto reuelabatur, illæſi euadere ab eorum uaſtatione mereamur.

c. quoties 1. q. 7.

c. cõmeſſationes 44. diſt.

c. non poteſt. 23. q. 4.

Ezech. 9.

Quarta concluſio. Vbi autem malè aliquid à multitudine fit, & quaſi ex authoritate defenditur, non debet dormire ſeueritas. Nam quæ eſt illa iuſtitiæ inimica bonitas, palpare criminoſos, & uulnera eorum uſq; in diem iudicij incurata ſeruare?

c. ſi quis 50. diſt.

Omnium autem maxime proderit, ut turba iniquorum, cum facultas eſt in populis promendi ſermonem, generali obiurgatione feriatur: & maxime, ſi occaſionem atq; opportunitatem præbuerit flagellum deſuper Domini, quo eos appareat pro ſuis meritis uapulare.

d. c. non poteſt. 23. q. 4.

De Calumniatoribus legum, & pœnis eorum, Cap. X.

IAm & qui crimini ſeditionis alia facinora adiungunt, grauius puniendi erunt, ſiue ſinguli, ſiue uniuerſi. Vt ſi blaſphemia in Deum & Sanctos eius, ſi ſacrilegium, ſi furtum, ſi rapina, ſi plagium, abigeatus, incendium, raptus uirginum, aliaue his ſimilia perpetrarint ſeditioſi, præter pœnas generaliter in ſeditioſos conſtitutas, eorum etiam criminum, quæ ſeditioni acceſſerint, pœnam ſuſtinebunt. Ac de pœna blaſphemorum, ſacrilegorum, incendiariorum, & quorundam aliorum criminum, quæ falſarum doctrinarum aſſertionibus & ſchiſmatibus, plærunq; ab hæreticis & ſchiſmaticis adiunguntur, *in libris de hæreticis.* De pœnis aũt calumniatorũ, detractorum, delatorum, & falſorũ accuſatorum, in libris noſtris, quos de calumnia ſcripſimus, ſatis à nobis dictum eſt. Nunc de pœna eorum dicendum erit, qui iuſte poſitas leges, tam Canonicas quàm ciuiles, calumniantur. Quod & ipſum crimen ſeditioni adiunctum, ac omnibus ferè ſeditioſis peculiare eſt, ut ſupra demonſtrauimus. Id autem tribus modis facere conſueuerunt. Quidam enim eo nomine leges abrogandas eſſe dicunt,

Alia crimina ſeditioni adiuncta.

Seditioſi abrogant leges.

quia non sint latæ ab his, qui condendarum legum potestatem habent. Quod ferè omnes semper solent hæretici, qui sanctorum Patrum & Conciliorum Decreta, quos sacros Canones appellamus, ideo reijciendos esse clamant: quia neq; Ecclesia Romana, nec qui illi præest Romanus Pontifex, nec sacrosanctæ Synodi, siue uniuersales siue locales, condendorum Canonum habeant authoritatem. Quin & scholas Catholicas, & Vniuersitates studiorũ generalium, & qui in his literas diuinas & sacros Canones, ad sensum sanctę et Catholicæ Ecclesię, quẽq; adeo Spiritus sanctus flagitat, & Catholicorum Doctorum captui suggerit, profitentur: Synagogas Diaboli, & falsarum & incommodarum opinionum confictores & astructores, eaq; quæ docent figmenta humana, inanes nugas & uanitates appellant. Quoniam autem qui talia asserunt, id est, qui sanctam & Catholicã Ecclesiam, & sacrosancta Concilia statuendorum Canonum authoritatem habere negant: quiq; conditos & receptos à Catholica Ecclesia Canones, quasi uim legum non habentes, reijciunt, ac authoritatem interpretandarum scripturarum approbatis Ecclesiæ Doctoribus derogant, hæretici sunt: merito hæreticorum quoq; pœnam sustinebunt.

Authoritas condendi Canones.

Conuitia in uniuersitates.

Hæretici sunt tales conuitiatores.

c. 122. dist. c. generali de elect. lib. 6. gl. in c. nulli fas. 19. dist. Panor. in c. cum non liceat de præscrip. c. in istis 4. dist.

Alij leges eo ipso reijciendas esse dicunt: quia iniuste eas ipsas latas esse existimant. Contra quos dicit Canon. In istis temporalibus legibus, quanquam de his homines iudicent cum eas instituunt: tamen cum fuerint institutæ & firmatæ, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas. De qua re & aliàs fusius scripsimus.

Calumniæ in leges & Canones.

Alij leges tam Canonicas quàm ciuiles, tanquam iniustas calumniantur: quia uerbo Dei contrariæ sint. Quod nostra ætate faciunt hæretici & schismatici, qui Canonicas ac Imperiales Constitutiones, ad conseruandam sanctæ Romanæ Ecclesiæ authoritatẽ, atq; Ecclesiasticam authoritatem latas, tanquam diuino uerbo aduersantes, & in primis cum ipsorum conscientia minime consentientes, abrogandas esse contendunt: Alias etiam eo nomine abijciunt, atq; condemnant, quod corpori legum ciuilium ementito falsorum authorum & Legumlatorum titulo sint insertæ. Ac in tales legum calumniatores locum habet pœna, quæ à Martiano Imperatore in eos constituta est. Qui, quæ semel iudicata, ac recte disposita sunt, reuoluere et disputare contenderint, ea est: Vt si Clericus fuerit, à consortio Cleticorum remoueatur. Si uero militia præditus fuerit, cingulo spolietur. Cæteri, si liberi sint, de ciuitatibus expulsi, in exilium aguntur, pro uigore iudiciario, etiam competentibus supplicijs subiugandi. Si uero serui, seueriſsimis animaduersionibus plectentur. Alij falsis & abrogatis Constitutionibus, tanquam ueteris utuntur. Et his secundum ueterum Constitutiones, lege Cornelia aqua & igni interdicitur. Nouo autem iure de his Iustiniani Imperato-

Pœna in calumniatores legũ. *l. nemo C. de sum. tri. & fid. Cath.*

l. fi. ff. ad leg. Cor. de falſ.

Imperatoris Constitutio extat, quæ sic habet. Sciant, inquit, omnes, tam litigatores, quàm disertissimi Aduocati, nullatenus eis licere de cætero Constitutiones ex ueteribus tribus Codicibus, uel ex his, quæ nouellæ Constitutiones ad præsens tempus uocabantur, in cognitionalibus recitare certaminibus, sed solo eidem nostro Codice insertis Constitutionibus necesse esse uti: falsi crimini subdendis his, qui contra hoc facere ausi fuerint, cum sufficiat earundem Constitutionum nostri Codicis recitatio, adiectis etiam ueterum iuris Interpretatorum laboribus, ad omnes dirimendas lites. *c. de Iustiniano cod. cõfir. §. hunc igitur Panor. & doct. in c. noua uit. de iud.*

Alij iustas leges, quas negare non possunt, prudenter & iuste esse latas, deprauando corrumpunt. Quod omnium maxime hæretici solent, qui leges non solum humanas, sed etiam diuinas falsis uel adiectionibus, uel detractionibus, uel compositione falsa, uel detorta allegatione, uel interpretatione falsa deprauant: Vt late de hac re in libris de hæreticis scripsimus. Deprauare legum sensus.

Qui igitur leges, siue Ciuiles siue Canonicas, ad eos quos dixi modos, deprauant, atq; corrumpunt, lege Cornelia de falso tenentur. Sed nec ius ciuile calumniari, nec uerba eius captare: quin potius qua mente unaquæque lex lata sit, animaduertere oportebit. Qui enim uerba legum captant, ac non uerum earum sensum amplectuntur, fraudem legi facere existimantur: Maxime uero, qui sacris doctrinis aduersantes, uerba scripturarum, non secundum traditionem Patrum, sed iuxta suum sensum, ac propriam ingenij uirtutem uel intelligentiam docent. Sunt enim multa uerba in diuinis scripturis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisq; sponte præsumpserit: Sed quæ res maximam in se habet blasphemiam, ut qua sensus scripturarum, quem sanctus Spiritus flagitat, inuertitur, & agnita diuina ueritas impugnatur. Itaq; non sensus extrinsecus, alienus, & extraneus, in scripturis sanctis quærendus est, ut quoquo modo ex scripturarum authoritate confirmetur: sed ex ipsis scripturis sensus capiendus est ueritatis. Qui secus faciunt, ac scripturarum uerba captantes, sensum ueritatis inuertunt, pro hæreticis habendi sunt: Quorum & doctrina anathematizanda est, & ipsi ut hæretici seueriſsime puniendi. *l. hodie ff. ad leg. Cor. de falsis. l. si quis id quod ff. de iurisd. omnium iud. L. pe. ff. ad exhib. Bal. in l. benignus ff. de legib. c. relatum 37. dist. c. hæreses 24. q. 3.*

De seditiosis, qui Iudices & Magistratus calumniantur, deq; pœnis eorum, Caput XI.

NOn solum autem iura & leges, sed etiam Iudices & Magistratus, quibus earundem exequutio demandatur, calumniantur, eorumq; famæ & uitæ insidiantur seditiosi. Quod & ipsum crimen seditioni adiunctum est, & ob id competenti etiam pœna coërcendum. Est autem Calumnia, per quam falsa crimina scienter innocentibus intenduntur, siue in iudicio per accusationem & falsa testimonia: siue extra iudicium per conuitia, famosos libellos, proditiones, detrectationes, aliasq; similes alienæ existimationis offendendæ technas.

Quid Calumnia.

Est igitur prima & eadem generalis calumniatorum pœna, ut similitudine supplicij coërceantur, id est, eadem pœna, quam confessus conuictusue, qui calumniam patitur, sustineret, plectantur. Sic enim habet lex. Quisquis crimen intendit, non impunitam fore nouerit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad uindictam poscat similitudo supplicij. Huic haud dissimilis est pœna, qua lex diuina in falsos testes constituit. Si steterit, inquit lex, testis mendax contra hominem, accusans eum præuaricationis: stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum, & iudicum, qui fuerint in diebus illis. Cumq; diligentissime perscrutantes inuenerint, falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium: reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit, & auferes malum de medio tui, ut audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. Non miserebéris eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges. Sed & iure ciuili cautum est, ut qui operam dat, quo quis falsum iudicium profiteatur, ut quis innocens conueniatur uel condemnetur. Item qui falsum testimonium dolo malo dixerit, quo quis publico iudicio rei capitalis damnetur: quiue Magistratus iudexue quæstionis, sub capitalem causam pecuniam acceperit, ut publica lege reus fiat, lege Cornelia de Sicarijs teneatur.

L. fi C. de accus. & l. fi. C. de calumniatoribus.

Deut. 19. Exod. 20.

L. 1. ff. ad leg. Cor. de Sica. Bald. in c. 1. uers. quod falso de pace tenēd.

Porro de pœna eorum, qui falsis detractionibus aliorum famam & existimationem lædunt, sic habet Canon. Caueat unusquisq;, ne aut linguam, aut aures habeat prurientes, id est, ne ipse aut alijs detrahat, aut alios detrahentes audiat. Sedens, inquit Propheta, aduersus fratrem tuum loquebaris detrahendo, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum. Parcant singuli detractioni linguæ, custodiantq; sermones suos, ut sciant, quia cuncta quæ de alijs loquuntur, sua sententia iudicabuntur, nemo inuito auditori libenter refert. Officium singulorum sit, non solum oculos castos seruare, sed etiam linguam,

Canon contra detractores. *c. ex merito 6. q. 1.*

Psal. 49.

linguam, nec quod in cuiuſq; domo agatur, alia domus unquam per eos nouerit: habeant omnes ſimplicitatẽ columbæ, nec cuiquam machinentur dolos & ſerpentis aſtutiam, ne aliorum ſupplantentur inſidijs. Sed & homicidæ ſunt, non ſolum qui manibus hominem occidunt, ſed etiam quorum conſilio, fraude, & exhortatione homines extinguntur. Similiter detractores, quia & qui occidit fratrem ſuum, & qui odit, & qui detrahit ei, pariter homicida eſſe demonſtratur. Eſt autem detractor, qui quæ à Deo alicui collata ſunt, negat uel inuertit. Veluti qui ſapienti ſapientiam, caſto caſtitatem detrahit: uel qui, quæ bono zelo fiunt, ea malo zelo fieri aſſerunt: Sicut Iudæi dicebant, Chriſtum in nomine Beelzebub dæmonia eijcere. Ac illorũ quidem pœna eſt diuina, ut uitã æternam non habeant, dicente Apoſtolo. Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt: & ſcitis quoniam omnis homicida non habet uitã æternam, in ſe manentem. Humana, ut quaſi calumniatores, & alienæ famæ inſidiatores puniantur.

c. periculoſe de pœnit. diſt. 1.
c. homicid. de pœn. diſt. 1.
Gl. in d.c. homicidiorum de pœn. diſt. 1.
Matth. 12.
1. Ioh. 3.

Præterea infamia notantur, & à communione fidelium ſeparantur detractores, nec ad ferenda teſtimonia admittuntur: De qua re ita Anacletus Papa. Deteriores ſunt, inquit, qui doctorum uitam moresq; corrumpunt his, qui ſubſtantias aliorum prædiaq; diripiunt. Ipſi enim ea, quæ extra nos ſunt, licet noſtra ſint, auferunt. Noſtri quoq; detractores, & morum corruptores noſtrorum, ſiue qui aduerſus nos armantur, proprie nos ipſos decipiunt, & ideo iuſtè infames ſunt, & merito ab Eccleſia extorres fiunt, &c.

c deteriores 6. q. 1. Archi. in c. ſumma iniquitas 6. q. 1.

Et Clericus maledicus degradatur, nec unquam abſq; ſatisfactione ad officium reuocatur. Quin & iniuriarum tenentur ijs, quorum famam falſis detractationibus læſiſſe conuincentur: Etſi qui ob infamiam & egeſtatem iniuriarum iudicium contemnere, nec læſo ſatisfacere poſſint, eam rem iudex acrius in eos exequetur, ut qui non habent in ære, luant in corpore. Nam pro qualitate perſonarum uel fuſtibus ſubijciuntur, uel exilio temporali, uel interdictione certæ rei coërcentur. Si quis uero librum ad infamiam alicuius pertinentem ſcripſerit, compoſuerit, ædiderit, doloue malo fecerit, quo quid eorum fieret, etiamſi alterius nomine ædiderit, uel ſine nomine. Item. Qui ædendum, emendum, uendendumue curauerit. Similiter ſi quis famoſum libellum ſiue domi ſuæ, ſiue in publico, uel quocunq; loco ignarus repererit, non ſtatim corruperit, uel igni conſumpſerit, ſed uim eius manifeſtauerit: de iure ciuili, quaſi author huiuſmodi libelli, capitali ſententiæ ſubiacebit. De iure aũt Canonico, Ieſu Chriſti corporis & ſanguinis participatione priuabitur. Etſi tanti mali ſibi conſcius & prohibitus, corpus & ſanguinem dum percipere præſumpſerit, anathematis ultione percutietur: & ſi illam quoq; pœnam cõtempſerit, flagellis quoq; ſubigetur.

c. Clericus maled. 46. diſt.
L. ſi quis iniur. & l. ſi. ff. de iniurijs.
l. lex Cornel. § ſi quis librũ ff. de iniurijs.
l. unica C. de fam. libellis.
c. quidã 5. q. 1.
c. qui alterius 5. q. 1.

Sic

c.si peccauerit 2.q.1.

Sic nec immunes à pœna sunt, qui aliorum occulta peccata reuelauerint: Est enim grauissimum peccatum, occultum proximi peccatum reuelare. Nam qui solus nouit, quod alius in ipsum peccauit, & eum coram omnibus arguit, non corrector, sed proditor est

Prouerb.11. erroris, ut inquit Sapiens. Et qui reuelat arcana, fraudulenter ambulat. Et iterum. Quæ uiderint oculi tui, ne proferas in iurgio cito, ne postea emendare non possis, cum dehonestaueris amicum tuum.

Sed nec pœna uacabunt, quorum consilio & opera, innocentes existimationis bonorumue iacturam passi esse dicentur: quiue tale aliquid reuelauerint, quo Respub. detrimentum patiatur. Omff. & C. ad leg. Cor. de sicar. nium uero seueriſsime puniendi sunt, qui innocentium uitæ insidiati fuerint, ut qui clam, uel palam eos occiderint, aut ut occidantur, opẽ auxiliumue præstiterint. Nam qui hæc atq; his similia necandorum hominum causa perpetrauerint, lege Cornelia de Sicarijs tenentur.

Atq; hęc sane crimina grauissima quidem in suo genere esse constat, quod & ex genere pœnarum, quibus coërcentur, facile cognoBald. in Rub. c. qui accus. nõ poss. l. 2. ff. de publ. iud. Bald. in l. reos C. de accus. ff. de postul. l. 1. in princip. ff. de iurisdi. omnium iud. l. si familia. 2. q. 7. c. si quis Episcopo. Oldr. cons. 7. L. 1. C. de priuatis carceribus. scere licet. Siquidem ex seueritate pœnæ, simul etiam atrocitas delictorum cognoscitur. Sed quæ multò redduntur atrociora, & ob id grauioribus etiam pœnis plectenda, si in Magistratus, aliasq; personas publicas admittantur. Nam crimina quæ in priuatos perpetrata priuata essent, si in personas publicas committantur, uel usurpando uel offendendo, publica fiunt: ut non solum publico iudicio uindicentur, sed etiam unicuiq; de populo ea ipsa uindicandi potestas concedatur. Cuiusmodi sunt priuati carceris usurpatio, Legatorum uiolatio, & similia.

Sic & propter eandem rationem publicum crimen esse dicimus, quod in Deum & sanctos eius committitur. Item quod in sacrosanctam Religionem nostram, in sacerdotes, & ministros Ecclesiæ perpetratur.

Quibus modis in crimine seditionis procedendum sit, Caput XII.

L. prolatam C. de sent. & interl. om. iud. IN crimine seditionis, ut in cæteris quoq; delictis, solitus iudiciorum ordo seruandus est: ut nemo nisi confessus uel conuictus, ac per sententiam rite condemnatus, puniatur. Nam etsi rebelles sint, &

In extrauag. qui sint rebel. Petr. Cor. cõs. 96. 4. partis. appellentur etiam, qui occultæ rebellionis opera fuerint, ut Henrici Imperatoris constitutione declaratur: tamen ut rebelles puniri non possunt, nisi de rebellione legitime condemnati: siue corporalis, siue pecuniaria, aut alia quæcunq; pœna imponenda sit. Nam nec priuilegia amittunt seditiosi, nisi

Bald. cons. 96. 3. partis. de seditionis crimine condemnati, ut alibi inquit Baldus.

Vnde

Vnde quod Paul. de Castro alibi diffinit, rebellem non esse, nisi qui condemnatus sit, de pœna rebellibus imponenda accipiendum esse puto: non de nomine, & esse rebellium. Nam etiam non condemnati rebelles sunt & appellantur. Sed qui tamen ut rebelles, nisi per sententiam condemnati, rebellium pœna affici non possunt. *Paul. de Cast. cons. 112. in secunda parte.*

Porro in crimine seditionis, maxime uero rebellionis & læsæ Maiestatis proceditur, per accusationem, inquisitionem, seu denunciationem, summariè & de plano, sine strepitu & figura iudicij: ut Henrici Imperatoris Septimi constitutione declaratur, cuius hoc loco uerba inserere libet, quæ sic habent. Ad reprimendum multorū facinora, qui ruptis totius debitæ fidelitatis habenis, aduersus Romanum Imperium (in cuius tranquillitate, totius orbis regularitas requiescit) hostili animo armati conantur, nedum humana, uerum etiam diuina præcepta, quibus iubetur, quòd omnis anima Romanorum Principi sit subiecta, sceleratissimis facinoribus, & assiduis rebellionibus demoliri, ne ex eorū absentia in detestando læsæ Maiestatis crimine, processus & à sententia retardentur, & tanti sceleris nefanda temeritas remaneat impunita: Hac edictali, Deo propitio, perpetuo ualitura lege sancimus, ut in quocūq; læsæ Maiestatis crimine, & maxime, ubi contra Romanorum Imperatores & Reges, aliquid, quod dictum tangat, asseratur cōmissum, possit procedi per accusationem, inquisitionem, seu denunciationem, summarie & de plano, sine strepitu & figura iudicij, prout illi, qui Iurisditioni præest, uidebitur expedire. Ad hoc, Si qua communitas, corpus uel collegium, uel alia quæuis persona, cuiuscunq; status, dignitatis, uel conditionis existat, super dicto crimine per nuncium, uel per literas, seu per edictum publice propositum, citata uel citatum neglexerit in termino personaliter, uel legitime comparere: contra ipsam uel ipsum perinde ac si præsentialiter omnibus interesset, uel lis foret legetime contestata, tam ad receptionem testium, & eorum publicationem, & sequentia. quàm ad diffinitiuam sententiam, & eius exequutionē procedatur, legibus & consuetudinibus non obstantibus quibuscunq;. *In extrauag. ad reprimend. quomodo in cri. læsæ Mai. proced. sit.* *Rom. 13.*

Cæterum, quę ad accusationem, inquisitionem, denunciationem, omnemq; adeo processum, tam plenarium quàm summarium in ciuilibus & criminalibus, ac partes eorum, quæ sunt, citationes, petitiones, exceptiones, & defensiones, probationes, sententiæ, &c. pertinent: plene à nobis in libris de hæreticis & schismaticis disputatum est. Quorum sane usus, quoniam seditionibus omnibus, & quæ ex causis sacris, & quæ ex prophanis descendunt, communis est: non alienum fuerit, quæ specialiter de processu in causis hæresum à nobis scripta sunt, ea communiter ad causas quoq; prophanarum seditionum accommodare. Illud tamen hoc loco addere libet, quæ de processu in causa rebellionis, & criminis læsæ Maiestatis sancita sunt, ut

horum

horum criminum rei, non niſi citati, defenſi, & rite condemnati, puniri poſsint: Ea in obſcuris tantum non notoriis, nec quæ moram non recipiunt, locum habere. Nam in enormibus & notoriis, non eſt neceſſe iudiciarium ordinem obſeruari: maxime in perſonis eorum, quos damnatos ſtatim puniri publice intereſt, ſicut & aliàs in enormibus iura tranſgredi permiſſum eſt. Vt Innocentio placuit, cuius ſententia ab omnibus communiter recepta & approbata eſt.

Imo, quem omnes ſequuntur in c. 1. de cõſtit. Latiſſime Hip. de Marſ. in l. unus §. cognaturum ff. de quæſt.

Ac propterea in notoriis, etiam non citatus condemnari poteſt, etiamſi in aliis cauſis ſententia in non citatum & defenſum lata, ſit ipſo iure nulla: maxime, ſi crimen ita notorium ſit, ut nulla declaratione indigeat, certumq; ſit, nullam etiam defenſionẽ reo competere.

Bal. in prælud. feud. in 18. col. gl. in l. pe. ff. ex quib. cauſ. maior.

Sic nec ſententia opus eſt in notoriis, etiam declaratoria: nec appellatio eorum recipitur, quos publice intereſt damnatos ſtatim puniri, ut latrones, ſeditionum concitatores, & duces factionum.

Latißime Franciſ. de Aretio conſ. 163. cl. Paſtoralis de re iud. cum ſimilib.

Alia ad eandem rem pertinentia diligentiſsime à Bartholo, perſpicaciſsimo ſimul & diligentiſsimo iuris Interprete, in iis commentariis, quos in præfatam legem ſcripſit, explicantur: quæ & nos exactius aliquanto in quibuſdam libellis noſtris, de rebellione Schmalkaldicæ factionis, in Germanica lingua ſcriptis, ſed nec dum tamen in lucem æditis, diſcuſsimus. Quæ uero ad uſum & exercitium, & uocant, praxim prędictæ conſtitutionis pertinent, etſi crimen ipſum læſæ Maieſtatis & rebellionis à multis retrò Romanis Principibus, legitimis in rebelles ipſos irrogatis pœnis, uindicatum fuerit, tum certus etiam in cognoſcendo iudicandoq; proceſſus & ordo ſeruatus: tamen huiuſmodi proceſſuum nulla ueterum Principum (quæ tamen ædita fuiſſe credibile eſt) exempla cernuntur: Etſi alicubi ſunt, tamen quo minus in lucem prodierint, hactenus in occulto retenta fuerunt. Hodie autem duorum tantum in rebelles proceſſuum exempla extant, ea uidelicet, quæ anno ſalutis M. D. XLVI. & anno XLVII. à Glorioſiſsimo & Inuictiſsimo Romanorum Imperatore Carolo, huius nominis Quinto, ædita ſunt, quorum alterum ad duo illa Schmalkaldicæ coniurationis capita, Ioannem Fridericum Ducem Saxoniæ, & Philippum Landgrauium Haſsiæ communiter: Alterum uero, ad præfatum Saxoniæ Ducem proprie pertinet. In quorum priore illo præfatus Dux, & Philippus Haſsiæ Landgrauius, tanquam læſæ Maieſtatis rei, rebelles, & publicæ pacis uiolatores Imperij, Imperiale Bannum, aliasq; pœnas iuris incidiſſe, per ſententiam Imperatoris declarantur. In altero uero, in prædictum Saxoniæ Ducem, ab Imperatore armata manu uictum & captum, capitalis ſententia pronunciatur, qua ipſum gladio ultore, ultimo ſupplicio afficiendum eſſe declaratur. Quorum proceſſuum, quoniam ab Imperatore in celebrioribus Imperij locis publicati, ac typis etiam Chalcographicis excuſi, ac omnibus inſuper uenales

L. conſtitut. ff. de appella.

uenales expositi fuerunt: Dubium non est, quin hodie passim per totum Imperium exposita extent exempla, ut iam non opus sit, illorum seriem hoc loco recitare, aut his scriptis nostris inserere.

Illud tantum admonitos esse uelim omnium rerum publicarum administratores, qui obedientiæ Romani Imperatoris subiecti sunt, ut horum processuum exempla in archiuis publicis retineant, ut his ipsis, quoties usu uenerit, admoniti, & ipsi sua officia summa cum fide adimplere, & subditos quoq; eorum ipsorũ admonere, & in obedientia retinere possint.

De uindicta diuina in seditiosos, Caput XIII.

HActenus de pœnis humanis diximus, quæ scilicet humanis Constitutionibus in seditiosos sancitæ sunt. Etsi autem de eodem crimine nõ debeat sæpius referri quæstio: tamen nulla pœna humana quantumlibet grauis & seuera, diuinam pœnam excludere potest. Nam si humanarum pœnarum ea conditio est, ut quæ inter se certum ordinem habent, alia alterius neq; dispositionem, neq; exequutionem suspendere impedireue possit: quanto magis fixa semper erit, ac nulla humana pœna impedienda uel excludenda, quæ semel in facinorosos constituta fuerit uindicta diuina.

Pœnam diuinam non excludit humana. *Bald. in l. 1. C. de sum. tri. & fid. Cath.*

Est autem pœna diuina, quæ ab ipso Deo, uel à Dei ministris, Angelis uel hominibus, mandante Deo, uel diuina lege præcipiente, delinquentibus irrogatur. Et est duplex: Æterna, & Temporalis.

Etsi autem à Propheta dictum sit. Non iudicabit Deus bis in idipsum: tamen non ideo, qui à Deo temporaliter puniuntur, non erunt etiam, si inter flagella pœnitentiam non egerint, æterna pœna cruciandi. Nam qui inter flagella duriores fiunt, instar Pharaonis, præsentibus æterna connectunt, ut temporale supplicium, sit eis æternæ damnationis initium. *Num. c. 1. De pœnit. dist. 3. c. sunt plures ſ. authori.*

Primum igitur temporaliter Deus per se puniuit Adam, quem propter præuaricationem diuini mandati, de Paradiso eiecit: multos etiam per ministros Angelos puniuit, qualis uindicta fuit, quam Dominus de Rege Assyriorum per Angelum sumpsit. Egressus est, inquit Propheta, Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum Centum octoginta quinq; millia, & surrexerunt mane, & ecce omnes cadauera mortuorum. *Gen. 3. Esa. 37. 4. Reg. 19. Eccles. 48.*

Sic uiros Sodomorum domum Loth circundantes, percelerunt Angeli, siquidem omnes à minimo usq; ad maximum cæcitate *Genes. 19.*

33.q.5.c.Remittuntur.

percusserunt. Per homines autem Deus punit peccata, aliquando quidem nescientes: aliquando scientes. Per nescientes, sicut per Sennacherib, & per Nabuchodonosor Regem, & per Antiochum, & per Principes Romanorum, & per nonnullos Reges Gentilium, populum Israëliticum delinquentem aliquando afflixit, aliquando captiuauit. Vnde ipse Dominus ait per Prophetam. Virga furoris mei Assur, ipse autem non cognouit. Etsi autem ministri Dei sunt, per quos Deus diuina iustitia peccatores punit: tamen & ipsi diuinam uindictam haud euitant, si in superbiam elati, uictoriam, quam assequuntur, non diuinæ potentiæ, sed suis uiribus attribuunt.

Esa.10.

Assur, uirga diuinæ uindictæ.

Vnde de Assur dicit Dominus. Væ Assur, uirga furoris mei: & baculus ipse est, in manu eius indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita æstimabit: sed ad conterēdum erit cor eius, & ad internicionem Gentium non paucarum. Et paulo post. Et erit, cum impleuerit Dominus cuncta opera sua in monte Syon, & in Hierusalem: Visitabo super fructū magnifici cordis Regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorū eius. Dixit enim: In fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi: & abstuli terminos populorum, & Principes eorum deprædatus sum, & detraxi quasi potens insublimi residentes, & inuenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum: & sicut colliguntur oua, quæ derelicta sunt, sic uniuersam terram ego congregaui, & non fuit, qui moueret pennam, & aperiret os, ut ganniret. Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur? Quomodo si eleuetur uirga contra eleuantem se, & exaltetur baculus, qui utiq; lignum est. Propter hoc mittet Dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem, & subtus gloriam eius succensa ardebit, quasi combustio ignis, &c.

1.Mach.1.

Sic Antiochus, per quem Idolatriam Iudaicæ plebis Dominus punire decreuerat, & Romanos per quos peccatum mortis Christi uindicare statuerat: quia Dei dispositionem ignorantes, uictoriam sibi à Deo in uindictam gentis peccatricis concessam, suis uiribus ascripserunt, imprecationes diuinas audiunt. Qualis est illa Prophetæ. Effunde iram tuam in gentes, quæ non nouerunt te, & in regna, quæ non inuocauerunt nomen tuum: ne forte dicant in Gentibus, ubi est Deus eorum. Item. Leua manus tuas in superbias eorum, qui te oderunt: & qui multa maligna operati sunt, monumenta uictoriæ suæ posuerunt in medio atrio tuo.

Psal.78.

Psal.73.

Numeri 31.

Per scientes peccata puniuntur. Sicut Deus per filios Israël punire uoluit

uoluit peccata Amorræorum & Cananæorum, & aliorum Gentium, quarum terram Israëlitis possidendam dedit, quibus etiam præcepit, ut nemini eorum parcerent, sed omnes morti traderent.

Sed & mali interdum excitantur ad puniendum peccata bonorum, ut tandem per bonos correctos, ipsi quoq; puniantur: Sicut in libro Iudicum legitur de Iabin Rege Cananæorum, & de Madianitis, quod propter Idolatriam populi suscitauit eos Deus, ut Israël affligerent, & terram eorũ occuparent. Cum aũt populus Dei, sub manibus eorum diutius afflictus, peccatum suum recognosceret, & per Pœnitentiam sibi Deum placaret: Dei præcepto & Barach comitatus Delboram Prophetissam uxorem Lapidoth, Iabin Regem Cananæorum, & Zizaram Ducem exercitus sui, contriuit, & Gedeon, Zebee & Salmana Reges Madianitarum, & Oreb & Zeb Duces eorum, morti tradidit. *Iud. 4. Iud. 8. Iud. 5 & 7.*

Ad eundem igitur modum, seditiosi quoq; semper à Deo puniti sunt. Cuius rei inter multa exempla, quæ in historijs sacris referuntur, unum tantum, quod de Chore, Dathan & Abyron proditur, proferre libet: Vt quo non solum atrocitas delicti cognoscenda, sed etiam diuinæ uindictæ seueritas timenda proponuntur. Hij nimirum collecto cœtu filiorum Israël, quippe Ducentorũ quinquaginta uirorum Procerum, insurgentes contra Moysen & Aaron, primum quidem aduersus utrunq; nimis superbe ac seditiose. Sufficiat uobis (inquiunt) quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus: Cur eleuamini super populum Domini? Deinde ad Moysen conuersi, quia eos ne sacerdotium sibi uendicarent, & ne contra Aaron starent, admonuerat Moyses, simul atq; ut altero die unusquisq; cum turribulo suo, ad offerendum incensum ueniret, præceperat, ut sic appareret, qui electi à Domino sancti essent: Ipsi tam paternæ admonitionis impatientes (quod omnibus fere seditiosis semper peculiare fuit) impudenter ac proterue respondérunt. Non ueniemus, nunquid parum est tibi, quod eduxisti nos de terra Ægypti, quæ lacte & melle manabat, ut occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri? Re uera induxisti nos in terram, quę fluit riuis lactis & mellis, & dedisti nobis possessiones agrorum & uinearũ, an & oculos nostros uis eruere? non uenimus. Hactenus atrocitatem rebellionis expositit scriptura. Deinceps seueritatem uindictæ declarabit, quæ quo magis multitudinis infigeretur animis, qualis & quanta ea esset futura, & quam non ab homine, sed à Deo esset immissa, priusquam ea inferetur, his uerbis exposuit Moyses. Primum enim præcipiens uniuerso populo, ut separaretur à Tabernaculis Chore, Dathan & Abyrõ, dixit. Recedite à Tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne involuamini in peccatis eorum. Deinde mox insequuturę pœnæ atro- *Num. 16.* Vindicta in Chore, Dathan, & Abyron.

citatem ingerens. In hoc scietis, inquit, quod Dominus miserit me, ut facerem uniuersa quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim: Si consueta hominum morte interierint, & uisitauerit eos plaga, qua & cæteri uisitari solent, non misit me Dominus. Sin autem nouam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum, deglutiat eos & omnia, quæ ad illos pertinent, descenderintq; uiuentes ad Infernum: scietis, quod blasphemauerint Dominum. Quibus ita per Moysen dictis, statim insequuta pœna est. Nam confestim, ut cessauit loqui, dirupta est terra sub pedibus, & aperiens os suum, deuorauit illos cum Tabernaculis suis, & uniuersa substantia eorum, descenderuntq; uiui in Infernum: operti humo, & perierunt de medio multitudinis. Et hæc quidem pœna authorum seditionis fuit. Quod sequitur, ad pœnam multitudinis pertinet. Sed & ignis egressus à Domino (inquit historia) interfecit ducentos quinquaginta uiros, qui offerebãt incensum. Et cum die sequenti orta noua seditione & tumultu, omnis multitudo filiorum Israël contra Moysen & Aaron murmurasset, quasi populum Domini interfecissent, ipsis etiam iam pro populo orantibus, magna pars eorum incendio deuastata est. Fuerunt enim, qui percussi sunt, quatuordecim millia hominum & septingenti, absq; his, qui perierant in seditione Chore.

Pœna in blasphemũ

Iam & blasphemiæ, sacrilegia, rapinæ, aliaq; seditionibus adiuncta crimina, à Deo semper punita fuerunt. Ac de blasphemijs lex inquit. Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum: & qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus cum opprimet omnis multitudo populi, siue ille ciuis, siue peregrinus fuerit. Quo sane exemplo filius Salumith Ægyptius, quia blasphemauerat nomen Domini, & maledixerat ei, extra castra eductus, ab uniuerso populo lapidatus est.

Leuit. c. 24.

Sacrilegium autem appellamus, primum quod in uerum Dei cultum committitur: Quod ipsum quantum abominetur Deus, quamq; seueriſsime semper uindicauerit, multis scripturæ exemplis comprobari potest. Ego ex multis pauca afferam.

Ozias Rex ob id, quod oblaturus incensum sacerdotibus resistentibus minatus fuit, percussus est lepra, & iectus de domo Domini, leprosus fuit usq; ad diem mortis suæ. Nec uero eo tantum peccauit, quod sacerdotibus uim inferre conatus est: sed etiam quia sacerdotum officium usurpauit. Quod & ipsi sacerdotes significant his uerbis. Non est tui officij Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiusce modi ministerium. Egredere de sanctuario, ne contemperis: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo.

2. Paralip. 26.

Acham Rex, alijq; multi, qui direptis omnibus uasis domus Dei

2. Paralip. 29.

Dei atq; confractis, clauserunt ianuas domus Dei, ad iracundiam prouocarunt Dominum Deum patrum suorum. Quod & Ezechias Rex testatur, qui cum ualuas domus Domini aperuisset, & instaurauisset eas, ita ad sacerdotes loquutus est. Audite me Leuitæ, & sanctificamini: mundate domum Domini patrum nostrorum, & auferte omnem immundiciem de sanctuario. Peccauerunt patres nostri, & fecerunt malum, in conspectu Domini Dei nostri, derelinquentes eum: auerterunt facies suas à Tabernaculo Domini Dei nostri, & præbuerunt dorsum: clauserunt ostia, quæ erant in porticu, & extinxerunt lucernas, incensumq; non adoleuerunt, & holocausta non obtulerunt in sanctuario Deo Israël. Concitatus est itaq; furor Domini super Iudam & Hierusalem, tradiditq; eos in commotionem, & in interitum, & in sibilum, sicut & ipsi cernitis oculis uestris. En, corruerunt patres nostri gladijs: filij nostri & filiæ nostræ, & coniuges captiuæ ductæ sunt propter hoc scelus. 2. Paral. 29.

Et Achon ex mandato Domini lapidatus est, & cuncta quæ illius fuerant, igni consumpta: quia quædam spolia ciuitatis Hierico, quæ Domino consecrata fuerant, usurpauit. Iosue. 7.

Sed & prophanas res de templo surripere, sacrilegium fuit, quod & ipsum grauissime à Deo punitum est. Heliodorus, qui iussu Regis Seleuci templum Hierosolymitanum, pecunia in deposito custodita, ac à Simeone templi Præposito prodita, spoliare conatus est: uirtute diuina subito correptus, flagellatus, plagis uerberatus, in terram concidit, multaq; caligine circumfusus rapitur, & ex templo ejicitur, mutus, omniq; spe & salute priuatus: qui & perijsset, nisi oblato pro eo sacrificio à summo sacerdote, in eadem uirtute diuina liberatus esset. 2. Machab. 3.

Alchimus, quia muros domus sanctæ, & opera Prophetarū destruere cœpit, impedita sunt opera illius, & occlusum est os eius, & dissolutus est paralysi: nec ultra potuit loqui uerbum, & mandare de domo sua. 1. Machab. 9.

Cæterum quæ ad uindictam diuinam aliorum criminum, seditioni adiunctorum, pertinent: in libris de hæreticis, satis à nobis, quantum etiam ad hoc nostrum institutum attinet, discussa sunt atq; declarata.

DE SEDITIONIBVS

LIBER SEXTVS: QVI EST DE REMEDIIS, QVIBVS SEDITIONES NON *modo ſedantur, ſed etiam extinguuntur: Tum etiam præcauetur, ne ſemel extinctæ, denuo renaſcantur.*

Quibus modis ſeditiones, quas potentiorum auaritia peperit, extinguantur. Cap. I.



Equitur ſextum remedium ſeditionum, quod eſt cauſarum, ex quibus ſeditiones oriuntur, remotio: tanto cæteris efficacius, quia ſuperiora illa ad comprimendam & ſedandam, hæc uero ad extinguendam etiam ſeditionem pertinẽt: tum ad prẽcauendum etiam, ne ſemel extinctæ ſeditiones, denuo renaſcantur. Siquidem diuiſione, tranſactione, ui armata, & iudiciali animaduerſione, id tantum efficimus, ut ſeditio, quæ iam in motu eſt, ne uel latius ſerpat, neue ubi graſſari cœperit, omnia corrumpat atq; deuaſtet. At cauſarum remotione id aſſequimur, ut nõ ſolum ſedentur atq; ſopiantur ſeditiones, ſed etiam radicitus extirpentur: ut ne periculum quidem ſit, eas ipſas (niſi cauſę de nouo emergant) reſuſcitatum iri. Nam ita natura comparatũ eſt, ut durante cauſa, duret effectus: ceſſante, ceſſet: extincta, extinguatur. Quam naturæ rationem medici quoq;, qualis naturę & Philoſophorum architecti ſequuti, in primis operam dant, ut ante omnia morbi cauſam cognoſcant, ac cognitam deinde radicitus euellant. Ita enim fit, ut cauſa morbi ſublata, non ad tempus tantum à morbo ſubleuetur æger, ſed etiam in totum ab eo liberetur.

Medicorũ conſuetudo.

Excidendę cauſæ ſeditionum.

Quid obſtat igitur, quin prudens Irenarcha, idem quoq; in depellendo à ciuili Reipublicæ corpore ſeditionis morbo obſeruet: ut primum diligenter cauſas ſeditionum inueſtiget, & cognitas in tempore repellat. Sic enim facillime aſſequetur, ut ſeditiones iam ſopitæ, & inſtar ignis uelut ſub cineribus latentes, non tantum premantur, ſed etiam extinguantur. Primum igitur omnium repetenda hoc loco erunt, quę libro ſecundo huius operis de cauſis ſeditionum ſcripſimus: quo facilius, quod de remouendis ipſis conſilium daturi ſumus,

mus, cognoscere possimus. Ac causas quidem seditionũ multas enumerauimus: & harum quidem alias Principales, alias Instrumentales: & Principalium alias Propinquas, alias Remotas. Sed & remotissima causa seditionum est, ex qua cæteræ omnes, tanquam ex radice enascuntur. Hæc nimirum est, uitium illud ex peccato primi parentis nostri Adæ, in carne nostra contractum, id est, rebellio illa carnis aduersus spiritũ, de qua dicitur. Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Ex qua omnium seditionum semina producuntur, quæ nimirũ sunt opera carnis, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectę, inuidiæ, homicidia, & his similia: quibus dissensiones, quæ propter auaritiam, ambitionem, metum, cõtemptũ, & quæ ob dissimilitudines originis, generis, artium, religionis: item quæ ob negligentiam eorũ, qui præsunt rebus publicis, oriuntur, & si quæ sunt similes, quas nos causas Principales seditionũ, sed eas tamen remotas appellauimus. Similiter & Instrumentales, fraudem & uim, & quæ his ipsis coniunguntur, quas Instrumentales nominauimus. Ac remotissima quidem illa seditionum causa (quam rebellionẽ carnis esse diximus) supprimi quidem & domari potest: extingui aũt, & radicitus extirpari non potest, donec locũ habebit, quod Apostolus dicit. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in uirtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Et paulo post. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionẽ, & mortale hoc induere immortalitatẽ. Remotæ uero seditionũ causæ non solum sedari, sed etiam extingui possunt: non quidem perpetuo, sed ad tempus. Necp enim fieri potest, ut radice uirẽte, nõ aliquando etiam germen aliquod ex ea (nisi reprimatur) paulatim renascatur. Atcp eo sane pertinẽt hęc & similia. Oportet hæreses esse: Necesse est, ut scandala fiant. Quandiu enim mortali hac carne circundati sumus, tam diu etiam seditionũ fomenta in nobis gestamus, in ipsa carne latẽtia, quę ad tempus quidem extincta quiescunt: sed cum tempore, ubi non reprimuntur, reuiuiscunt. Sed redeo iam ad causas ipsas, quarũ remotionem extinguendarum seditionũ remedium esse diximus. In qua re nec iustiora, nec certiora præcepta tradi possunt, cęp quæ multo rerũ usu & experientia à ueteribus collecta sunt: quorũ alia quidem in historijs, alia in Constitutionibus Principũ, & ueterũ Iurisprudentũ respõsis, descripta & annotata reperiuntur. Primũ igitur opera danda erit Irenarchę, ut Principes seditionũ, factionumcp Duces (quos propinquas causas esse diximus) sine alicuius moræ interpositione è medio tollantur. Id aũt quomodo fieri debeat, supra declarauimus.

Causę seditionum.

Galat. 5.

Causa remotissima seditionũ.

1. Cor. 15.

Radix seditionum caro cõtra spiritum.

1. Cor. 11.

Matth. 18.

l. constitution. ff. de appella.

Deinde, quod ad remotas causas attinet, singularum naturas dili-

Leges contra auaritiã renouãdæ.

genter cõſyderabit: ueluti ſi propter auaritiam eorũ, qui Reipub. præſunt, exorta ſit ſeditio, rationem inibit, quomodo radix illa auaritiæ euellatur. In qua re plurimũ proderit, ſi leges ueterũ ad coërcendam tam Magiſtratuum, cꝫ priuatorũ auaritiam latæ, ſi in deſuetudinem uenerint, renouentur, & ad iuſtũ & legitimũ uſum reuocentur. Qualis eſt lex Iulia peculatus, lex Iulia repetundarũ, & ſi quę ſunt ſimiles: quibus eorum auaritia reprimitur, qui cum aliquam poteſtatem habent, pecuniam ob iudicandum, uel non iudicãdum decernendumue acceperint. Similiter, qui ad accuſandum, uel non accuſandum, ob hominẽ in uincula publica coniiciendum, uinciendum, uinciriue iubendum, uel ex uinculis dimittendum: ob denunciandum item, uel non denunciandum Teſtimonium, condemnandum hominẽ abſoluendumue: ob litem æſtimandam, iudiciumue capitis pecuniæue faciendum, uel non faciendum, pecuniam acceperint. Similiter, qui ob mittem legendum mittendumue, ęs acceperint. Qui item ob ſententiam in Senatu publico, cõſilioue dicẽdam, pecuniam acceperint: Hij enim omnes lege Iulia repetundarũ tenentur. Sic & lege Iulia peculatus eorum auaritia coërcetur, qui ex pecunia ſacra, religioſa publicaue quid auferunt uel intercipiunt, uel in rem ſuam uertunt. Eodem fere pertinet auaritia eorũ, qui contra annonã fecerint, ſocietatemue coierint, quo annona carior fiat: qui lege Iulia de annona puniuntur.

ff. ad leg. Iul. repetund. l. 3. 6. & 7.

Venalitas Magiſtratuum reprimenda.

Ad leg. Iul. de annona l. 2.

L. unica C. de Monopolijs.

Sed & Monopolarũ nimis auaræ ſocietates, conuentiones, & pactiones diſſoluentur. Quibus id agitur, ut ſpecies diuerſorũ corporũ negociationis, non minoris, quam inter ſe ſtatuerint, uenundentur.

Solutio æris alieni.

Omnium aũt maxime dauda erit opera ijs, qui Reipub. præſunt, ne ſit æs alienũ, quod Reipub. noceat, quod multis rationibus caueri poſſe putat Cicero: Maxime aũt, ſi hoc non fuerit, ut locupletes ſuum perdant, debitores lucrentur alienũ. Nec enim ulla res (ut ipſe ait) uehementius Rempub. continet, quam fides, quæ eſſe nulla poteſt, niſi ſolutio rerũ creditarũ. In primis cꝫ operã dabunt rerũ publicarum adminiſtratores, ut iuris iudiciorũcꝫ æquitate, ſuum quiſcꝫ teneat: & necꝫ tenuiores propter imbecillitatẽ circumueniantur, necꝫ locupletioribus ad ſua uel tenenda, uel recuperanda obſit inuidia. Cum aũt ſępe fiat, ut ęquitate hac neglecta, aliena poſſideant locupletiores, ſuis careant tenuiores, nec commode ob diuturnitatem temporis, huiuſmodi difficultas emendari poſſit, quod iniquum uideatur: ut qui agrum multis ſæculis poſſedit, tametſi alienum, eum repente amittat, & qui non poſſedit, etiamſi ſuum iam habeat, non debet prudens Irenarcha ſtatim ei qui poſſidet, quod habet auferre, & qui non poſſidet, quod non habet dare.

Ne repente fiat emendatio.

Nam etſi ęquitatẽ aliquam præ ſe ferre uideatur, ut in diuidendis agris ęqualitas inter locupletiores & tenuiores, proportionis tamen cuſtodita regula, obſeruetur; tamen non carebit tam repẽtina mutatio

tio periculo. Nam ex hac causa Agrariæ contentiones olim Grachos perdidcrũt. Et in Græcorũ historijs refertur, propter hoc iniurię genus Lacedæmonios Lysandrũ Ephorũ expulisse, & Agin Regem necauisse, ut Cicero testatur. Ideoq; in tali difficultate media ingrediendum erit uia, ut neq; qui suis careant, neq; qui aliena possideant, plus iusto lędãtur. Quamobrem Aratũ Sicyonium iure laudandum esse dicit, qui Methodeo Tyranno oppresso, ac Sicyone ciuitate (quam quinquaginta annos Tyranni tenuerãt) liberata, simul atq; sexcentis exulibus, qui locupletissimi fuerãt eius ciuitatis, restitutis, cum magnã animaduerteret in bonis & possessionibus difficultatem, quod & eos, quos ipse restituerat, quorũ bona alij possederant, egere iniquissimũ esse arbitrabatur, & quinquaginta annorũ possessores mouere non nimis æquum putabat: propterea, quod tam longo spatio, multa hæreditatibus, multa emptionibus, multa dotibus detinebantur: sine iniuria esse iudicauit, neq; illis adimi, neq; his non satis fieri, quorũ illa fuerant, oportere. Cumq; igitur statuisset, opus esse ad eam rem constituendam pecunia, Alexandriam se proficisci uelle dixit, remq; integram ad reditũ suum iussit esse. Isq; celeriter ad Ptolomęum suum hospitẽ uenit, qui tum regnabat alter post Alexandriam conditã: qui cum exposuisset, patriã se liberare uelle, causamq; docuisset, à Rege opulento uir summus facile impetrauit, ut grandi pecunia adiuuaretur. Quam cũ Sicyoniã attulisset, adhibuit sibi in cõsilium quindecim Principes, cum quibus causas cognouit, & eorũ qui aliena tenebant, & eorum qui sua amiserant: perfecitq; æstimandis possessionibus, ut persuaderẽt alijs, ut pecuniam accipere mallent, & possessionibus cederent: alijs, ut commodius putarent, numerari sibi quod tanti esset, quàm suum recuperare. Ita perfectum est, ut omnes, concordia constituta, sine querela discederent.

Pericula repentinæ mutationis *Lib. 2. officio.*

Arati prudentia in liberanda patria sine seditione.

Quibus modis seditiones, propter Ambitionem natæ, extinguantur. Cap. II.

AMbitionem non solum Christiani, sed etiam Ethnici & Gentiles semper fugiendam esse putarunt: sed aliter Ethnici, aliter Christiani. Ethnici ad honores & gloriam contendere, Magistratus & munera petere, non solum non uerterunt uitio, sed uirtutis etiam, & magni animi esse dixerunt: tum quibus rebus ea comparanda esset docuerunt, precium tantum in adipiscendis honoribus interuenire noluerunt. Christiani uero, omnem quidem potestatem bonam esse dicunt, & à Deo ordinatam: ambitionem autem & honorũ appetitionem malam. Quia scriptum est. Nec quisquam sibi sumat honorẽ, sed qui uocatur à Deo ut Aaron: Omnium aũt pessimam, quæ propter largitiones fit, honorũ distributionem.

De Ambitione diuersa sentiunt Ethnici & Christiani.

Cicero lib. 2. officiorum.

Heb. 5.

Ambitio duplex.

nem. Quemadmodum aũt duplices ſunt honores & Magiſtratus, Eccleſiaſtici & ſæculares: Ita & duplex eſt ambitio, una Eccleſiaſticorum, altera ſæcularium honorũ: illa Symonia, hæc ambitus appellatur.

Quid Symonia.

Symoniam diffinire poſſumus, ut ſit ſtudioſa uoluntas emendi, uẽdendiue aliquid ſpirituale. Sunt aũt ſpiritualia, quorũ pecuniaria commertia prohibentur, Sacramenta Eccleſiæ, ut Baptiſmus, Euchariſtia, Ordo ſacer &c̃. Officia dignitatesue Eccleſiæ, uel Epiſcopatus Præpoſituræ, Archidiaconatus: ſimiliter Prębendæ & Beneficia Eccleſiaſtica. Hęc enim & ſimilia dona Dei ſunt, res uidelicet, quæ à Deo fidelibus, & à fidelibus Deo donantur: De quibus dicitur.

l. diſt. c. ſtudeat

c. ſi quis c. Saluator 1, q. 3.

Matth. 10.

Gratis accepiſtis, gratis date. Ideoq; qui eas non ad hoc, ad quod inſtitutæ ſunt, ſed ad propria lucra, munere linguæ, uel indebiti obſequĩ, uel pecuniæ largitur & adipiſcitur, Symoniacus eſt. Eſt autem atrociſsimum crimen Symonię, & quod grauiſsime in utroq; Teſtamento uindicatũ eſſe conſtat. Giezi enim gratiam ſanitatis, Heliſæo

c. quis ſtudet 1, q. 1.

4. Reg. 5.

Matth. 27.

uindicãte, leproſus factus, amiſit. Iudas omnium Redemptorẽ uendidit, mox laqueo ſuſpenſus, eandem Redemptoris gratiam non obtinuit: Et merito, quia nemo poteſt retinere, quod uendidit. Symon etiã Magus, à quo Symonia nomen accepit, cũ eandẽ Spiritus ſancti gratiam emere uellet, damnationis ſententiam à Petro audiuit. Pecunia tua tecũ ſit in perditionẽ: quia donũ Dei exiſtimaſti pecunia poſſidere.

Act. 8.

Ioh. 2.

Dominus etiam, ut uendentes & ementes huius gratiæ expertes oſtenderet, cunctos alios peccatores per gratiã in templo dimiſit, ſingulariter uendentes & ementes increpans, & flagellans de templo eiecit, in quo uẽditores & emptores ſuos gratia Spiritus ſancti conſtat deſtitutos eſſe & uacuos. Quos enim Chriſtus de templo eiecit, nusq; Spiritus Chriſti ſibi faciet templum.

Incommoda ex Symonia.

Addo & multa incõmoda peruenire ex Symonia, ac generaliter quidem Principatus, quẽ aut ſeditio extorſit, aut ambitus occupauit: etiamſi moribus & affectibus nõ offendit, ipſius tamen initij ſui pernicioſus eſt exemplo. Et difficile eſt, ut bono peragãtur exitu, quę malo inchoata ſunt principio. Deinde populi quoq; ſalus, cui per Symoniam præficitur Magiſtratus, negligitur. Vulnerato nanq; paſtore, quis curãdis ouibus adhibet medicinã? aut quomodo populum orationis clipeo tuea-

c fertur §. uulner. 1, q. 1.

tur, qui iaculis hoſtium ſeſe feriendum exponit? aut qualem fructum de ſeſe producturus eſt, cui graui peſte radix infecta eſt? Maior ergo metuenda eſt locis illis calamitas, ubi tales interceſſores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei magis in ſe iracundiam prouocant, quam per ſeipſos placare debuerant. Poſtremo ipſe quoq;, qui per Symoniacã prauitatẽ Magiſtratum Eccleſiaſticum adeptus eſt, eiuſmodi perplexitati ſe inuoluit, ut neq; in officio manere, neq; idipſum tuto, & cũ bona cõſcientia relinquere poſsit. De qua re ita ſcribit Gregor. Alius, inquit, penſare pondus Eccleſiaſtici honoris negligẽs, ad

13. diſ. c. Nerui.

locum

locum regiminis præmijs ascendit, sed quia omne quod hic eminet, plus mœroribus afficitur, quàm honoribus gaudet: dum cor plus tribulatione premitur, ad memoriam culpæ reuocatur, doletq; se ad laborem cum culpa peruenisse, quanquam sit iniquum quod admiserit, ex ipsa fractus difficultate cognoscit. Reum se igitur cum impensis pręmijs agnoscens, uult adeptæ sublimitatis locum deserere, sed timet, ne grauius delictum sit suscepti gregis custodiam reliquisse: Vult suscepti gregis curam gerere, sed formidat, ne deterior culpa sit, regimina pastoralis curæ dimittere, quàm empta possidere. Per honoris ergo ambitum, ligatum culpa hinc inde se conspicit esse. Quippe sine reatu criminis, neutrum uidet, si aut suscepus semel grex relinquitur, ac rursus sacra actio sęculariter empta teneatur. Vndiq; metuit, & suspectus latus omne pertimescit, ne aut stans in empto regimine, non digne lugeat, quod non etiam deserens emendat: aut certe regimen deserens, dum aliud flere nititur, rursus aliud de ipsa gregis destitutione cõmittat. Pugna cõscientiæ in Symoniaco.

Ambitus est, quo Magistratus honoresq; sęculares pecunia comparantur. Fuit aũt ingens olim Romanorum ambitus, propter immensa cõmoda Magistratuũ, qui populi suffragijs creabantur. Quandoquidem mos erat, ut indictis Comitijs, Tribus in Centurias distributæ (Nam populus in Centũ turbas diuidebatur) in campum Martium, ex qualibet turba delectis aliquibus, conuocarentur. Erãt aũt Tribus Triginta quinq;, quibus ita cõuenientibus, libera erat suffragandi potestas. Ambitus Ro.

Qui aũt Magistratus petebant, Candidati appellabantur: ita dicti, quia in candida ueste siue toga in campum cum clientibus gentilibusq; descẽdebãt, Tribus præhensantes, & circũeuntes: Immo et tenuissimos etiam & ignotos homines, quorum suffragijs nitebantur rogantes, tum uel per se, uel per communes amicos obsecrantes & obtestantes, ut sibi in consequendis honoribus socij & adiutores essent, atq; in petitione suffragatores. Candidati.

Sed & Nomenclatores sibi adhibebant, qui merita sua uirtutesq; domi foriscq; cõmemorabant: quanq; postea cautum fuit, ne Candidatis Nomenclatores adessent. Maxime uero elaborabãt, ut adolescentes nobiles & summo loco natos haberent, qui se amicos, suffragatores, duces atq; assertores exhiberẽt: cõpetitoribusq; inuidiam, sibi autem studia hominũ fauoremq; conciliarent. Hij quoniam Candidatos sequebãtur, se ctatores appellabantur. Quorũ tanta frequentia & assiduitas erat, ut modus quoq; eis per legẽ Fabiã statutus fuerit: Vt est apud Ciceronẽ, in oratione pro L. Murena. Nomenclatores.

Sectatores.

Atq; ut quatuor genera Comitiorum erant, Ædilitia, Prætoria, Tribunitia, & Consularia: sic & ab his nomina acceperunt Candidati, ut qui Ædilitatem peterent, Ædilitij: qui Tribunatũ, Tribunitij: qui Prætura, Prætorij: qui Consulatum, Consulares appellarentur. Nec fraudi cuiquam fuit, hoc modo suffragia populi petere: nec uitio datum, Nomenclatore Quatuor genera Comitiorum.

&

& sectatoribus, clientibus, nobilibus, & amicis uti. Nam ad hunc mo-
Lib. 2. officiorum, & in oratione pro L. Murena. dum incorruptissimi, ac uirtutibus suis clarissimi, & populo cõmen-
datissimi homines suffragia populi petiuerunt. Quod & Cicero se
feciſſe fatetur. Et M. Cato, quem (ut idem Cicero de eo scribit) na-
Laus Catonis Candidati. tura ipsa ad honestatem, temperantiam, magnitudinem animi, iusti-
tiam, & ad omnes denique uirtutes magnum hominem & excelsum
finxerat: tamen in campum descendens, Tribunatum petijt. Qui
& omnes bonos Candidatos sectatores habuit, qui & cæteros ad
mandandum Catoni Tribunatum cohortati sunt: utpote qui non
Plutarchus in Catone Minore. honorem quæreret, sed operã suam patriæ offerret. Quin hoc etiam
fertur, tantam fuisse multitudinem ei suffragantium, ut inter studia
officiaque hominum pressus, in periculo fuerit, uixque habuerit facul-
tem, sese à turba explicandi. At Nomenclatorem non habuit, solus
legem seruans, quæ Candidato adesse Nomenclatorem uetabat.

Largitiones Candidatorum. Iam & largitiones immensas in populum faciebant Candidati.
Sic Milo Candidatus Consularis, ad fauorẽ populi conciliandum,
tributim in singulos millia assium dedit. Budæus mille asses Decem
aureis Francicis æstimat: Vnde si quis in singulas Tribus, quæ tri-
ginta quinque fuerunt, millenos redemptos suffragatores colligat, ad
trecenta quinquaginta millia coronatorum hoc nomine sumptus
euadet. Sic Iulius Cæsar Paulum Consulem, Aureorum nonia-
gentorum millium æstimatione redimere non dubitauit: ea lege,
non quod commodaret ei, sed ne quid incõmodaret. Et Curionem
Tribunum Quindecies Centenũ millium, sed eo pacto, ut in omnia
Cic ad Qu. fratrem. se addiceret. Ac de ingenti & flagrantissimo Romanorum am-
bitu, deque immensis largitionibus, Cicero ad Qu. fratrem ad hunc
Immensæ largitiones in ambitu. modum scribit. Ambitus redijt immanis, nunquam fuit par, non
dico Hyperbolas, uel sextertium Centies constituunt in præroga-
tiuam pronũciare. Erat autem prærogatiua Tribus, cui sorte obtige-
rat, ut prima suffragia ferret in creandis Magistratibus, & eam sæpe
reliquæ sequebantur, assentientes ei. Idem Cicero eadem de re ad
Atticum ita scribit, de Comitijs loquens. Sequere nunc me in cam-
pum, ardet ambitus, fœnus ex Triente Idibus Quintilibus factum
erat bessibus. Et paulo post. Pompeius fremit, queritur, Scauro stu-
det, sed utrum fronte an mente duditatur. Exoche in nullo est, pecu-
nia omnium dignitatem exæquat. Messala languet, non quo ani-
mus desit, aut amicis careat, sed Cortio Cos. & Pomp. obsunt. Quin
Pecunia largitionis apud Catonem deposita. tanta etiam inuidia flagrauit ea res, ut hij qui Magistratum pete-
bant, cum singuli à largitionibus deterriti essent, in unum conuene-
rint, contulerintque unusquisque Duodecim millia Drachmarum ar-
genti facta sponsione, ut qui ex eis per largitionem peteret, id ar-
gentum perderet: arbitrum Catonem elegerunt, & pecuniam apud
illum statuerunt, sed ipse Cato pecuniam recipere noluit, fideiussores
tamen

tamen recepit. Cum autem in summa pecuniæ depositæ uarient Cicero & Plutarchus, Budæus Ciceroni potius, quàm Plutarcho credendum esse putat. Quin illud quoq; moris fuit apud Romanos, ut Ædiles, & alij Magistratus, ludos uel munera magnifica facerent, & æderent in Theatro, uel Circo, uel Amphitheatro: Venationes item ac munera darent, id est, gladiatorum multa paria, ad uulgi oculos oblectandos depugnatura, quasi populo uniuersam quandam mercedem collatorum suffragio suo Magistratuum soluentes, in quam rem & ipsam immensos sumptus fecerunt. Ludi Theatrales

Ac de animalibus & uenatoribus in Circo datis, ita scribit Plinius, Primus aũt Scaurus in Ædilitate sua uarias (de Pantheris loquitur) centum quinquaginta uniuersas misit. Deinde Pomp. Magnus, quadringentas decem: Diuus Augustus quadringentas uiginti. Idem. Leonum simul plurium pugnam Romæ Princeps dedit Q. Scæuola. P. filius in Curuli Ædilitate. Centum autem lubatorum primus omnium L. Sylla, pui postea Dictator fuit in Prætura. Post eum Pomp. Magnus D C. ac in hijs lubatorum CCCXV. Cæsar Dictator quadringentos. Idem Plinius. Annalibus notatum est, M. Pisone, M. Messala Consulib. Domitium Ænobarbum Ædilem Curulem ursos Numidicos centum, & totidem uiatores Æthiopas in Circo dedisse. Venationes in Circo, Pantherarũ & leonum. *Plinius lib. 8.*

De operibus uero magnificis idem Plinius. Scaurus fecit in Ædilitate sua opus maximum omnium, quæ unquam fuere humana manu facta, non temporaria mora, uerum etiam æternitatis destinatione. Quibus uerbis, ut Budæus interpretatur, significat, Scaurum in Ædilitate sua ad populi oblectationem scenam temporariam, & statim ludis factis, diruendam fecisse: sed quæ uinceret magnificentia clarissimum opus omnium, quæ unquam facta sunt, etiam eo animo, ut perpetua essent. Scena temporaria Scauri. *Lib. 1. de asse et partib. eius.*

Adeo autem hic largitionum, ludorum, & spectaculorum mos, in creationibus Magistratuum inueterauerat, ut non solum à Senatu non damnaretur, sed etiam approbaretur. Quod primum ex eo colligimus, quod de largitione à Iulio Cæsare, Luceio, & M. Bibulo Candidatis Consularibus factis, ad hunc modum scribit Suetonius. E duobus Consulatus competitoribus L. Luceio, M. Bibulo, Luceium sibi adiunxit Cæsar: pactus, ut is quoniam inferior gratia esset, pecuniaq; polleret, nummos de suo, communi nomine, per Centurias pronunciaret. Qua cognita re, Optimates, quos metus cœperat, nihil non ausurũ eum in summo Magistratu, concordi & consentiente Collega, authores Bibulo fuerunt tantundem pollicendi: ac plærisq; pecunias contulerunt, ne Catone quidem abnuente, eam largitionem è Repub. fieri. M. Cicero L. Murenæ aduersus accusationem M. Catonis defensor, ludos, conuiuia, & spectacula in Largitio Iulij Cæsaris contra competitores. *Suetonius in C. Iulio Cæsare.* Excusatio largitionis.

Circo & Theatro, liberalitatem magis, quàm largitionem appellanda esse putat. Ac propterea nec Candidatis huiusmodi benignitatem, nec populo eorum fructus esse eripiendos: sed arbitror cum eo loco causæ magis inseruisse, quàm quod dixit, ex animo asseueraſſe: Cic. 2. offic. c. Largorum duo genera. Quod ex eo conijcio, quod in Officijs scribit. Omnino, inquit, duo genera sunt largorum, quorum alteri prodigi: alteri liberales. Prodigi, qui epulis & uiscerationibus, & gladiatorum muneribus, ludorum uenationumq; apparatu, pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut breuem aut nullam sunt relicturi omnino. Liberales autem sunt, qui suis facultatibus, aut captos à prædonibus redimunt, aut æs alienũ suscipiunt amicorũ causa, aut in filiarũ collocatione adiuuant, aut opitulantur, uel in re quærenda uel augenda. Reprobatio Theophrasti de largitionibus. Itaq; miror, quod in mentẽ uenerit Theophrasto, in libro, quem de diuitijs scripsit, in quo multa præclare, illud absurde: Est enim multus in laudanda magnificentia & apparatione popularium munerũ, taliumq; sumptuum facultatẽ, fructum diuitiarũ putat. Mihi aũt ille fructus liberalitatis, cuius pauca exempla posui, multo etiam maior uidetur & certior: quãto Aristoteles grauius & uerius nos reprehendit, qui has pecuniarũ effusiones admiremur, quæ fuit ob multitudinem Laudabiles sumptus. deliniendam. At hij, qui ab hoste obsidentur, si emere aquæ sextarium mina cogerentur, hoc primo incredibile nobis uideri, omnesq; mirari: Sed cum attenderint, ueniam necessitati dari, in his immanibus iacturis, infinitisq; sumptibus, nihil non magnopere mirari; cum præsertim nec necessitati subueniatur, nec dignitas augeatur. Ipsaq; illa delinitio multitudinis, ad breue exiguumq; tempus sit duratura, eaq; à leuissimo quoq; animo, in quo tamen ipso cum facietate memoria quoq; moriatur uoluptatis. Vnde etiam colligitur, hæc pueris & mulierculis, & seruis & seruorum simillimis liberis esse grata: Graui uero homini, & ea quæ fiunt iudicio ponderanti, probari posse nullo modo. Hactenus quid de largitionibus ludorum, spectaculorum, uenationum, & muncrum sentiat, declarauit: Quæ sequuntur, ad morem & institutum Romanorum pertinent. Verba Ciceronis lib. 2. offic. Quanquam, inquit, intelligo in nostra ciuitate inueteraſſe iam bonis temporibus, ut splendor Ædilitatum ab optimis uiris postuletur. Itaq; & P. Crassus tum cognomine Diues, tum copijs, functus est Ædilitio maximo munere. Et paulo post L. Crassus cum omnium hominum moderatissimo Q. Mutio, magnificentissime Ædilitate functus est. Deinde C. Claudius, Appij filius, multo post Lucullus, Hortensius, Syllanus. Omnes autem P. Lentulus, me Consule, uicit superiores. Hunc est Scaurus imitatus: magnificentissima uero nostri Pompeij munera secundo Consulatu, in quibus omnibus quid mihi placeat, uides. Morem quidem patriæ, à tot excellentissimis uiris obseruatũ, reprehen-

dere non audet: Verum quid honestius sit hoc ipso, intuit quod dicit. In quibus omnibus quid mihi placeat, uides. Omnium autem maxime in hac re, ut in cæteris, mediocritatem commendat. Immo honestius etiam iudicat, sine largitione & munere ad honores publicos peruenire: Idq; exemplis quoq; probat. L. quidem Philippus (inquit) Q. filius, uir magno ingenio, in primisq; clarus, gloriari solebat, se sine ullo munere adeptum esse omnia, quæ haberentur amplissima. Dicebat idem Cotta. Curio: Nobis quoq; licet in hoc quodammodo gloriari. Nam pro amplitudine honorum, quos cunctis suffragijs adepti sumus, nostro quidem anno, quod contigit eorum nemini, quos modo nominaui, sane exiguus sumptus adhibitus fuit. Postremo sententiam suam clarius exprimens, ita concludit. Tota igitur ratio talium largitionum genere uitiosa est, tempore necessaria: & tamen ipsa ad facultates accommodanda & mediocritate moderanda est.

Mediocritas in largitionibus.

Hæc fusius aliquanto de ambitu ex historijs cõmemorare libuit, ut ex ipso etiam rerũ euentu intelligamus, quàm pessimũ crimen sit, etiam sæcularium honorum & Magistratuum ambitio. Ex qua scilicet, præter alia incommoda & pericula, sæpe etiam teterrima bella & seditiones excitata fuisse constat. Iam igitur orta propter Symoniam seditione, quod omnium maxime grassantibus hæresibus fit, ut alias à nobis non paucis exemplis demonstratum est: unicum remedium erit, ut sacri Canones sanctorumq; patrum Decreta, ad coërcendam Symoniam ædita, reuocentur. Cuiusmodi est Canon Chalcedonensis Concilij, qui sic habet. Si quis Episcopus per pecuniam ordinationem fecerit, & pretio redemerit Spiritus sancti gratiam, quę uendi non potest, ordinaueritq; per pecuniam Presbyterum aut Diaconum, uel quemlibet de his, qui cognominantur in Clero promouerit, & dispensatorem, aut defensorem, uel quemlibet, qui subiectus est regulæ, pro sui turpissimi lucri cõmodo: Is, qui hoc attentare probatus fuerit, proprij gradus periculo subiacebit: Et qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione uel promotione, quæ est pro negociatione facta, proficiat, sed sit alienus à dignitate, uel sollicitudine, quam pecunijs acquisiuit. Si quis uero mediator tam turpibus & nephandis datis uel acceptis extiterit: siquidem Clericus fuerit, à proprio gradu decidat: si uero Laicus, anathematizetur. Sunt & alij multi Canones, quibus cauetur, apud Symoniacos sacerdotium non subsistere, benedictionem eorum in maledictionem conuerti, nec in Christi corpore eos esse, qui sunt maledicti, nec sanctificare alios posse, nec corpus Christi tradere uel accipere, nec benedicere alijs ualere. Vnde & Iudæ proditori, tanquam seruum suum, Spiritum sanctum uendentes, æquiparantur, & pro hæreticis habentur, infamia notantur, anathematizantur, ab officijs & Magistratibus

Coërcẽda Ambitio & Symonia.

1.q.1.c.si quis.

Cõtra Symoniæ crimen.

c. cito turpem

§. quia erg.

1. q.1.

c.eos qui 1 q.1.

c. qui studet 1.q.1.

c. reperiuntur 1.q.1.

submouentur, alijsq; pœnis afficiuntur, quas hic omnes recenſere nimis foret prolixum, ac fortaſſe nonnihil etiam lectori moleſtum.

Remediũ contra ſeditiones ex ambitu.

Sin uero ſeditio ob ambitum fuerit cõcitata, duo remedia erunt: Vnum, ut duobus pluribuſue Magiſtratum ambientibus, tertius quiſpiam creetur. Quod Scipione Hypſeo & Milone, Conſulatum petentibus, factum eſt. Cum enim hij non ſolum ſolitis illis uſitatisq; largitionibus, ſed etiam armis & necibus contenderent, ac temeritate & audacia bellum ciuile cõcitaſſent, cum per multos dies tria ueluti caſtra forum obſiderent, cenſuit antequam ſumma neceſſitas cogeret, ſponte & gratia Senatus eam rem Pompeio eſſe mandandam: ex duobus malis, quod minus foret, eligens, ne cum ciuitas ſeditionibus atq; armis diu afflicta eſſet, tunc demum in poteſtatem unius deueniret. Sententiam igitur à M. Bibulo Catonis neceſſario prolatam, qua cenſebat, ſolum Pompeium Conſulem deſignandum, Cato quoq; aſſurgens, cõtra expectationẽ omnium laudauit: aſſerens præſtare, ut quæuis poteſtas in urbe ſit, quàm Reip. ſine Magiſtratu ac Pręſide manere. Alterum remedium eſt, ut leges, quæ de ambitu coërcendo latæ ſunt, in priſtinum uſum reuocentur, qualis eſt Theodoſij Imperatoris conſtitutio. Sic enim ad Flo. Præfectum prętorio reſcribit. Sancimus eiuſmodi uiros ad prouincias regendas accedere, qui ad honoris inſignia non ambitione uel pretio, ſed probatæ uitæ & amplitudinis tuæ ſolent teſtimonio promoueri: Ita ſane, ut hij, quibus honores per ſedis tuæ, uel per noſtram fuerint electionem cõmiſsi, iurata inter geſta depromant, ſe pro adminiſtrationibus ſortiendis, neq; dediſſe quippiam, nec daturos unquam poſtmodum fore, ſiue per ſe, ſiue per interpoſitam perſonam in fraudem legis ſacramentiq;, aut uenditionis donationisue titulo, aut alio uelamento cuiuſcunq; contractus. Et ob hoc, exceptis ſolis Salarijs, nihil penitus tam in adminiſtratione poſitos, quàm poſt depoſitum officium pro aliquo præſtito beneficio tempore adminiſtrationis, quam gratuito meruerunt, accepturos. Et licet neminem diuini timoris contemnendo, iure iurando, arbitramur immemorem, ut ſaluti propriæ ullum commodum anteponat: tamen ut ad ſalutis timorẽ etiam neceſsitas periculi ſubiugetur, ſi quis auſus fuerit præbita ſacramenta negligere, non modo aduerſus accipientem, ſed etiam aduerſus dantem, accuſandi cunctis tanquam crimen publicũ concedimus facultatem, quadrupli pœna eo, qui conuictus fuerit, modis omnibus feriendo. Sed & Senatus conſulto cautum eſt, ut qui contra legem Iuliam de ambitu, Magiſtratum aut ſacerdotium petierit, in centum aureis cum infamia puniatur.

Plutarchus in Cato. minore.

Egregia lex contra ambitum.

l. ſancimus C. ad leg. Iul. repetundarum.

l. unica ff. ad leg. Iul. de amb.

Quibus

Quibus modis seditiones, propter metum Tyrannorum concitatæ, tollantur, Cap. III.

SEditionum, quæ propter metum oriuntur, siue sedendarum siue extinguendarum, non una ratio est. Nam aliter, quæ metu iustæ uindictæ: aliter quæ terrore & formidine iniuriarum uel illatarum uel inferendarum, excitatę fuerint, uel comprimuntur, uel extinguuntur. Nam quę ob metum iustę pœnæ concitantur, tum recte tolluntur, cum ea ipsa pœna, quam formidant, seditiosi afficiuntur. Sic enim fit, ut aliquorũ pœna mulctis, quo minus similia perpetrare audeant, metum & terrorẽ incutiat. Quæ uero ob metum iniuriarum oriuntur, alio remedio indigent, nempe, ut causæ metus, propter quem cõmotæ sunt, submoueantur. Porro inter causas, ex quibus iniuriarum metus nascitur, præcipua est Tyrannis. Tyrannum Iurisconsulti eum esse definiunt, qui non iure in Repub. dominatur. Id autem duobus modis accidit. Vno, si dominationem sine legitimo titulo usurpet: Altero, si priuati magis quàm publici cõmodi, qui dominatur, rationem habeat. Id autem non solum in regno, sed etiam in domo, in ciuitate, & in prouincia euenit. Nam & domesticam curam alieni & externi, nonnunquam sine titulo usurpant, tũ ipsi etiam Patres familiâs iniuste familiam regunt. Sic & in ciuitatibus & prouinciis, sæpe quibus id, per quos oportet, mandatum non est, dominari contendunt. Immo & sui ipsius recte Tyrannum dicemus, qui imperio rationis siue spiritu neglecto sensum, siue carnem in se ipso dominari permittit. Vnde & propter metum Tyrannidis, seditiones Monasticæ, domesticæ, & ciuiles concitantur. Monasticæ, ut si in homine sensus: Domesticæ, ut si qui in domo præest Paterfamiliâs: Ciuiles, ut si in ciuitate, qui ciuitatem gubernant: In prouincia, ut si qui prouinciam regunt: In regno, ut si qui regni gubernacula tenent, iniuste dominentur. Ad tollendam igitur seditionem, quæ propter metum Tyrannidis oriuntur, unicum remedium erit, ut Tyrannis ipsa, & causæ eius remoueantur.

l. 1. C. ad leg. repetund. ff. de pœnis. l. aut facta §. fi. Tyrannis unde nascitur in Repub.

Causa Tyrannidis duplex est: Propinqua & remota. Propinqua est Tyrannus ipse: Remota, peccata nostra, quibus Deus offensus, Principem dat populo, & Iudicẽ Ecclesię, non per arbitrium suum, sed ut merita nostra deposcunt. Vt si mali sint actus nostri, & operemur maligna in conspectu Dei, detur nobis Princeps secundum cor nostrum. Quod & de scripturis sanctis probatur. Sic enim dicit Dominus. Fecerunt sibi Regem, & non per me: Principem, & non per consilium meum. Et hoc dictum uidetur de Saule illo, quem utiq; Dominus ipse elegerat, & Regem sibi fieri iusserat: Sed quoniam non secundum Dei uoluntatem, sed secundum peccatoris populi

Causa Tyrannidis duplex. *c. audaciter. 8. q. 1.*

Oseæ. 8.

1. Reg. 9.

meritum fuerat electus, negat eum cum sua uoluntate, uel consilio constitutum. Idem eiusdem Prophetæ testimonio comprobatur, ex
Oseæ 13. persona Domini dicentis. Dabo tibi Reges in furore meo. Et Iob.
Iob. 34. Qui regnare facit hominem Hypocritam, propter peccata populi.

Sed & tale aliquid intelligamus in Ecclesijs fieri, quod pro meritis aut in uerbo, aut opere potens à Deo tribuitur Rector Ecclesiæ: aut si malignum faciat populus in conspectu Domini, & tales per-
Amos 8. seuerent, talis Ecclesiæ iudex datur, sub quo famem & sitim populus patiatur: non famem panis, neq; sitim aquæ, sed famẽ audiendi uerbum Dei. Quin mores etiam, conditiones, & potestatẽ Principis exprimit scriptura, & uelut ob oculos ponit Tyrannicã dominationem eius, quem propter peccata nostra cõstituit Dominus. Sic enim
1. Reg. 8. de Rege, quem seniores populi constitui sibi à Samuele petierunt, in libris Regnorũ scribitur. Primũ ipsi Regem petentes. Constitue, inquiunt, nobis Regem, ut iudicet nos, sicut & uniuersæ habent nationes. Ad hanc petitionem populi Dominus declarans, se Regem daturũ populo propter peccata eorũ. Audi, inquit ad Samuelem, uocem populi in omnibus, quæ loquitur tibi. Non enim abiecerunt te, sed me, ne regnẽ super eos, iuxta omnia opera sua, quę fecerunt à die, qua eduxi eos de Ægypto, usq; ad diem hãc. Sicut dereliquerũt me, & seruierũt dijs alienis, sic faciunt etiam tibi. Nunc ergo uocẽ eorum audi: ueruntamen contestare eos, & prædic ius Regis, qui regnaturus est super eos. Dixit itaq; Samuel omnia uerba Domini ad po-
Ius Regis Tyranici. pulum, qui petierat à se Regem, & ait. Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est uobis, filios uestros tollet, & ponet in curribus suis, facietq; sibi equites & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi Tribunos & Centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum. Filias quoq; uestras faciet sibi unguẽtarias, & focarias, & panificas. Agros quoq; uestros, & uineas, & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis. Sed & segetes uestras, & uinearum redditus addecimabit, ut det Eunuchis & famulis suis. Seruos etiam uestros & ancillas & iuuenes optimos & asinos auferet, & ponet in opere suo. Greges quoq; uestros addecimabit, uosq; eritis ei serui, & clamabitis in die illa à facie Regis uestri, quem elegistis uobis, & non exaudiet uos Dominus in die illa: quia petistis uobis Regem.

Ad hanc igitur causam remotam Tyrannidis tollendam, auxilij diuini remedio utemur, quod ad seditiones in uniuersum sedandas extinguendasq;, in primis salutare esse, supra multis scripturæ testimonijs & exemplis comprobauimus: Maxime uero exaudiet nos Deus inuocantes nomen eius aduersus eos, qui iniustas dominationes in nos exercent. Ipse enim est, qui dicit Regi, Apostata: Qui
Iob. 34. uocat Duces impios, nec cognouit Tyrannum, cum disceptaret contra

contra pauperem. Ac proinde ad hunc modum placatus à nobis Deus, profligatis exterminatisq; Tyrannis, Principem nobis dabit secundum cor suum. Qualis in Deuteronomio ad hunc fere modum describitur. Cum ingressus fueris terram (inquit lex) quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitaueriscq; in illa, & dixeris, Constituam super me Regem, sicut habēt omnes per circuitum nationes: eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit, de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus. Cumq; fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero subleuatus: præsertim cum Dominus præceperit uobis, ut nequaquam per eandem uiam reuertamini. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum eius: neq; argenti & auri immensa pondera. Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in uolumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leuiticæ Tribus, & habebit secum, legetq; omnibus diebus uitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire uerba & Cæremonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neq; declinet in partem dexteram uel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filij eius super Israël. Deut. 17. Ius Regis boni, non Tyrannici.

Alteram Tyrannidis causam, & eam quidem propinquam, Tyrannum ipsum esse diximus: Ipse est enim, qui facit opera Tyrannica. Ea uero sunt, quæ ab Aristotele enumerantur: Veluti, quod potentiores decerpere, & sapientes perimere consueuerunt. Nam & coniunctissimos, quos eorum potentiæ aduersari suspicantur, occidunt. Sed nec comessationes permittunt, nec sodalitatem, neq; disciplinam, nec aliud quicquam tale, quin potius omnia cauere solent: Vnde consueuerunt inter ciues oriri duo: Intelligentia scilicet & Fides. Similiter nec scholas, nec conuentus alios uacationis alicuius fieri concedunt, & omnia faciunt, ex quibus ciues inter se quàm maxime incogniti sint omnes: Cognitio enim fidem magis inter ipsos generat. Præterea Satellites eorum semper apparent, & circa fores uersantur, quo minus latere possit, quid quisquè agat: qui & explorant, an animum per seruitutem continuam submittant. Similiter exploratores habent, qui inuestigant quęcūq; quis subiectorum dixerit aut fecerit. Nam minus audent, qui talia formidant: etsi audent, minus latere possunt. Opera Tyrannica.

Sed & illud Tyrannicæ prauitatis est, calumniari inuicem & discordias seminare, amicisq; amicos confligere, & plebem cum nobilitate, & diuites inter se ipsos, & subditos ad paupertatem redigere, ut neq; sumptus fiat in custodia, & illi quotidianis molestijs occupati, uacare non possint ad consilia contra Tyrannos ineunda. Opera Tyrannicæ prauitatis.

Studet etiam bellum concitare Tyrannus, ut negocijs occupentur ciues, & indigentia Ducis continuo detineantur. Adulatoribus in primis gaudent Tyranni, & mulieribus facultatem dant per domos euagandi, quo reuelent uirorum secreta. Qui subditorum honestati studeant, aut libertati, eos odio habent Tyranni, tanq; euersores potestatis suæ: quia minuere excellentiam atq; præeminentiam uidentur. Peregrinos etiã in cõuiuia & quotidianũ usum magis recipere, q̃ ciues, Tyrannorũ est: quasi illos habeant hostes, hos aũt nõ aduersantes. His & similibus studijs tria conatur efficere Tyrãnus, Vnũ, ut animos imminuat ciuiũ, ut pauca sapiant: nemo enim pusillanimis cõtra Tyrannũ insurgit. Secũdum, ut ciues inter se diffidentes reddat: non enim prius euertitur Tyrannus, nisi ciuiũ aliqui inter se fidem habeãt. Quapropter & bonos uiros persequitur, quasi pestiferos & aduersarios dominationi suæ, nõ solum quia non acquiescũt in seruitute uiuere: uerũ etiam, quia fides eis, & inter se, & ab alijs plurima adhibetur, neq; accusant alios, neq; ipsi inter se accusant. Tertium, ut impotentes agendi reddantur: nemo enim impossibilia sibi aggreditur, quare neq; Tyrannidem tollere possunt, quibus potentia deest. Ad remouendam igitur causam hanc propinquam Tyrannidis, in hoc unũ incumbendum erit, quomodo Tyrannus aut euertatur, & Magistratu submoueatur: aut ad meliorem frugem reducatur. Illud in primis arduum est: hoc uero prope etiam impossibile. Nam iuxta Prouerbium. Lupus pilos mutat, ingenium non mutat. Ac in submouendis quidem Tyrannis, ueteres duobus potissimũ remedijs usos fuisse animaduerto. Nam aut in corpus insurgendum, aut in dominationẽ putauerũt. In corpus, ut quoties à Tyrannis cõtumelia affecti, ultionis causa, uel clam per insidias, uel aperte per uim in eos impetũ facientes, uel regnis eos pepulerunt, uel occiderunt. Cuius rei multa tam Græcorũ q̃ Romanorũ exempla, ab historijs referuntur. Libet insigniora aliqua afferre. Philippus à Pausania occisus est: quia non ulciscebatur cõtumeliam sibi factam ab Attalo. Historiam ad hunc modum narrat Iustinus. Pausanias primis pubertatis annis stuprũ per iniuriã passus ab Attalo fuerat: cuius indignitati hęc etiã fœditas accesserat. Nam perductũ in conuiuio, solutũq; mero, Attalus nõ suæ tantũ, uerũ & conuiuarũ libidini, uelut scortũ uile subiecerat, ludibriũq; omniũ inter coæquales reddiderat. Hanc rem ęgre ferens Pausanias, querelam sæpe Philippo detulerat: cum uarijs frustrationibus non sine risu deferretur, & honoratũ insuper Ducatu aduersariũ cerneret, irã in ipsum Philippũ uertit, ultionẽq; quã ab aduersario nõ poterat, ab iniquo iudice exegit.

Tria intendit Tyrannus.

Cur Philippus Rex à Pausania occisus est. *Iust. lib. 9.*

Iust. lib. 12.

Sed & filius Philippi Alexander Magnus, per insidias eorum, quos uarijs contumelijs & iniurijs affecerat, ueneno interijt: insidiarum author Antipater fuit, qui cum charissimos amicos eius ab Alexandro

Alexandro interfectos uideret, Alexandrum generũ suum † Lyncestarum occisum, se magnis rebus in Græcia gestis, non tam † charum apud Regem, quàm inuidiosum esse. Accedebant ante paucos dies supplicia, in Præfectos deuictarum nationum crudeliter habita. Ex quibus rebus se quoq; à Macedonia, non ad societatem militiæ, sed ad pœnam euocatum arbitrabatur. Igitur ad occupandum Regem, Cassandrum filium dato ueneno subornat: qui cum fratribus Philippo, & Iolla ministrare Regi solebat. Quod & potioni Regis supermittens, hauriendum ipsi dedit, quo sumpto, paulo post extinctus est. Hoc etiam remedio usus Thrasybulus, qui triginta Tyrannos Athenienſium expulit: hŕj primum rectores Reipublicæ constituti, deinde Tyranni facti, cum omnia passim cædibus compleuissent, bona pars ciuium urbẽ relinquentes, fuga sibi consulerunt. Inter quos Thrasybulus uir strenuus, & domi nobilis, audendum aliquid pro patria, & pro communi salute ratus, magno instructus exercitu reuersus in urbem, triginta Tyrannos emigrare Eleusin iussit: substitutis decem, qui Rempub. regerẽt, qui nihil exemplo dominationis prioris territi, eandem uiam crudelitatis aggressi sunt: sed quos & ipsos deinde Pausanias, Rex Eleusin, migrare ad cæteros iussit. Iam & multa ex Romanis historijs occisorum Tyrannorum exempla proferri possunt, nos pauca aliqua referemus.

Iulius Cæsar, quia per uim solus dominari, & Imperium sibi uendicare uidebatur, sexaginta amplius in eum conspirantibus, C. Cassio Marcoq; & Decio Bruto Principibus conspirationis, tribus & uiginti uulneribus confossus interijt.

C. Caligula, ab initio quidem bonus Princeps, postea autem Tyrannus factus omnium crudelissimus, ut non immerito fax humani generis dictus sit. Cuius & hæc uox fuisse fertur. Optare se populo Ro. unam esse ceruicem, quo facilius uno ictu abscidi posset: Sed & duo libelli in Secretis eius reperti sunt, quorum alteri pugio, alteri gladius pro signo nominis ascriptum erat. Ambo lectissimorum uirorum utriusq; ordinis, Senatorij & Equestris, nomina & notas continebãt, morti destinatorum. Idem in pallatio matronas nobiles publicæ libidini subiecit. Is Chereæ & aliorum coniuratione, per insidias Chereæ quidem uno, aliorum autem triginta uulneribus illatis, extinctus est. Claudius Cęsar & ipse crudelissimus Tyrannus, cuius inter cętera crudelitatis exempla, illud etiam memoratur, quod triginta quinq; Senatores, et trecẽtos simul Equites Romanos, minimis causis interfecerit: Hũc Agrippina uxor ueneno in boleto dato interfecit. Nero Claudius Cæsar, fœdis moribus & scelestis facinoribus turpissimus, ut qui petulantiam, libidinem, luxuriam, auaritiam, nullo non scelere exercuit, quin tanta etiam crudelitatis rabie efferatus, ut plurimam Senatus partem interfecerit, Equestrem

† Lyncestem, aliás † gratum

Iust. lib. 5. Thrasibulus contra XXX. Tyrannos Athenis.

Suetonius in C. Caligula. Ioseph. lib. 19. c. 1. P. Orosius lib. 7. c. 5.

Suet. in Claud. Oros. lib. 7. c. 6. Oros. li. 7. c. 7

ſtrem ordinem pene deſtituerit: ſed ne parricidijs quidem abſtinuit, matrem, fratrem, ſororem, uxorem, cæterosq; omnes cognatos & propinquos, ſine hæſitatione proſtrauit. Is hoſtis à Senatu pronunciatus, ignominioſiſsime fugiens, ad quartum ab urbe lapidem ſeſe ipſe interfecit. M. Syluius Otto, propter male partũ Principatum, Tyranno dignam mortem obijt: quippe ſeipſum intra leuam papillam pugionẽ traijciens, interfecit. Vitellius Imperator, cum multa crudeliter ac nequiter egiſſet, & inter cætera illud quoq; crudelitatis exemplum ædidiſſet. Nam Sabinũ Veſpaſiani fratrem nihil mali tum ſuſpicãtem, cum cæteris Flauianis in Capitolium compulit, ſuccenſoq; templo, & mixta ſimul flamma ruinaq;, omnes in unum pariter interitũ ac tumultum dedit. Is à Veſpaſiani militibus ex cellula, in quam confugerat, protractus, cum per uiam ſacram nudus duceretur, paſsim cunctis ſimũ in os eius coniectantibus, in forum deductus, apud Gemonias ſcalas minutiſsimorũ ictuum crebris compunctionibus excarnificatus, atq; inde unco tractus, & in Tyberim merſus, etiam cõmuni ſepultura caruit. Flauius Domitianus, eò crudelitatis progreſſus eſt, ut nobiles è Senatu alios palam interfecerit, alios in exilium truſerit, ibiq; trucidari imperauerit. Qui & confirmatiſsimam toto orbe Chriſti Eccleſiam, datis ubiq; crudeliſsimæ perſequutionis edictis, conuellere auſus fuit. Is tandem crudeliter in pallatio à ſuis interfectus eſt.

Suet. in Otthone Syluio.

Oroſ. li. 7. c. 8.

Suet. in Fl. Domitiano. Oroſ. li. 7. c. 10.

Æl. Lamprid. in Commodo Anto. P. Oroſius lib. 7. c. 16.

Lucius Antoninus Commodus, quàm plurimos Senatores interfecit, maxime quos animaduertit nobilitate induſtriaq; excellere. Vendidit ſuppliciorum diuerſitates, & alios pro alijs occidit: uendidit & nonnullis inimicorum ſuorum cædes, cubicularios ſuos libenter occidit, cum omnia ex nutu eorum ſemper feciſſet. His alijſq; multis Tyrannicis operibus incitati, Q. Ælius Letus Præfectus, & Martia concubina eius, inierunt coniurationẽ ad occidendum eum, cui factioni & Electus cubicularius eius interfuit, cum uidiſſet eum tam facile cubicularios occidere. Primum enim uenenũ ei dederunt, quod cum minus operaretur, per Athletam, cum quo exerceri ſolebat, ſtrangularũt. Didius Iulianus Imperium à militibus emercatus, tandem à Seuero uictus, & fugiens in pallatio captus eſt, & in abditas pallatij balneas ductus, extenta damnatorum modo ceruice decollatur, capuq; eius in roſtris ponitur. Antoninus Baſsianus Caracalla, fratrem ſuum Getam peremit. Is cum Carris iter faceret, apud Ædeſſam ſecedens ad officia naturalia, à milite, qui quaſi ad cuſtodiam ſequebatur, interfectus eſt.

Eutrop. lib. 8.

Sex. Aur. Vic.

Æl. Lamprid. in Anton. Heliogabalo.

Aurelius Antoninus Varius, qui & Heliogabalus, homo impuriſsimus & crudeliſsimus, conſpiratione à militibus facta, in latrina, ad quam confugerat, occiſus eſt. Tractus deinde per publicum, addita iniuria cadaueri eſt, ut in cloaculam milites mitte-

rent:

rent: sed cum non cœpisset cloacula fortuita, per pontem Æmilium annexo pondere ne fluitaret, in Tyberim proiectum est, ne unquam sepeliri posset. Tractum est etiam cadauer eius per Circi spatia, priusquam in Tyberim præcipitaretur.

Iulius Maximinus, dum persequitur pecuniosos, insontes pariter noxiosq́, apud Aquileiam seditione militum discerptus est, una cum filio, conclamantibus cunctis militari ioco: Ex pessimo genere ne catulum quidem habendum. Huius Imperio duo Gordiani, pater & filius, Principatum arripientes, unus post unum interiere. Pari etiam tenore Pupianus & Balbinus, regnum inuadentes, perempti sunt. Valerianus Imperator, Christianos per tormenta ad Idolatriam adigi, abnegantesq́ interfici iussit, fuso per omnem Imperij latitudinem sanctorum sanguine. Is à Sapore Rege Persarū captus, Imperator populi Romani, ignominiosissima apud Persas seruitute consenuit: hoc in famis officij continua, donec uixit, damnatione fortius, ut ipse accliuis humi, Regem semper ascensurum in equum, non manu sua, sed dorso attolleret. Aurelianus sęuus fuit, & sanguinarius, & trux omni tempore, etiam filij sororis interfector. Is fraude serui sui, qui ad quosdam militares uiros, amicos ipsius, nomina pertulit adnotata, falso manum eius imitatus, tanquam Aurelianus pararet ipsos occidere, ab ijsdem interfectus est.

Sextus Aurelius Victor.

Sextus Aurelius Victor. Flauius Vopiscus in Aureliano.

Valens Arriana hæresi infectus, crudelissimus Catholicorum persequutor fuit. Is bello cum Gothis commisso, sagittis saucius, ac in casam deportatus uilissimam, superuenientibus Gothis, igniq́ supposito, incendio concrematus est. Zeno Isauricus, Catholicæ persequutor Ecclesiæ, hæreticorum fautor, & ipse hæreticus, & moribus plane Tyrannicis, uiuus adhuc inclusus ab uxore sepulchro, frustra resipiscens, & opem implorans, interijt.

Sex. Aur. Vic.

Fl. Valerius Anastasius, & ipse hæresiarcham sequutus, duas naturas in Christo denegauit, & ob id Catholicos grauiter persequutus est. Cum enim Hormisda Papa Legatos ad ipsum Constantinopolim, cum Catholicæ fidei scripto misisset, ut Anastasium ad Ecclesiæ gremium reducerent, non solum salubria eorum monita spreuit, sed insuper etiam à suis conspectibus non sine contumelia expulit, nauiq́ fragili impositis, mandauit, ne usquam per totam Græciam ad aliquam ciuitatem accederent. Quam eius impiam temeritatem, diuina ultio continuo subsequuta est: nam diuino fulmine afflatus, perijt.

Paulus Diaconus.

Phocas, cæde Mauritij Imperatoris contaminatus, & alioqui homo impurus, conspiratione in ipsum facta, ab Heraclio & Heracliona interfectus est. Constans, Martinum Ro. Pontificem sibi aduersantem, comprehendi iussum, in exilio mori coëgit: Is à Longobardis uictus, in Siciliam trajiciens, cum illic auare & crudeliter

tributum

tributum exigeret, tandem dolo suorũ interfectus est. Iustinianus Heraclianæ stirpis, homo praui ingenij & hæreticus, Synodum aduersus Sextam à patre suo celebratam indixit: Is crudelitate in suos inuisior factus, Leontij Patritij & Callinici Patriarchæ dolo deturbatur Imperio, atq; Chersonam relegatur, nare prius abscissa. Sed Trebellij Bulgarorum Regis opera restitutus, multo post crudelior factus, Leontium, qui ei successerat, fugauit, & Callinicum Patriarcham luminibus priuauit. Postremo à Phillippico pulsus, uitam & Imperium pariter amisit.

Baptista Egnatius.

Phillippicus Imperium adeptus, Sextæ Synodi decreta altero conciliabulo suo infirmare conatus est: Is cum opes Imperij congestas dissiparet, priuatus oculis, Imperio submotus est.

Illud etiam diuinę indignationis in hęreticos euidens signum est, quod Principes alioqui boni, hæresum labe infecti, Imperio pariter & uita priuati fuerunt, inter quos Leonem Amenum numeramus: Qui cum Dei & Sanctorum imagines penitus deleri iussisset, à M. Traulo, quem in custodia detinebat, noctu per insidias cæsus interijt.

Romanus Lecapenus per Tyrannidem inuadens Imperium, Constantino expulso, sed propter Tyrannidem tandem à Stephano filio captus, insulæ includitur, mox & eius filij à Constantino compræhensi, alter in Proconnesum, in Lesbbum alter relegatur.

Romanus Leonis Iunior in matrem & sororem impius: ita, ut Regia eiectæ, quæstum meretricium sint amplexæ, ueneni potione interfectus est. Michaël Colaphates auare & crudeliter Imperium admistrauit, ingratissimus in omnes: Patruum, authorem adepti honoris, primum eiecit, reliquos deinde consanguineos executit. Inde Zoen matrem in insulam relegauit, quod cum indignissime omnes ferrent, populi conspiratione restituta Zoe, fugiens cum fratre Constantino, à turba capitur, et uterq; oculorum usu priuatur.

Bap. Egn.

Michaël Parapinaceus pari ignominia & sęuitia Imperium administrauit, ideoq; Nicephoro Imperium sibi asserente, cum uxore & filio cœnobio inclusus fuit.

Andronicus ob sæuitiam omnibus inuisus, tandem ab Isacio Angelo, præter suam omniumq; opinionem, Imperio deiectus fuit, captusq;, ac per urbem Camelo sedens circumuectus, manu abscissa, oculoq; effosso, turbæ uulgiq; tumultu lacer perijt.

Hij fere sunt Romani & Orientis Imperatores, legitime quidem ab initio ad Imperium assumpti, sed quos propter Tyrannidem uel occisos, uel Imperio depulsos fuisse historiæ tradunt. Germanos uero aliquos quidem Romani Pontifices Imperio submouendos esse pronunciarunt, sed propter rebellionem magis, quam propter Tyrannidem.

Iam

Iam & multi propria authoritate Imperium sibi arripientes, propter iniustam Tyrannicæ potestatis usurpationem uel trucidati, uel per uim regnis expulsi fuerunt. Inuasores Imperij.

Sicut sub Virio Gallo Æmilianus in Mœsia Imperator effectus, ab exercitu suo cæditur. Ita Licinio Valeriano & Gallieno regnantibus, Regilianus in Mœsia, Cassius Labienus Posthumius in Gallia, Ælianus apud Moguntiam, Æmilianus in Ægypto, apud Macedones Valens, Mediolani Aureolus, aliiq; multi per diuersas Imperij prouincias (Trebellius Pollio triginta numerat) Imperium per Tyrannidem inuaserunt. *Sex. Aur. Vic.*

Sic & sub Claudio Imperatore Victorinus, sub Aureliano apud Dalmatas Septimius, in Gallijs Tetricus, sub Probo Saturninus in Oriente, Proculus & Bonosus Agrippinæ, sub Diocletiano Carausio in Gallijs, Achileus apud Ægyptum, Iulianus in Italia. Alexander apud Carthaginem, sub Constantio & Constante Vetranio, Magister militum in Pannonia apud Marsiam. Sub Valentiniano Firmus apud Mauritaniam, sub Valente Procopius, sub Theodosio Maximus de Britannorum partibus. Sub Zenone Augustulus & Odoacer, atq; sub alijs quoq; Romanis Principibus alij Tyranni, Romanum Imperium per uim arripuerunt: Quorum alij miserè & crudeliter à suis interfecti, alij alijs modis ab Imperij dignitate, atq; administratione submoti fuerunt. *Trip. lib. 9. c. 20. 21. 22. 23. Paul. Diacon.*

Et huiusmodi Tyrannorum interitum & uindictam Græci & Romani, non solum non reprehenderunt, sed plærunq; summis etiam laudibus extulerunt. M. Cicero, T. Annium Milonem defendens, illud non solum non uindicandum, sed etiam laudi tribuendum esse contendit, quod Tyrannidis Clodij ultor extiterit: Græcorum subinde morem citans, qui honores tribuunt his uiris, qui Tyrannos necauerunt. Quod & uidisse se Athenis, alijsq; Græciæ urbibus testatur. Ac Romanorum etiam notæ sunt acclamationes, cædes Tyrannorum approbantium. Occisores Tyrannorũ laudati.

Qualis fuit illa in Commodum Imperatorem crudelissimum Tyrannum, à S. P. Q. R. ad Pertinacem dicta. Hosti patriæ honores detrahantur, parricida trahatur, hostis patriæ, hostis deorum, carnifex Senatus: qui innocentes occidit, unco trahatur, parricidæ gladiatoris memoria aboleatur, carnifex unco trahatur, carnifex Senatus more maiorum unco trahatur, præroga, præroga, Omnes censemus unco trahendum: qui omnes occidit, unco trahatur: qui omnem ætatem occidit, unco trahatur: qui utrunq; sexum occidit, unco trahatur: qui sanguini suo non pepercit, unco trahatur: qui templa spoliauit, unco trahatur: qui testamenta deleuit, unco trahatur: qui uiuos spoliauit, unco trahatur: qui precia uitæ exegit, & fidem non seruauit, unco trahatur: qui Senatum uendidit, unco trahatur, &c̄. *Æl. Lampridius in Commodo Anton.*

Christiana de tolerandis Tyrannis sententia.

Mihi uero Tyrannis patienter magis ferenda, quàm cæde uindicanda, nec diuino iudicio resistendum uidetur. Nam secundum merita subditorum, tribuuntur personæ regentium, ut sæpe qui uidentur boni, mox accepto regimine permutentur. Sicut scriptura de Saule dicit. Cum esses paruulus in oculis tuis, caput te constitui in Tribubus Israël. Quin & Christianorum præceptum est, ut Tyrannos non solum non occidant, sed pro ipsis etiam orent. Nam & pro inimicis nostris orare iubemur, & persequutoribus nostris bona precari.

Greg. in Moral. li. 25. c. 20.

1. Reg. 15.

Tertul. in Apolog. c. 31. 32.

Obsecro autem primum omnium, inquit Paulus, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam uitam agamus in omni pietate & castitate. Quod quidem præceptum diligentissime semper in medijs etiam tormentis obseruarunt Christiani, ut pulchre declarat in Apologetico Tertullianus.

1. Thi. 2.

cap. 30.

Verba Tertulliani *lego† simul.*

Ad Deum suspicientes, inquit, Christiani, manibus expansis, quia innocuis: capite nudo, quia non erubescimus. Denique sine monitore (quia de pectore oramus) precantes† sumus omnes semper pro omnibus imperatoribus, uitam illis prolixam, Imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunq; hominis & Cæsaris uota sunt. Hæc ab alio orare non possum, quàm à quo scio me consequuturum: Quoniam & ipse est, qui solus præstat, & ego sum, cui impetrari debetur, famulus eius: qui eum solus obseruo, qui propter disciplinam eius occidor: qui ei offero †opimam & maiorem hostiam, quàm ipse mandauit: orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu sancto profectam. Et post pauca. Sic itaq; nos ad Deum expansos ungulæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladij guttura detruncent, bestiæ insiliant: Paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani. Hoc agite boni Præsides, extorquete animam Deo supplicantem pro Imperatore: hic erit crimen, ubi ueritas & Dei deuotio est.

lego† optimã.

Est igitur aliud remedium, quod ad tollendas Tyrannides à Christo erit adhibendum, nempe post preces ad Deum fusas, ad auxilium superiorum confugiet, & in dominationem ipsam, non in corpus Tyranni (quod alterum remedium aduersus Tyrannides esse dicebamus) insurget: quod & impartiri implorantibus tenentur. Regum enim officium est proprium, facere iudicium atq; iustitiam, & liberare de manu calumniantium ui oppressos, & peregrinis, pupillisq; & uiduis, quæ facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium.

Hier. 7. c. Regum.

8. non frustra 23. q. 5.

Etsi igitur iure naturali unicuiq; permissum sit, iniuriam tam à se quàm

quàm ab alijs propulsare: tamen subditi Tyrannum neq; occidere, neq; regno exigere possunt. Nam iuri superioris derogare non possunt: etsi de facto expellant, non ob id superior dignitatem suam amittit, ut inquit Baldus.

Bald. in l. ex hoc iure. ff. de iust. & iure.

Ad officium autem superioris pertinet, ut subditos à seruitute Tyranni liberet, ac iustis pœnis, qui iniuste subditos opprimunt, coërceant. Sunt autem Tyrannorum pœnæ, ut qui in corpora subditorum sæuiunt. Similiter, qui discordias inter ciues seminant, quiq; dolo malo faciunt, quo minus iudicia tuto exerceantur, aut iudices, ut oportet, iudicent. Qui item noua uectigalia exercent, & iniustis exactionibus subditos grauant: lege Iulia de ui publica teneantur, cuius pœna est deportatio. Ideoq; qui in hanc legem committunt, infamia notati, omnes dignitates & Iurisdictiones, aliaq; quæ sunt iuris ciuilis, amittunt.

c. de præfect. prætor. af. l. in nom. domini.

l. dolo malo l. fi. ff. ad leg. Iul. de ui publ.

l. quædam ff. de pœnis.

Qui autem Regna & Imperia sine iusto titulo inuadunt, lege Iulia Maiestatis tenentur.

l. 3. ff. ad leg. Iul. Maiest.

Sed & feudo priuari possunt domini, qui in Vasallos suos grauiora per Tyrannidem atrociora q; moliuntur.

c. ad Apostolice. de re Iud. lib. 6.

Sæpe etiam accidit, ut qui Rempublicam iuste & prudenter gubernant, in morbum aliquem incidant, quo correpti, aut alio quopiam casu impediti, inutiles ad curanda negocia publica reddantur: ijs à superiore, etsi superiorem non recognoscant, à Romano Pontifice, coadiutor dandus erit. Sunt etiam, qui dicant, Subditos, si superior requisitus regere eos & gubernare non possit, si aliter eis subueniri non possit, alterius se subijcere potestati & Imperio posse: In alijs autem casibus, pro arbitrio suo dominos mutare non posse.

Spec. in tit. de feud. §. quoniã in fi. not. in c. grandi de sup. negl. prælat. lib. 6. & in c. unico de cler. ægrot. eo lib.

Quibus modis tollantur seditiones, quæ propter præpotentiam aliquorum, in Republica ortæ fuisse dicuntur, Caput IIII.

Ostracismus Athenienſium cõtra Præpotentes.

AD tollendas ſeditiones, quæ propter aliquorum in Republica præpotentiam ortæ fuiſſe putantur, quædam gentes Oſtraciſmo uſæ ſunt, quo qui præpotentes in Republica erant, uel propter diuitias, uel propter amicos, uel propter aliam aliquam ciuilem potentiam, in exilium relegabantur: non quidem ut hæc caſtigatio eſſet improbitatis, ſed honeſtiore uoce, elationis ac grauioris potentiæ moderatio. Erat ſiquidem humani liuoris conſolatio, quæ cum haud intolerabilis eſſet mœrorem ac dolorem, quem cuiuſpiam amplitudo peperiſſet, ſuis ex finibus decem annos exterminaret. Fuit autem huiuſmodi, ut Plutarchus refert. Oſtraci, *Plutarch. in Ariſtide.* id eſt, calculi uiritim in Concilio dabantur, & in eis quiſq; quem ex ciuibus urbe cedere uellent, literis indicabant, quem poſtea in unum fori locum, cancellis circumſeptum, deferebant. Magiſtratus uero, quibus negocium dabatur, primum quidem uniuerſos ſimul recenſebant, qui niſi ſex millium numerum exceſsiſſent, nihil confectum eſſet. Poſtea uniuscuiuſq; calculis ſepoſitis, eum quem pluribus ſententijs damnatum cognoſcerent, decem annos extorrem fore declarabant, ut fructus ſuos capere liberum relinqueretur. Oſtraciſmus ſpeciẽ ſeditionis habet. Etſi autem ratio illa, quæ circa Oſtraciſmum eſt, ciuilem quandam iuſtitiam habeat, ſi ad commune bonum reſpiciatur: tamen non uidentur, qui Oſtraciſmo uſi ſunt, ad illam æqualitatem & commodum Reipublicæ, ſed ad propriam potius utilitatem & honorem reſpexiſſe. Vnde per ſeditionem magis, quàm iuſtitiæ habita ratione, introductus fuit Oſtraciſmus.

Ariſt. lib. 3. polit. c. 9. Sicut Periandri conſilium, ei qui à Thraſybulo conſilij petendi cauſa ad ipſum miſſus fuerat, non quidem uerbo, ſed ſigno datum, quo ſcilicet ſpicas demetendo ſegetem adæquauit, nimirum ſignificans, ſuperexcellentes ciues auferendos eſſe; fortaſsis iuſtitiæ quandam ſpeciem habere uideri poſſet, ſed quod tamen, ſi animum conſulentis ſpectamus, à Tyrannide magis, quàm à iuſtitia profectum eſſe uidetur.

Præſtat igitur ab initio per legis conditorem prouideri, ne tales in Republica ſuperexcellentiæ fiant, quàm huiuſmodi malum Oſtraci remedio corrigere.

Iniuſta pœna Oſtraciſmi. Et ad hunc modum Ariſtides, & plærique alij, propter præexcellentiam per Oſtracum in exilium acti ſunt. Quod ſi tale aliquid in eos, qui cæteris uirtutibus præſtant, exerceatur: reprehendendum magis, quàm laudandum erit. Quis enim ferat, ut qui uirtutibus excellunt,

excellunt, ex ciuitatibus pellantur, quos in aliorum exemplum fouere magis & colere conuenit, quàm nihil tale meritos ciuili societate arcere. Sin uero non ob uirtutum, sed diuitiarum excellentiam dissensiones oriantur, ferendum fortasse fuerit, si grauius aliquid in eos fiat, propter quorum nimium ad acquirendas diuitias studium, seditiones fuerint concitatæ. Qua ratione plærisq; uisum est, nec iniustos omnino fuisse Gracchanæ seditionis motus, nimirum propter nimiam potentiorum auaritiam concitatos: Nec indignum, si modus aliquis, salua publica pace, tam effreni diuitiarum cupiditati, siue per legem Agrariam, siue alia iusta ratione statui potuisset. Fuit autem eius seditionis (ut refert Plutarchus) talis origo. Romani, quantum uicini agri hostibus adimebant, partim uenundare, partim in publicum redigere, ac egenis ciuibus pro modica pensione utendum tradere consueuerunt. Sed cum cœpissent eas diuites pensiones augere, pauperesq; excludere: lata est lex, quæ supra quingenta agri iugera ciuem Romanum habere prohibebat. At ea res paucos annos aduersus locupletes auxilio fuit. Nam primo subditis ad conducendum personis fraus legi fiebat, deinde aperte iam per seipsos diuites proprijs nominibus occupare agros cœperunt. Ita ergo exagitatis hominibus, neq; militiæ dare nomina, neq; filios extollere cura erat, eoq; processura uidebatur res, ut breui exhausta liberorum multitudine, seruis ac Barbaris, per quos diuites colebant agros, tota Italia compleretur. Cui malo mederi uolens Tiberius Gracchus, de ferenda lege Agraria actionem suscepit. Quæ res cum uehementer offenderet diuites, uarijs cõtentionibus inter diuites & pauperes, propter eam inæqualitatem ortis, tandem actio omnis in sæuissimas seditiones conuersa est. Quarum etsi cruentus fuerit exitus, tamen origo, ex his quæ iam dicta sunt, nonnullam honestatis speciem habuisse uidetur.

Plutarchus in Gracchis.

Lex Agraria Tiberij Gracchi.

Scio per leges Agrarias sæpe locupletiorum præpotentiæ fuisse obuiam itum: Sed quo tamen remedio sæpe tumultus noui magis excitati, quàm ueteres uel sedati, uel extincti fuerunt.

Quibus modis seditiones tollantur, quæ propter dissimilitudinem oriuntur, Caput V.

AD tollendas seditiones, quæ propter dissimilitudinem oriuntur, non ipsa quidem dissimilitudo tollenda est: sed quæ ex ea oritur inæqualitas, ad æqualitatis proportionem reducenda. Nam dissimilitudines rerum tollere, est mundum destruere. Mundus siquidem ex rebus dissimillimis, immo ex contrarijs etiam constat. An non dissimillima sunt: cœlum, terra, spiritus, corpus, materia, forma, elementum, mixtum, substantia, quantitas, qualitas, actio, passio, ubi, situs, habitus, & si qua sunt similia. Contraria autem: ut calidum, frigidum: humidum, siccum: album, nigrum. Sic multa dissimilia reperiuntur in corpore naturali & ciuili. In naturali, ut caput, manus, pedes, oculi, aures, nares, & cætera membra. In ciuili sæculari & eius partibus, ut in domo maritus, uxor, parentes, liberi, dominus, seruus. In regno, ut nobiles & plebeij, & inter nobiles, Rex, Principes, Duces: Inter plebeios, agricolæ, artifices: Et inter artifices, fullones, pistores, lanij, cerdones, &c. In Ecclesiastico, ut Pastores, Doctores, Prophetæ, Episcopi, Presbyteri, Diaconi, &c. Ad tollendas igitur seditiones, quæ ex huiusmodi dissimilitudinibus oriuntur, non ipsæ quidem dissimilitudines tollendæ sunt, ut sine quibus Respublica consistere non potest: sed deordinatio potius, quæ inter dissimilia nascitur, ad illam, qua inter se etiam dissimilia ordine certo cohærent, Harmoniam reducenda. Veluti, si in domo maritus & uxor, parentes & liberi, dominus & seruus dissideant. In regno Plebeij nobilibus, alienigenæ indigenis, lanij piscatoribus aduersentur: Non tollentur ob id iura Matrimonij, dominia in seruos, nobilitas, agricultura, & artes, sed id curabitur, ut quæ cuiusq; sunt ordinis officia, rectè & ordine à singulis præstentur. Ita enim facillime discordia, quæ turbato officiorum ordine concitata est, dissoluetur: & concordia, quæ certo dissimilium etiam rerum ordine secundum æqualitatis proportionem coalescit, restituetur.

Mundus ex dissimilibus atq; etiam ex contrarijs constat.

Corpus Naturale & Ciuile.

Dissimilitudo rerũ non tolli, sed ad Harmoniam quandam reduci debet.

Quemadmodum enim ordine cuncta quæ sunt in mundo, seruatis, quas unicuiq; rei natura præscripsit, legibus colligantur: Ita deordinatione, quæ natura etiam copulata sunt, dissoluuntur. De qua re pulchre differit Gregorius Nazianzenus in sermone, qui de moderandis disputationibus inscriptus est. Ordo, inquit, uniuersum constituit: continet tam cœlestia quàm terrestria: ordo est in mentalibus: ordo in sensibilibus: ordo in Angelis: ordo in astris, motu, & magnitudine, habitudine, continentia, & splendore. Alia est claritas Solis, alia Lunæ, & alia astrorum: Stella enim

Ordo res optima est & necessaria.

enim à stella differt claritate. Ordo est in anni partibus & temporibus, quæ mundo nunc adueniunt, nunc tacite abeunt, ut austeritatem mediocritate mitigent. Ordo est in mensuris, interuallisq; diei & noctis: ordo in elementis, è quibus corpora. Ordo circumegit cœlum, tenuauit aërem, terram suppositit, quin & superposuit: naturam humectam fudit & congregauit, uentos misit, quibus alios non submisit, aquam in nubibus colligauit, & non cohibuit, sed sparsit super faciem uniuersæ terræ indiscriminatim & bono ordine. Atq; hæc non in paucis, neq; in unam occasionem aliquam uel tempus, sed ab initio ad finem usq; eadem uia dirigunt, & circumeunt. Solidata sunt, & mouentur: solidata quidem uerbo mouentur, aut fluxu. Statuit, inquit, in sæculum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit, & hoc solidationis est: Sed quod factum est aliquid, uel fiendum est, ipsum est fluxuræ. Quamdiu autem ordo in rebus Principatum tenet, uniuersum corpus κόσμος & proprio nomine mundus est, & immobilis perseuerat rerum pulchritudo. Psal. 148.

Ordinis autem prætermissio, & ornatus negligentia, nouatis rebus induxerunt in aëre fulmina, in terra commotiones, in mari inundationes, in urbibus & domibus bella, in corporibus morbos, in animabus peccata. Ista omnia non ordinis, neq; pacis, sed turbationis & deordinationis sunt nomina. Et post pauca. Ordo animantibus omnibus natiuitatis & educationis leges, ac suum cuiq; locum præscripsit, neq; Delphinum quis agros sulcantem, neq; bouem aquis natantem uidit, sicut nec Solem nocte minui & impleri, nec Lunam interdiu facem ignei lubaris proferre. Montes, ait, excelsi ceruis: & petra refugium cuniculis. Fecit Lunam in tempora, Sol cognouit occasum suum. Ordinis prætermissio parit seditiones & bella. Psal. 103.

Et iterum. Ordo à brutis nos discreuit, ciuitates inhabitare fecit: leges condidit, uirtuti præmia, sceleribus supplicia decreuit: artes inuenit, coniugia adoptauit, uitæ austeritatem amoris erga liberos affectione mansuetiorem reddidit, & maiorem aliquam, quàm est humilis & carnalis illa, affectionem in intimis penetralibus collocauit, nempe eam, quæ in Deum est. Et quid opus singulatim percensere? Ordo eorum quæ sunt, parens est, ac conseruatio secura. Hactenus Nazianzenus. Quanta sunt bona ordinis.

Ex quibus uerbis liquidò cognosci potest, ordine cunctas res à Deo creatas cohærere, deordinatione uero dissolui. Quod non in naturalibus tantum, sed etiam in politicis rebus locum habet. Nam & in corpore ciuili Reipublicæ, tam Ecclesiasticæ quàm sęcularis, seruato distincto ordine, recte tam imperandi quàm parēdi leges custodiuntur. Nam & sunt qui imperāt, & qui imperantium potestati subiecti sunt; & hęc quidem inter se à Deo ordinata sunt, dicente Apostolo.

Rom.13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas, nisi à Deo. Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Et in primis talis ordo in Ecclesijs etiam à Deo diffinitus est, ut idem Gregorius Nazianzenus eleganter deducit.

Ordo in Ecclesijs.

Ordo, inquit, & in Ecclesijs diffiniuit, ut esset grex quidam, & essent pastores: esset quod regeret, & quod regeretur: & quod quidem quasi caput, illud uero manus, aliud autem pedes: aliud item oculus, aliud denicq; aliud quoddam corporis membrum, siue præstans, siue minus: præstans ad usum elegantemcq; proportionem totius. Et sicut in corporibus membra inter se non sunt diuulsa, sed totum ex diuersis cohærentibus, unum est corpus. Necq; eadem omnium operatio, etiamsi eadem sit, cum mutua opera ad necessitatem uti beneuole comprobant & annuunt. Et necq; oculus ambulat, sed iter monstrat & ducatum præbet: necq; pes prospectat, sed transit & transfert: necq; lingua uocem excipit, necq; aures loquuntur: quod linguæ est, hoc non aurium est. Et nares olfactus sensoria sunt, guttur uero cibos gustat, ait Iob. Manus autem dandi recipiendicq; instrumentum est. Cæterum mens dux omnium, à qua sentiendi uis, & ad quam sensatio proficiscitur. Sic & apud nos, qui sumus commune corpus Christi, omnes quidem unum corpus sumus in Christo: singulatim uero Christi & inter nos membra: & cum alterum principatum obtineat & præsideat, alterum dirigitur & ducitur. Et licet non idem sit regere & regi, sunt tamen utraq; unum, ab eodem spiritu in Christum coaptata & composita, etiamsi subditi quantocunq; interstitio distent: Et Duces quantacunq; eminentia antecellant, eruditione, usu, & ætate. Hunc igitur ordinem si recte custodierimus, id est, si id egerimus, ut membra corporis Reipublicæ, tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, quantumlibet dissimilia, sua quæq; recte officia præstent, nec dominum se faciat, qui est seruus: nec nobilem, qui est plebeius: nec exercitum ducat, qui est inter milites ordinatus: nec pastorem agat, qui est ouis: nec Episcopum, qui est Presbyter: nec Presbyterum, qui est Diaconus. Tum enim omnis deordinatio cessabit, & cunctis in suum & genuinum ordinem redactis, uera concordia coalescet. In una tantum re sedition ob dissimilitudinem orta, tolli non potest, nisi ipsa dissimilitudine sublata. Ea nempe est Catholica Religio, in qua nimirum præceptum illud Apostolicum habemus. Vt idipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata: Simus aũt perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia. Ideoq; propter hæreses concitata seditione, unicum remediũ erit, ut sublatis hæresibus, omnes unius corporis Christi membra, quãtumlibet inter se dissimilia, unã eandemq; Catholicam Ecclesiã, fidẽ, & doctrinã confiteantur. Et ab hac quicqd alienum &

Cõcordia ex seruato ordine.

Vna fides & doctrina in Ecclesia.

1. Cor.1.

& externum est, tanquam prophanum & sacrilegum execrentur.

Prętereo iam multa, quę ad seditiones ob contemptum, & negligentiam Magistratuum, aliasq; similes causas ortas, pertinēt, quę & ipsæ sublatis earum causis, extinguuntur. Nam qui sunt intelligentis iudicij, ex his, quę de remouendis extirpandisq; aliarum seditionum causis dicta sunt, facile quid de submouendis harū quoq;, quas dixi, seditionū causis statuendum sit, conijcere possunt. Quia ex his, quæ de ordine officiorum præstandorū à nobis dicta sunt, ad omnium fere seditionum causas remouendas ex æquo pertinent. Veluti, si seditio propter auaritiam potentiorum aut ambitionem, orta esse dicatur: efficax & sufficiens remedium erit, ut auarus & ambitiosus, relictis & uitatis auaritiæ & ambitionis criminibus, ea præstent, quæ sunt officij sui. Ad eundem igitur modum de cæteris quoq; seditionum causis statuendum erit, quæ tum facile remouentur, si quod per deordinationem peccatum est, emendetur: & quæ sunt uniuscuiusq; officij, iusto ordine peragantur.

Cōcordia fit, quando præstatur officium, quod quisq; debet.

Quibus modis tollantur seditiones, propter contumeliam excitatæ, Caput VI.

VEmadmodum morbi difficiliores curatu sunt, ut tradunt Medici, qui altius in corpore radices egerunt: Ita maiore cum difficultate seditiones (quæ & ipsæ morbi Reipublicæ sunt) sanantur, quarum causæ firmius in ipso Reipublicæ corpore fixæ sunt atq; radicatæ. In quo genere eas maxime seditiones numero, quę ob iniuriā & contumeliam concitantur. Contumelia siquidem irā parit, qua, propter illatas sibi iniurias pereiti, quando ulcisci se proprijs uiribus nō possunt, ad aliena auxilia cōfugientes, plęrunq; ad seditiones cōuertūtur. Porro inter omnes affectus ira eius naturæ est, ut tardissime senescat, iuxta uersiculos illos Sophocleos. Ira tarde senescit.

Θυμὸν γὰρ οὐδὲν γῆρας ἔσιν ἄλλο, πλὴν
Θανεῖν, θανόντων οὐδὲν ἄλγος ἅπτεται.

Quos ita Latine uertit Erasmus Roterodamus.

Senecta nulla obtingit iracundiæ
Nisi mors, sepultos nullus attingit dolor.

Eras. Chil. 1. Cent. uer. Adag. 13.

Omnium uero maxime seditiosi, & qui aliqua his ipsis necessitudine coniuncti sunt, semel conceptam iram, utcunq; etiam sedata atq; compressa seditione, tenacissime retinent: nec antea remittunt, quàm illatam sibi iniuriam & contumeliam, uel ulciscantur ipsi, uel ab alijs ultam esse cognorint. Ad remouendam igitur tam alte radicatam seditionis causam, ueteres duobus potissimum

Tollere è medio seditionum authores.

mum remedijs usi sunt: Vnum eorum est, qui ipsos seditionum authores, eorumq; amicos & necessarios, perimendos esse putauerunt: rati, ijs ipsis è medio sublatis, simul etiam iram & ulciscendi cupiditatem, seditionisq; adeo de nouo resuscitandæ atq; reintegrandæ occasionem esse sublatam.

Durum sane hoc & asperum, sed sæpe tamen necessarium remedium, præsertim aduersus ipsos seditionum authores, quibus iuxta Prouerbium, non minus fortasse, quàm lupis parcendum est.

An filij quoq; seditiosorũ occidendi sint.

Sunt & qui occisis seditiosorum authoribus, filios quoq; eorum occidendos esse putent. Quo consilio Philippum Macedonem usum fuisse tradunt historiæ: Qui cum liberos eorum quos occiderat, è medio sustulisset, dixisse fertur. Aut enim oportebat primum à parentibus occidendis abstinere, aut filios item submouere, paternæ necis ultores aliquando futuros. Nec ignotus est uersus hic Prouerbialis.

Νήπιος ὃς πατέρα κτείνας ἡμοῦς ὑπολείπει.

Est fatuus qui patre perempto pignora linquit.

Item ille Theocriti.

Theocritus in Hodaporis.

Δρέψαι καὶ λυκιδῆς, θρέψαι ἰῶνας ὡς τὸ φάγοντι.

Eraſ. Chil. 2. Cent. 1. Adag. 86.

Quo nimirum significatur, non pascendos esse canes, qui te lædant, catulosq; luporum. Cui Prouerbio milites, qui Maximinum Imperatorem, unà cum filio trucidarant, respondentes dixerunt. Ex pessimo genere ne catulum quidem relinquendum. Ego certe ad sedandas extirpandasq; seditiones iustum esse puto, ut authores ipsi, & eorum adiutores, è medio tollantur: Quod & legibus sancitum est, ut supra demonstrauimus. Cæterum eorum filij, tametsi & ipsi paterno perire deberent supplicio, ut in quibus paterni, id est, hæreditarij criminis exempla metuuntur: Tamen ueteres Principes, eorum qui in omni genere seditiosorum pessimi sunt, id est, reorum criminis læsæ Maiestatis, filijs uitam donandam, ac mitiorem pœnam infligendam esse constituerunt. Ea est, ut à materna uel auita, tum omnium etiam proximorum hæreditate ac successione alienti sint: tum nihil etiam ex testamentis extraneorum capiant, ut sic perpetuo egentes & pauperes, infamia eos paterna semper comitetur.

l. quisquis C. ad leg. Iul. Maiest.

Pœna in filios reorũ læsæ Mai.

Sed & ad nullos prorsus honores, & ad nulla Sacramenta eos peruenire, ac postremo tales esse uoluerunt, ut his perpetua egestate sordentibus, & mors sit solatium, & uita supplicium.

Atq; hac sane ratione iustum fuit, ut Lentulus, etiamsi Patritius ex gente clarissimorum Corneliorum: Cethegus item, Statilius, Gabinius & Cæparius, coniurationis Catilinæ Principes, laqueo strangularentur, atq; hoc modo dignum moribus factisq; suis uitæ exitum inuenerint.

Sallust. de coniuratione Catilinæ.

Contra uero nimis crudele fuit, quod Sylla aduersus Mariã nos-

nos: ac Triumuiri illi, Lepidus, Antonius, & Octauius, contra Cæsaris percussores, & eorum amicos & necessarios, innumeros aduersarum sibi partium occiderunt, ut qui eo crudelitatis processerunt, ut nulla neq; personarum, neq; criminum facta differentia, nec cuiusquam erga Rempublicam meritorum habita ratione, præclarissimos quosq;, ac de Republica optime meritos uiros, interemerint, & in tanto furore ne fœmineo quidem sexui pepercerint. Quorum numerus & nomina in tabulis proscriptionis, quas omnium primus Sylla introduxit, & hunc sequuti discipuli eius Triumuiri proposuerunt, continentur. Quo fato, ut multos alios taceam, M. Cicero, disertus ille artifex regendæ Reipublicæ, Antonio acerrimo eius inimico idipsum petente, & Octauio, qui tamen antea patris loco eum habuerat, ita annuente, ex Triumuirorum pacto proscriptus, & à Satellitibus Antonij extinctus est.

Crudelitas Triumuirorum in occisores Iulij Cæsaris.

Tabulæ proscriptionis.

Proscriptio in Ciceronem.

Etsi enim hac seueritate effectum est, ut altera suppressa factione, omnia demum ciuilia bella extincta, ac totius Reipublicæ summa, ad unius Principatū translata, ac pax uniuerso prope orbi regnante Octauio Augusto reddita fuerit: Tamen minime laudanda est, quæ cum innocentium, eorundemq; præclarissimorum hominum exitio, concordia comparatur: neq; enim medicina modum excedere debet, nec mala facienda sunt, ut inde bona eueniant.

Ro. 3.

Alterum remedium est, ut sublatis seditionum authoribus, lex feratur, ne qua præteritarum discordiarum memoria refricetur. Ac tali quidem remedio Thrasybulus, apud Athenienses usus fuisse dicitur. Is enim cum ciuitatem à triginta Tyrannorum sæuitia liberasset, plebiscitum interposuit, ne præteritarum rerum mentio fieret, & ne quis de præteritis actis accusaretur, aut mulctaretur, quæ lex obliuionis dicta est. Quin & socios uolentes contra legem sæuire in eos, cum quibus rediium erat in gratiam, publice cohibuit, & latam legem confirmauit: atq; hæc obliuio, quam Athenienses ἀμνηστίαν uocarunt, concussum & labentem ciuitatis statum in pristinum habitum reuocauit: Autores sunt Valerius Maximus, & Probus Æmilius.

Lex obliuionis, Amnestia dicta.

Val. Max. lib. 4. c. 1.

Idem remedium authore Cicerone in sedanda discordia ciuili, propter Cæsarem interfectum concitata, adhibitum fuit, ut ipse Cicero testatur, his quidem uerbis. Nec uero usquam discedebam, nec à Republica deiiciebam oculos: Ex eo die, quo in ædem Telluris conuocati sumus, in quo templo quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis, Athenienſiumq; renouaui uetus exemplum, Græcum etiam uerbum usurpaui, quod tum in sedandis discordijs usurpauerat ciuitas illa: atq; omnem memoriam discordiarū obliuione sempiterna delendam esse censui. Verum non tam fœliciter Romanis huiusmodi lex obliuionis cessit, ut illa Thrasybuli Athenienſibus.

Cic. Philippi. prima.

Quippe

Quippe contempta discordiarum obliuione ab his, qui Cæsaris interitum dolebant, seditio non solum in præsens sedata non fuit, sed odijs inter partes indies magis magisq; glisscentibus, atrocior etiam facta, non antea cessauit, quàm Imperio in Octauium Augustum translato, totius Reipublicæ status in formam Monarchiæ fuerit commutatus.

De Remotione causarum instrumentalium seditionum, Cap. VII.

HActenus de remotione causarum principalium seditionum diximus: deinceps de Instrumentalibus causis dicendum est: quarum & ipsarum remotio ad tollendas seditiones necessaria est. Hæ sunt, Vis & Dolus, ut supra demonstrauimus. Ad uim referimus, Arma & Munitiones. Armorum appellatione ueniunt, quæ ad offensionem defensionemq; parata sunt, ut gladij, arcus, cuspides, bombardæ, galeæ, loricæ, scuta: & quæ apud ueteres in usu fuisse Gellius commemorat: Hasta, pilum, phalarica, semiphalarica, soliferrea, gesa, lancea, spari, rumigestri, faces, tragulæ, frameæ, mesanculæ, cateiæ, rumpheæ, scorpius, scbones, sicilices, ueruta, enses, sicæ, machæræ, spatæ, lingulæ, pugiones, clímaculæ. Et quas Iustinianus Imperator in titulo de armis in Autenticis enumerat: Cuius Constitutionis uerba infra ponuntur, aliaq;, quæ secundum communem consuetudinem inter arma computantur. Munitiones sunt ciuitatum, muri, mœnia, turres, & quibus ea cinguntur, ualla & fossæ, castra, fortalitia, & si quæ sunt his similia.

Armorum multa genera. *In Aut. de ar. Gellius lib 10. c. 25. noc. Atti.*

Munitionũ genera.

Dolus in conuenticulis.

Ad dolum pertinent seditiosorum conuenticula, & quæ in his ipsis capiuntur, secretæ consultationes. Conuenticula uel ipso nomine, illicitas congregationes designant. Sunt enim duplices conuentus: Liciti, & Illiciti. Liciti, qui publicæ quietis & tranquillitatis conseruandæ causa aguntur. Et hij sunt duplicis generis: Sacri uel Ecclesiastici, & Prophani siue Sæculares.

Congregationes Ecclesiasticæ uarij generis.

Sacri sunt, qui propter cultum diuinum & religionem, animarumq; salutem fiunt: Quales sunt congregationes hominum, sacrorum causa in una Ecclesia conuenientium. Immo & Ecclesia ipsa fidelium congregatio est, quæ si fiat in Parochia, Parochialis: si in Episcopatu, Episcopalis: si in Archiepiscopatu, Archiepiscopalis: si in Patriarchiatu, Patriarchialis dicitur. Quæ autem per totum orbem diffusa has omnes complectitur, Catholica dicitur.

Et hij conuentus à Christo & Apostolis originem acceperunt, ex quibus deinde aliæ quoq; licitæ & honestæ congregationes descende-

descenderunt: Vt uariorum ordinum Monasteria, fraternitates, Xenodochia, Orphanotrophia, Ptochotrophia, Nosochomia, Gerontochomia, Cathotrophia, aliorumq; piorum locorum conuentus, à Christi fidelibus erectorum & fundatorum. Domus religiosorum.

Eiusdem generis sunt Ecclesiastica Concilia, tam uniuersalia quàm particularia, in quibus ea, quæ ad necessitatem utilitatemq; Ecclesiarum, Monasteriorum, & piorum locorum pertinent, deliberantur. Concilia.

Prophani siue sæculares conuentus sunt, qui propter iustam in homines utilitatum communicationem, & ad conseruandum tranquillum Reipublicæ statum aguntur. Quales sunt, congregationes hominum in domo, in uicinia, in ciuitate, in prouincia, in regno: Immo & domus ipsa, uicinia, ciuitas, prouincia, regnum, nihil aliud sunt, quàm hominum domesticæ ciuilisq; societatis uinculo coniunctorum congregationes, & quod has omnes complectitur, Imperium uocatur. Congregationes sæculares.

Atq; hij sane conuentus omnes, à natura ipsa, & illa, qua humana societas conseruatur, iustitia descendunt. De qua re pulchre Cicero. In omni, inquit, honesto nihil est tam illustre, nec quod latius pateat, quàm coniunctio inter homines hominum, & quasi quædam societas & communicatio utilitatum, etiam ipsa charitas generis humani, quæ nata à primo satu, quo à procreatoribus diliguntur, & tota domus coniugio & stirpe coniungitur: serpit sensim foras, cognationibus, tum affinitatibus, deinde amicitijs, post uicinitatibus, cum ciuibus & ijs, qui publice socij atq; amici sunt, deinde totius complexu gentis humanæ. Quæ animi affectio, suum cuiq; tribuens, atq; hanc, quam dico societatem coniunctionis humanæ, munifice & æque tuens, iustitia dicitur. *Cic. lib. 5. de finibus.*

Iurisperiti huius generis conuentus Iurisgentium esse dicunt, quo nimirum discretæ gentes, & regna condita sunt: Quin & contractus & commertia, quibus utilitates inter homines communicantur: Magistratus item, qui hæc omnia ad normam iustitiæ moderantur, ab eodem iure proficiscuntur. *l. ex hoc iure ff. de iust. & iure.* Conuẽtus & contractus Iurisgentium.

Sed & scholæ, tam literariæ quàm militares, collegia artificum & mercatorum, fœdera item, quæ iustis legibus inter Reges, Principes, & ciuitates percutiuntur, & aliæ societates prophanæ, uel à iure ciuili introductæ, uel à Romanis Imperatoribus approbatæ, in hoc genere licitorum conuentuum numerantur. *ff. de collegijs illicitis l. 1. ubi Bar.*

Illiciti conuentus sunt, qui ad prophanandum & extinguendum diuinum cultum, impediendumq; profectum & salutem animarum, tum ad perturbandam Reipublicæ quietem & tranquillitatem contrahuntur. Cuiusmodi sunt conuenticula latronum, Piratarum, Monopolarum, seditiosorum, rebellium, hæreticorum & schismaticorũ, & omnia collegia, quę de iure non sunt approbata. Et sunt duplicia: Occulta, & Manifesta. Occulta, quæ in abditis & ab Illiciti conuentus. *l. 1. ubi Bar. de colleg. illicitis l. 1. c. de Monopolijs.*

Bacchanalia. hominum conuersatione remotis locis frequentantur. Cuiusmodi apud Romanos erat locus, quem Bacchis sacrum esse dicebant, in quo qui Bacchis initiati erant, nocturnos conuentus agebant, ac promiscuos inter se coitus uiri atq; fœminæ nudi exercebant, quæ sacra Bacchanalia ipsi uocabant. De quo illud Poëtæ.

Tit. Liuius li. 9. de bel. Maced. & Asiat.

Iuuenalis Saty. 2.

Qui Curios simulant, & Bacchanalia uiuunt.

Adamitarum & Anabaptistarũ conuenticula.

His haud dissimilia sunt conuenticula & latibula Adamitarum & Pickardorum, quorum & ipsorum promiscua connubia fuerunt: quorum omnium supra quoq; meminimus.

Et nostra ætate Anabaptistæ clandestinas congregationes in hortis & syluis facientes, ipsi quoq; promiscuam uenerem exercuerunt, tum alia his etiam immaniora crimina perpetrarunt.

Conuenticula hæreticorum.

Manifesta conuenticula sunt, quæ in locis publicis, & hominum conspectui expositis, agitantur. Cuiusmodi sunt hæreticorum conciliabula, & seditiosorum conuenticula: quorum multa in historijs commemorantur, ab Arrianis, alijsq; hæreticis olim fuisse habita, ut Ariminense, Nicomedense: Et item duo contra Athanasium, unum apud Tyrum, alterum apud Antiochiam. Similiter unum apud Seleuciam Isauriæ, & unum in Chalcedone contra Ioannem Chrysostomum, & multa alia aliorum hæreticorum conciliabula fuerunt, in locis non quidem abditis & occultis, sed plærunq; tum hominum frequentia, tum locorum celebritate insignioribus congregata. De prophanarum seditionum manifestis conciliabulis non est opus, ut hoc loco longius ueterum exempla repetantur. Siquidem in omnium, ut opinor, recenti memoria hærent, Schmalkaldianorum in celeberrimis Germaniæ ciuitatibus habita conuenticula, quæ adeo non uoluerunt esse occulta, ut quicquid quouis tempore, in quouis eorum Concilio decreuerunt, non dubitarint, idipsum libellis, per formas Typographorum in publicum æditis, toti orbi facere manifestum.

Trip. lib. 5. c. 16. Theod. lib. 1. c. 30. Theod. lib. 2. c. 26. Trip. 10. c. 13.

Schmalkaldianorum conuenticula.

Inter illicitos igitur conuentus, conuenticula seditiosorum recte numeramus, quæ ob id conuenticula & conciliabula uocamus, quia propria sunt hæc illicitorum conuentuum uocabula.

l. conuenticul. C. de epis. & cler. c. multis 17. dist.

Remedia contra uim et fraudem seditiosorum.

Ad remouendas igitur seditionum causas Instrumentales, uim & fraudem, his ferè remedijs utemur. Primum, ut uim ui propulsemus, & artem arte deludamus. Etenim prudentis Irenarchæ officium est, quod Lysander de bono Duce dicebat, Vt quo leonina pellis non attingit, eo assuta uulpina contendat.

Secundum, ut quos uim nobis armis intulisse constiterit, eos uictos armis quoq; spoliemus. Tertium, ut ueterum Principum leges, quibus armorum usus interdicitur, ad coërcendam cauendam q; seditioso-

rum uim & furorem renouentur. Ac de armorum usu uariq; quidem Principum leges extant: De iure Digestorũ, arma ad usum uenationis, uel itineris, uel nauigationis permittunt. In alijs uero casibus lege Iulia de ui publica tenentur, qui arma, tela domui suæ in agroue, in uillaue coëgerint. Sed et arma ad defendendum parata, hoc iure permittuntur. Nam qui telum salutis suæ causa gerũt, non uidentur homines occidendi causa portare. De iure aũt Codicis, inscio & inconsulto Principe, nemini armorũ quorũlibet mouendorũ copia tribuitur. De iure uero Autenticorũ, priuatis omniũ armorũ, etiam ad defensionẽ paratorũ fabricatio, et usus interdicitur. De qua re lex Iustiniani Imperatoris extat, quæ sic habet. Prohibemus priuatos operari & emere arcus & sagittas, & spathas, & enses, quæ uocare consueuerũt semispathia, & quæ uocantur zanię siue loricę: & contos, & quolibet modo uel figura factas lanceas, & quę apud Isauros nominãtur monocapia, & appellatos sitinnos seu missilia. Insuper et aspidas siue scuta, & galeas seu cassides; non enim ista alij cuidam instruere sinimus, pręter eos qui deputati sunt, in sacris nostris fabricẽsibus. Solos aũt fieri & uendi à priuatis, et priuatis uẽdi permittimus, cultellos minores, quibus nullus in prædijs utitur. De rusticis uero & mercatoribus, specialiter ad hũc modũ cõstituit Fridericus Imperator. Si quis, inquit, rusticus arma uel lanceã portauerit, uel gladiũ: Iudex, in cuius potestate repertus fuerit, uel arma tollat, uel uiginti solidos pro ipsis recipiat à rustico. Mercator negociandi causa per prouinciã pertransiens, gladiũ suũ suæ sellæ alliget, uel super uehiculum suũ apponat: non ut quem lędat innocentem, sed ut à prædone se defendat. Quod si igitur de iure communi armorũ usus priuatis omnibus interdictus est: quãto magis compressa & extincta seditione, legibus uel latis uel ferẽdis cauendũ erit, ne seditiosis arma uel fabricare, uel emere liceat, uel portare. Sane his remedijs nostra ętate usi sunt, Principes quidã cõtra seditiosas rusticorũ multitudines, aduersus dominos suos pasim in Germania rebellantes, Anno uidelicet à restituta salute 1525. Primum enim armata et potenti manu multas rusticorum turbas, in diuersis superioris Germaniæ partibus, ut in Sueuia, in Orientali Francia, in Saxonia, & per uniuersum fere tractum Rheni, collectas, multis eorũ millibus occisis, fuderũt. Deinde armis quoq; superstites & in deditionem receptos exuerunt, tũ legibus quoq; latis armorum usum ad certũ tempus rusticis interdixerũt. Quartũ remedium erit, ut munitiones, id est, muros, turres, & mœnia ciuitatũ seditiosarum: castra item seditiosorũ Principum, Comitũ & Nobilium destruãtur. Quo remedio sæpe aduersus rebelles, Romanos Imperatores usos fuisse legimus. Sic Fridericus Imperator, huius nominis I. capto Mediolano, cuncta ciuitatis mœnia euertit. Sic Henricus, huius nominis VII. quarundam ciuitatũ Italiæ, qui in continua rebellione & inobedientia

De armorũ usu uariæ leges. *l. 1. ff. ad leg. iul. de ui pub.*

In Aut. de armis §. fin. Lex Iustiniani Imp.

De pace tenenda c. 1. §. si quis rusticus.

Seditio rusticorum anno 1525

Diruere munitiones seditiosorum.

Frideric. I. *Naucl. l. b. 2. generat. 39.* Henr. VII.

Platina in Clemente V.

dientia diu perstiterant, mœnia demolitus est. Et Guilielmus Rex Siciliæ, ciuitatem Barũ funditus euertit: quia ciues illius Grœcis fauentes, nequissime contra ipsum conspirauerant, ut Sigebertus in Chronicis testatur. Eodem remedio usus Rudolphus, postquam Imperator electus, & à Romano Pontifice confirmatus, rebellium motus in Sueuia, Franconia, et Alsatia, nec non quibusdam prouincijs cõpressit, conuentũ agens Erphordię, castra plus quàm septuaginta destruxit. Porro ad remouendã cauendamq; seditiosorũ fraudem, unicum et in ordine quintũ remedium erit, ut leges de interdictis seditiosorũ conuenticulis latæ, reuocentur. Ac de hæreticorũ & schismaticorum conuenticulis, quæ in utroq; iure constituta sunt, diligenter à me in libris de hæreticis & schismaticis relata sunt: hoc loco eas tantũ leges cõmemorabimus, quæ de prohibitis aliorũ seditiosorũ conuenticulis latæ sunt. Quale est inter Canonicas Decretum illud Concilij Aurelianensis: Si qui Clericorũ (ut nuper in multis locis, per superbiã, Diabolo instigante, actũ fuisse perpatuerit) rebelli authoritate se in unum coniuratione intercedente collegerint, aut sacramenta inter se data, aut cartulam conscriptã fuisse patuerit, nullis excusationibus præsumptio labatur, sed res detecta, cũ in Synodum uentũ fuerit, in proscriptores, iuxta personarũ & ordinũ qualitatem, à Pontificibus, qui tũc in unũ collecti fuerint, uindicet. Inter ciuiles aũt talis Arcadij et Honorij extat Constitutio. Conuenticulã illicitam etiam extra Ecclesiam in priuatis ędibus celebrari prohibemus, proscriptionis domus periculo imminente, si dominus eius in ea Clericos, nouam ac tumultuosam cõuenticulam extra Ecclesiam celebrantes, susceperit. Et alia item Friderici Imperatoris, quæ sic habet. Conuenticula quoq; in ciuitatibus, omnesq; coniurationes, et extra, etiam occasione parentelę, et inter ciuitatẽ & ciuitatem, & inter personã & personam: siue inter ciuitatẽ & personam, modis omnibus fieri prohibemus, & in prœteritum factas cassamus, singulis coniuratorũ pœna unius libræ auri puniendis. Itẽ alia Martiani Imperatoris: Denunciamus, inquit, uobis omnibus, ut in sacrosanctis Ecclesijs, & in alijs quidem uenerabilibus locis, in quibus cũ pace & quiete uota competit celebrari, abstineatis ab omni seditione: nemo conclamationibus utatur: nemo moueat tumultũ, aut impetum committat, uel conuenticula collecta multitudine in qualibet parte ciuitatis, uel uici, uel cuiuscũq; loci, colligere aut celebrare conetur. Sciant sane omnes, quod si aliquis contra huiusmodi Edicti normam aut agere aliquid, aut seditionem mouere tentauerit, ultimo supplicio subiacebit.

Interdicenda hęreticorũ conuenticula.

10. q. c. si qui clericor.

l. conuent. C. de ep. & cler.

De pace tenẽ. iur fir. §. conuentic.

l. denunciamus C. de his qui ad Eccl. cõfu.

FINIS SEXTI ET VLTIMI LIBRI

D. Bruni, de Seditionibus.

DE SEDITIOSIS CLAMORIBVS ET SCRIPTIS NOVARVM SECTARVM, APPENDIX Ioannis Cochlæi Germani.

APPENDICIS PARS PRIMA DE IMPIO ET SEDITIOSO LIBELLO Trigami Apostatæ, contra Interim.

Horst. fingit hora.

I. PET. III.

Cum modestia & timore conscientiam habentes bonam: ut in eo quod detrahunt de uobis, confundantur, qui calumniantur uestram bonam in Christo conuersationem.

Augustin. in Psalmo 81.

Non erubescas prædicare, quod nosti defendere, & inter blasphemos, quod credidisti.

SERENISSIMO PRINCIPI ET AMPLISSIMO SENATVI REIPVBLICAE VENETORVM, IOANNES Cochlæus Germanus, Canonicus Vratislauiensis,

S. P. D.



SERENISSIME Princeps, Dux Illustrißime, Amplißimi Patres Conscripti. Dum recordor aliquando familiarium Colloquiorum: ad quæ frequenter, pro summa & benignitate & facilitate sua, paruitatem meam Ratisponæ olim ante annos Nouem admisit, immo ultro uocauit & adhibuit, Amplißimus Pater, Clarißimus & Nobilißimus uir, Gasparus CONTARENVS, S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Sedis Apostolicæ Legatus de Latere: reuerenter & deuote congratulor intra me ipsum prudentiæ ac fœlicitati uestræ, de singulari hac laude Reipublicæ uestræ, quod dicebat eam VIRGINEM & incorruptam perpetuô. Hoc sane sensu, quod ab initio usq; suæ originis libera permanserit semper, nulli unquam Regi aut Imperatori, siue Romano siue Constantinopolitano, subiugata, nec ulla contra Ecclesiam hæresi polluta.

Respub. Venetorũ VIRGO.

Pauca quidem sunt hæc uerba, sed ita peculiaria & propria Reipublicæ uestræ, ut nulla prorsus sit ciuitas in uniuerso mundo, quæ hanc laudem & fœlicitatem uestram sibi uere arrogare, aut uobis præripere possit. Qua uero ratione seruata sit hactenus, & perpetuo deinceps seruanda sit, Deo propitio, pulcherrime ac prudentißime docuit idem Contarenus, in præclaro & nuper in publicum ædito opere suo, De Republica Venetorum. Hoc sane sapientißimum institutum uestrum, perpetuo tenore fœliciter obseruatum, ut à multis Historiographis amplißimis laudibus prolixê cõmemoratum ac celebratum est, & mihi per Magnificos aliquot Oratores uestros (quos laudabili & antiqua consuetudine tum apud Cæsaream, tum apud Regiam Romanorum Maiestatem habere soletis) ore quoq; familiariter declaratum: Ita & inuictum armis à quibuslibet hostibus, quantumuis potentibus, reddidit, atq; in fide & religione

ne Catholica stabile atq; immotum, & prosperis adauctum successibus, conseruaut Imperium uestrum.

Id quod ex recentibus quoq; factis uestris, per multorum literas anno superiore abunde intellexi, dum multa uolumina, nouis hæreticorum fermentis infecta, quæ Gallicus quidam Bibliopola, spe lucri furtim inuexerat, bonorum uero uirorum indicio detecta, publice sunt iussu & authoritate uestra combusta. Si hoc salubre ac necessarium prudentiæ atq; diligentiæ uestræ exemplum, secutæ fuissent multæ in sacro Romano Imperio, præclaræ alioqui & opulentæ ciuitates Germaniæ, facile potuissent ea euitare incommoda, quæ multis iam annis summo cum detrimento Reipublicæ suæ pertulerunt: Immemores ueteris instituti Romanorum, quo contra seditionum & discordiarum pericula, Senatus Dictatori aut Consulibus summam tribuens potestatem, dicere solebat, Vt prouiderent, ne quid detrimenti Respublica pateretur.

Quoniam uero temere præbuerunt prurientes seditiosis & nouarum rerum cupidis Concionatoribus aures, grauissime turbauerunt tranquillum & pium ueteris in Republica sua instituti statum, non solum in fide & religione, quam contra Maiorum suorum exempla impiè mutauerunt, sed etiam in externa legum obseruatione. Cuius sane rei exemplum, unius præcipuæ ciuitatis hic referam: Quæ cum laudatissima habeat á Maioribus suis in Republica instituta, paucorum imprudentia temere admisit externos quosdam nouarum rerum cupidos Concionatores. Ciuitates in religiõe et Repub. per Concionatores sectarũ mutatæ.

Quorum unus, cum auderet etiam publicé contradicere ijs, quæ Cæsarea Maiestas in publico Edicto, post confectum contra seditiosos & rebelles bellum, constituerat Augustæ in nouissimo Conuentu Imperiali: Dimissus est & permissus potius, abire in malam rem, ne tota ciuitas illa, quæ & Imperatori & Regi Romanorum fidelissime, more Maiorum suorum, in rebus & causis prophanis adhærere & obedire solet, per seditiosas & impias conciones unius externi & ignobilis hominis, tantorum Principum suorum indignationem incurreret: Ille autem, ne innoxius pacifice abiret, pessimum post se reliquit discordiæ semen, libellum scribens, & furtim (tacito suo atq; etiam Typographi sui nomine) ædens Germanicé scriptum. In quo non solum Imperatorem propter Edictum illud, quod uulgo INTERIM uocant, carpit, tanquam impium Euangelij persecutorem: uerumetiam Senatũ illius ciuitatis (á quo tamen innumeris honoratus fuit beneficijs) Conciona tor seditiosus. Semen discordiæ hæreticus libellus.

repræhendit tanquam agnitæ ueritatis desertorem, ut eum plebi per hoc redderet exosum.

Hanc ego Senatus illius prudentiam (qua ciuitatem suam â periculosis & seditiosis huius hominis concionibus & scriptis liberauit) alijs in exemplum breui commendaui libello, quem celeberrimo Nomini uestro præ cæteris dedicandum censeo: Quandoquidem & Senatus ille, uestræ Reipub. studiosissimus ab antiquo habetur in Germania. Vtinam uero uniuersæ totius Germaniæ ciuitates & Respub. saluberrima Reipublicæ uestræ instituta mallent sequi, quám seditiosis concionibus & scriptis suorum Concionatorum dare locum, eisq; permittere, ut populos & simplicem plebem ad nouos tumultus & rebelliones, contra utranq; potestatem concitent. Deus Optimus Maximus (qui
1. Cor. 14. *pacis, non dissensionis est Deus) faciat, ut non solum Germaniæ, sed & Angliæ Daniæq; & Sueciæ, atq; etiam Noruegiæ ciuitates & Proceres, singularis prudentiæ uestræ exemplo, curent, Concionatores pestilentes, qui sub Diabolico Euangelij prætextu, pacem & fidem antiquam perturbant, seditiosisq; scriptis & libris suis omnia miscent & confundunt, amouere, & populos suos in antiqua & Catholica fide,*
2. Cor. 11. *paceq; & religione ita retinere, ut uobiscum illud Pauli Apostoli uerbum uere dicere queant: Aemulor uos Dei æmulatione. Despondi enim uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo, qui est uere saluator noster, Deus in sæcula benedictus. Vratislauiæ*

Die XXVI. Ianuarij, Anno Domini

M. D. L.

AD CARO-

AD CAROLVM V. IMPERATOREM, PIVS ET PACIFICVS LIBELLVS IOAN. COCHLAEI, CONTRA *impium & seditiosum scriptum, Trigami et profugi cuiusdam sacerdotis Apostatæ.*



EVS Opt. Max. dedit Augustæ ac sacrosanctæ Maiestati tuæ, Inuictissime Imperator Auguste, tantam & potentiam & in rebus gerendis fœlicitatem, quantam post Carolum Magnum per D C C. & amplius annos, nulli prædecessorum tuorũ Ro. Imperatorum unquam dedit: ut possis iure ac merito debeas, omnibus Ro. Imperij Regibus & Imperatoribus longo anteferri interuallo, siue quis animi tui magnitudinem, et intrepidum ad omnes periculorum casus & rerum euentus consyderet pectus, siue uictoriarum in bellis quamlibet magnis ac difficilibus prosperos successus attendat.

Miro tamen modo fit nouarum improbitate audacissima sectarum, ut uix ullius Antecessorum tuorum Edicta legesq; & mandata, apud plærosq; sacri Ro. Imperij populos, minorem habuerint honorem reuerentiamq;, & debitę obidientiæ effectum, quàm habent hoc tempore tua Cæsar, pijssima alioqui & non minus ad pacem et concordiam publicam, quàm ad sempiternam animarum salutem necessaria. Vereor itaq;, ne ijsce Germanis nostris, qui tam grauiter ac pertinaciter hæresi & schismate Deum & Maiestatem tuam incessabili rebellione offendunt, eueniat propediem, in magnam Patriæ ruinam & infamiam, sicut scriptum est in Esaia Propheta: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte uideat oculis suis, &c. Donec desolentur ciuitates absq; habitatore, & domus sine homine, & terra relinquatur deserta. Timeo & illud, quod de filijs Heli, iudicis & sacerdotis in Israel, scriptum legitur: Quod non audierunt uocem patris sui (qui eos increpans ac dehortans dicebat: Quare facitis res huiusmodi, quas ego audio res pessimas) quia uoluit Dominus occidere eos. Nisi enim iusto Dei iudicio essent sectæ nostræ, propter infinita scelera, quibus ad os usq; repletæ sunt, in reprobum sensum traditæ: tantam Maiestatem & potentiam, quæ à Deo super totam Germaniam legitimo iure ac potestate data est tibi Imperator, non possent nõ reuereri aut contemptim dissimulare;

Nouarum sectarum rebellio.

Esa. 6.

1. Reg. 2.

Sectæ in reprobum sensum traditæ.

Mitissima Cæsaris Ordinatio.

dissimulare: Eam præsertim Ordinationem tuam, quam superioribus annis Augustæ, omnium Imperij Principum, Ordinumq; & Ciuitatum consensu publico promulgasti, adeo mitem sane atq; pacificam, ut magis pie atq; paterne, Germanię populos à sectarum illicitis cœptis dehortari non posses: licet propter recentes, ab eis suscitatas, & uirtute tua per grauissimũ ac sumptuosissimũ bellum oppressas, seditiones & latissimæ conspirationis rebelliones atq; tumultus, potuisses uictor rigidas leges imperiose uictis imponere, ac uictoriæ iure atq; priuilegio dicere: Sic uolo, sic iubeo. Sicut fecerũt ipsi nobis, ubicunq; in Catholicos prævaluerunt. Hanc incredibilem clementiam gratiamq; & benignitatem tuam ingratissimi homines, superbissimi sectarum Concionatores, usq; adeo non curant aut respiciunt, ut mox post æditam à Maiestate tua Ordinationem tuam, quam uulgo INTERIM uocant, contempto Maiestatis tuæ Interdicto, seditiosos ac impios in Germaniæ populos dispersérint libellos, tanta quidem cum audaciæ ac rebellionis æmulatione, ut inter sese contendere uideantur, quisnam eorum in hoc contradicendi studio maior uideri debeat. Vidi equidem hic (licet alijs intentus ac præpeditus nunc studijs, atq; in secessu & solitudine positus) intra Duos menses ab eis Septem æditos libellos, tanto cum fastu imperiose ac iactanter contra INTERIM scriptos, in seditiosissimum & Maiestatis tuæ aliorumq; Principum ac statuum Imperij opprobrium & contemptum, atq; in blasphemas summi Pontificis Ecclesiæq; totius, & omnium Sacramentorum Cæremoniarumq; reprehensiones & iniurias: ut Catholicis magis optandum esse uideatur, si illis ita impune omnia scribere ac facere permissum fuerit, Ordinationem tuam nunquam uel concœptam uel in lucem æditam esse. Quandoquidem pro uno Ordinationis tuæ libello, Germaniæ populis obtrudunt scandalosissime permultos contradictionis suæ libellos, quibus & suas hæreses luculentius quàm antea iactitant atq; cõmendant, & Ecclesiæ Catholicæ fidem atq; doctrinam Cæremonias q;, quantumuis antiquas, ita superbe falso Dei & uerbi eius prætextu reprobant atq; impugnãt, ut in errores suos inducere possint etiam electos, si Dei prędestinatio permitteret. Et necessarium sit nobis attendere ad illud uerbũ Apostoli, quod ait ad Corinthios: Qui se existimat stare, uideat ne cadat: Tentatio uos non appræhendat, nisi humana. Quantum sit igitur scandali tentationisq; Diabolicæ, in binis aut ternis unius Philippi Melanthonis contra INTERIM scriptis, breuiter commemoraui nuper in septima ad Maiestatem tuam Philippica. Is enim tantæ est apud Lutheranos ubiq; authoritatis & existimationis, multis iam annis, ut uel solus possit nouos excitare contra Maiestatem tuam tumultus, si permissum fuerit, libere circumferri noua contra INTERIM scripta eius. At uidi paulo

Diuersi libelli contra INTERIM.

Matth. 24.

1. Cor. 10.

Duo præcipui periculosi libelli.

paulo post alterius cuiusdam Lutherani libellum, contra idipsum INTERIM euulgatum, quem non minus scandalosum ac periculosum existimo, quàm eum, qui à Philippo æditus est. Quamuis enim ille authoritate & gratia apud Lutheranos minor est Philippo: concionandi tamen industria, qua & Catholicæ Ecclesiæ institutа irridere atq; calumniari, & suæ sectæ nouitates cordibus auditorum infigere nouit, multo maior est Philippo, qui concionari ad plebem non solet, ut ille.

Malignitas utriusq; est, quod contra usitatum morem publicumq; Imperij mandatum, plærisq; Recessibus confirmatum ac repetitum, libellos suos ædunt, suppressis ac nequiter tacitis loci ac Typographi nominibus, posterior præterea libellus, ipsius etiam Authoris nomen obticet. Quod equidem probe noscere mihi uideor, ex phrasi alijsq; circunstantijs: prodere tamen nolo hac uice, in gratiam & honorem ciuitatis & Reipublicæ, in qua ille plebem, antea piam & religiosam, pessime seduxit multis iam annis. Vnde magnopere timeo ordinatissimæ & ab antiquo laudatissimæ illius ciuitatis Reipub. à seditiosis istius Concionatoris consilijs, quemadmodum ex hoc eius libello, & quibusdam alijs eius scriptis facile deprehendi potest: quæ non solum impia in multis sunt contra Deum & Ecclesiq; fidem, sed etiam iniuriosa et seditiosa in Maiestatem, Cæsar, tuam. Authoris malignitas.

Cum nemo sit interim reuera illo ipso reprehensibilior: Quandoquidem uiuit scandalosè in superbia & abusione, contra leges & Canones moremq; publicum, utpote sacerdos irregularis, rebellis, & uxoratus, & quidem Trigamus iam manifeste aut Quadrigamus, ex paupere fabri ferrarij filio per fas & nephas in multis milibus ditatus, ut facile discedere, & iræ tuæ uindictam effugere possit, si ad alios uel rebelles uel ab Imperio tuo exemptos migrare uoluerit. Qua sane improba fiducia securior factus, liberrime contra INTERIM inuehitur. Quoniam uero alijs nunc implicitus sum laboribus, Maiestati tuæ breuiter & summatim quædam capitula periculosi eius libelli recensebo, ut intelligat Maiestas tua, quid nam de huiusmodi scriptis censendum ac sentiendum sit. Authoris crimonosus & infamis.

De

De benedictione Salis & Aquæ

Capitulum I.

HAnc antiquissimam Ecclesiæ Catholicæ Cæremoniam, reprehendit atq; criminatur & irridet Trigamus iste Sacerdotij desertor, non solum ut summam stultitiam & uanitatem, uerumetiam ut impiam superstitionem atq; Idolatriam, Idq; facit Rhetoricis argumentis ad plausum populi, per multa uerborum ludibria, quibus contemptibiles atq; etiam execrabiles facit plebi ab ipso subuersæ actus & ritus Ecclesiæ, quantumuis antiquos. Ait ergo.

Exorcismorum irrisio.

Subinde exorcizatur & aqua, sicut sal prius exorcizatum est, ut expellat Diabolum & omnem potentiam eius, omnes angelos Apostatas, & omnia eius phantasmata: & aspersa det sanitatem mentis, integritatem corporis, tutelam salutis, &c. Omnia Theutonicè.

Locutiones ad creaturas irrationabiles.

Hanc autem dicit summam esse stultitiam sacerdotis, quod sic loquitur ad mutam & inanimatam creaturam, quæ nec audit, nec intelligit eius uerba. Huic populari eius Sophismati possunt opponi multa utriusq; Testamenti exempla, ubi sanctissimi ac sapientissimi homines ad huiusmodi creaturas irrationales locuti sunt. Ait Moyses: Audite cœli quę loquor; audiat terra uerba oris mei. Ait successor eius Iosue: Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra uallem Hailon. Ait Esaias Propheta: Audite cœli, & auribus percipe terra. Et in nouo Testamento ait ipse Dominus: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc, et transibit, & nihil impossibile erit uobis. Item, Si habueritis fidem, & nihil hæsitaueritis, non solum de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis, Tolle, & iacta te in mare, fiet. Non est igitur absurda aut stulta huiusmodi locutio, ijs qui habent fidem. Ait enim ipse Dominus: Omnia possibilia sunt credenti. Deinde addit & hæc Laicalia infidelitatis et sensualitatis argumenta.

Deut. 32.
Iosue 10.
Esa. 1.
Matth. 17. & 21.
Mar. 9.

Laicorum superba iudicia de sacris.

Fatuitas est (inquit) supra omnem fatuitatem, sic loqui ad mutam & mortuam creaturam, tanquam ipsa habeat aures & audiat: Immo quasi ipsa ualde bene intelligat Latinum, & quemlibet sermonem.

Hæc audientes superbi Laici, qui non habent exercitatos sensus in uerbo Dei, & quibus lacte opus est, non solido cibo (ut ait Apostolus) stultissime credunt ita esse: & propter superbam iudicij sui temeritatem, merito sic exuuntur & priuantur fide maiorum nostrorum, in reprobum sensum traditi, ut nihil uirtutis inesse credant uerbis & benedictionibus, quibus utitur sacerdos per inuocationem Dei,

Heb. 5.
1. Cor. 3.

Dei,& nominis Iesu Christi in exorcizando. Sed secundum stultitiæ suæ sensum iudicant, non altius quàm oculis uident. Cunq; uirtutem supernaturalem,quæ per uerbum Dei operatur in huiusmodi creaturis inanimatis, oculis corporeis non uideant,stulta infidelitate pro figmento & ludibrio habent, quicquid per tremendam inuocationem Dei, & per nomen Iesu Christi ibi agitur: Non consyderantes, neq; credentes uerbo Dei (de quo tamen uanissime sese iactitant impudenti stultitia,tanquam in eo magis sint docti & illuminati, quàm sunt omnes apud Catholicos Theologiæ Doctores) Falsa fides de uerbo Dei.

Tametsi scriptum est: Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Non est igitur ibi consyderanda natura,aut propria uirtus salis & aquæ,sed uirtus Dei & fides credentium. Ait enim ipse Saluator noster in Euangelio: Omnia quæcunq; petieritis in oratione, credentes accipietis. Cunq; de huiusmodi uirtute dubitarent in naui,timentes sibi à fluctibus maris & tempestate exorta discipuli eius,increpans eos ait: Vbi est fides uestra? Illi autem timentes mirati sunt ad inuicem,dicentes: Quis putas hic est,quia & uentis & mari imperat, & obediunt ei. Si hæc legeret incredulus Iudæus aut Gentilis,nonne posset simili procacitate(quali nunc nobis illudunt increduli Lutherani) dicere: Nunquid aures habuerunt,& uerborum Hebraicorum intellectum, uenti & mare, ut audirent ac obedirent sic imperanti? Quantum uero possit uera fides,pulcherrime declarat Optatus, Episcopus quondam Mileuitanus, aduersus Parmenianum Donatistam, tribus præcipue exemplis,ex Euangelio: utpote Mulieris Chananeæ, Centurionis, & Mulieris fluxum sanguinis grauiter patientis. Hunc ego Authorem nuper,Deo propitio,inuentum,ex Bibliotheca Cusana,in lucem produxi. Tertio. Rursus illudit nobis incredulus iste Concionator,& ait.

Matth. 21. Luc. 8. Optatus lib. 5.

Quasi uero sal aut aqua liberum habeat arbitrium,sicut habent Angeli & homines,& situm sit in eius potestate, an uelit nec ne Diabolum expellere & alia facere: super quibus adiuratur.

Sed aucarum prædicator iste (uti appellabat eum D. Ioan. Eckius, Doctissimus Theologus & Philosophus) qui per hæresim fidem amisit,non intelligit,quia non credit,attendi hic non propriam uirtutem & naturam salis & aquæ, sed uirtutem supernaturalem, quam habent ex inuocatione omnipotentis Dei,et per nomen Iesu Christi, quod etiam Diaboli credunt (ut ait S. Iacobus) & contremiscunt. Hanc autem uirtutem non intelligunt nec sentiunt infideles hæretici. Quia scriptum est in Esaia: Si non crediderit is,non intelligetis. Et in Euangelio legitur de ipso Domino,secundum Matthæum: Quod in patria sua non fecit uirtutes multas, propter incredulitatem eorum: Quin etiam apertius apud Marcum legitur, quod non poterat ibi uirtutẽ ullam facere,nisi paucos infirmos impositis manibus curauit,

Increduli hæretici. Iacob. 2. Esa. 7. Matth. 13. Mar. 6.

Matth. 17. & mirabatur propter incredulitatem eorum. Item, Cum discipuli eius non possent Lunaticum curare, & à dæmonio liberare, interrogauerunt Iesum, qui dæmonium illud eiecit, Quare nos non potuimus eijcere? Dixit illis Iesus: Propter incredulitatem uestram. Nemo igitur miretur, quod apud incredulos hæreticos benedictio salis & aquæ non eam habet uirtutẽ, quam habet in Ecclesia Catholica: quia fit hoc propter incredulitatem eorum. Vnde fit adhuc hodie in Bohemia (sicut narrauit mihi olim insignis Concionator Misnensis, Nicolaus Puscherus) quod aqua benedicta apud schismaticos non habeat ibi uirtutem, sicut apud Catholicos. Quare aliunde affertur ad illos, quia in templis eorum fiat statim putrida & fœtida, si non fuerit à Catholico sacerdote benedicta. De qua sane benedictione ita scripsit S. Martyr Alexander Papa I. Aquam sale consperſam populis benedicimus, ut ea cuncti asperſi, sanctificentur & purificentur. Quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis uitulæ aspersus sanguine, populum sanctificabat atq; mundabat: multo magis aqua sale aspersa diuinisq; precibus sacrata, populum sanctificat atq; mundat. Ecce S. Martyr, ritum hunc (quem nouus iste Christianus, post tot sæcula impium & Idolatricum dicit) etiam scripturæ probat testimonio, & quidem argumento à minori, sciens nouum Testamentum perfectius esse quàm uetus, ut ait Apostolus. Quarto, Nugatur amplius infidelis Concionator iste plebisq; seductor impius, & ait.

Cur nihil uirtutis habent sal & aqua benedicta apud sectas.

Epistola 1.

Num. 19.

Heb. 7.

In scripturis nusquam reperiri, quod ullus uere fidelis homo præsumpserit aut attentauerit, á mundi usq; initio, adiurare ullum hominem, nisi eum, cuius ipse fuerit in eo casu ordinarie Dominus & superior.

Virtus adiurandi creaturas inanimatas.

At si quis interroget Concionatorem istum, ubi nam scriptum sit hoc somnium eius, quod nemo possit aut debeat adiurare ullum hominem, nisi subditum sibi ordinaria potestate, Quid rogo respondere poterit? Adiurauit Solem & Lunam Iosue: Sol (inquit) contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra Hailon. Quid quæso iuris aut potestatis in Solem & Lunam habuit Iosue? Quis dedit aures Soli & Lunæ, ut audirent & obedirent uoci & Imperio hominis istius? Et quod amplius est, ita subditur in textu. Non fuit antea & postea tam longa dies, obediente Domino uoci hominis, & pugnante pro Israel. Cunque obijceretur contra hoc illud Esaiæ, quod reuersus sit Sol X. lineis, hocque maius esse miraculum diceretur, quàm quod Sol steterit. Responsum legitur, quod illud factum sit ad iussum Dei: Hoc autem ad uerbum hominis. Dicat præterea, si potest, Somniator iste, Quo nam iure subiecti fuerint cœli, uoci & Imperio seu potestati Moysi, quando dixit eis, Audite cœli, quæ loquor. Item bis dixit idem: Testes inuoco hodie cœlum & terram. Et in Euangelio quid obsecro iuris aut potestatis ordinariæ habuit in Iesum (in cuius

Iosue 10.

Esa. 38.

Deut. 32.

Deu. 4. et 30.

euius fœmore scriptum est, Rex Regum, & Dominus dominantium) impius Pontifex Caiphas, quando dixit ei, Adiuro te per Deum uiuum? Et quod longe amplius & clarius contrarium est huic Somniatoris sententiæ, in Euangelio Marci sic habetur scriptum: Quid mihi & tibi est IESV, fili Dei altissimi, Adiuro te per Deum, ne me torqueas. Nunquid in Iesum filium Dei altissimi aliquid iuris aut potestatis habuit Diabolus? At negat hoc ipsemet Dominus, dicens: Venit enim princeps huius mūdi, et in me non habet quicq̄. Quinto, Nugatur rursus, non solum contra sensum communem & certissimam rerum experientiam, totiusq̄ Ecclesiæ practicam: sed etiam contra Euangelium & uerbum Christi ipsius, impudens iste Pseudopropheta, dum ait.

Apoc. 19. Matth. 26.

Mar. 5.

Ioan. 14.

Magnam esse differentiam inter miraculum & benedictionem, Atq̄ inter simplex præceptum & adurationem. Adurationem enim faciunt (inquit) solummodo increduli Iudæi, & superstitiosi Christiani.

Sed ubi sunt hæ nugæ eius scriptæ? Nonne ex utroq̄ Testamento produximus iam supra multa adurationis exempla, pia & scripturis probata? Antiquissima profecto sunt testimonia de libris Salomonis in historia Regum. Inter quos numerantur à Iosepho etiam libri Exorcismorum seu adurationum, libro Octauo de antiquitatibus. Etenim sacra Regum historia sic breuiter ait.

3. Reg. 4. Iosephus de Antiqui. lib. 8. c. 2.

Locutus est quoq̄ Salomon Tria Millia Parabolas, & fuerunt carmina eius Quinq̄ Millia, &c. Iosephus autem clarius & prolixius ista cōmemorans, hæc quoq̄ superaddidit. Præstitit (inquit) Deus etiam ei, ut contra dæmones artem, ad utilitatem hominum & eorum curas ediscceret. Et incantationes instituit, quibus ægritudines soleant mitigari. Modum autem Coniurationum, quibus obstricti dæmones, ne denuo redeant, effugantur, inuenit. Et hæc cura hactenus apud nos (inquit) multum prætalere dinoscitur. Vidi enim quendam Eleazarū de gente nostra: præsente Vespasiano & eius filijs & Tribunis, alioquè simul exercitu: curantem eos, qui à dæmonibus uexabantur. Hæc & id genus plura Iosephus. Quibus astipulari uidentur in Euangelio hæc uerba Christi: Si ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij uestri in quo eijciunt? Ideo ipsi Iudices uestri erunt. Si autem ego in spiritu Dei eijcio dæmones, igitur peruenit in uos regnum Dei, &c.

Matth. 12.

Falsa igitur & impia est hæc de Exorcismis & adurationibus Concionatoris huius calumnia, quod solummodo incredulis Iudæis et superstitiosis Christianis conueniant. Constat enim ex Euangelio, Discipulis datam esse à Christo potestatem eijciendi dæmones, & eam potestatem adhuc hodie tradi ab Episcopo in solenni & consueta Clericorum ordinatione, Exorcistis, non noua adinuentione:

sed antiqua Ecclesię traditione, quã ab ipso Christo & Apostolis eius accepit, & per tot sæcula in perpetua praxi & consuetudine obseruauit. Etenim Christus conuocatis XII. Apostolis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eijcerent eos, & curarent omnem languorem. Post passionem autem suam ascensurus ad Patrem, itemrum dixit generaliter. Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient. Hinc in Quarto Concilio Carthaginensi (cui etiam S. Augustinus interfuit) statutum est in hæc uerba. Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt Exorcismi, dicente sibi Episcopo: Accipe & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super Energumenũ, siue baptizatum siue Catechumenũ. Et hæc forma & consuetudo ordinandi Exorcistas, hoc est, Adiuratores, ad huc hodie obseruatur in Ecclesia ab omnibus Episcopis Catholicis. Quo igitur iure præsumit Trigamus ac perfidus iste Presbyter, contra tot Euangelij & omnis Ecclesię iura & testimonia, suadere nunc deceptæ ac male fascinatæ plebi, ne obediat mandato Augustę tuo, quod INTERIM uocant, eò quod in eo antiqua hæc Ecclesiæ consuetudo approbatur, & aboleri prohibetur. Sexto, Iterum sine uerbo Dei blaterat Nugator iste ad plebem seductam, In hæc uerba.

Matth. 10.

Mar. ult.

Dist. 23. in Decretis c. Exorcista.

Quicunq; Diabolum adiurando uult cogere, is facit eum probum & ueracem, tanquam ius iurandum seruet. Qui enim dicit, Aduro te, is non amplius dicit, nisi, facio te iurare, aut iuramentum á te exigo, aut admoneo te tui iuramenti. Et facit per hoc Christum mendacem, tanquam is iniuriam fecerit Diabolo, ubi dixit eum esse mendacem. Si enim mendax est, nullum seruat iuramentum.

Deceptor plebis.

Hæc Germanicus iste Rhetor satis callide, ad decipiendum imperitum uulgus. Sed maligne fallit, dum ueris falsa permiscet, & figmentis suis uera ex scripturis interserit. Quod indocti Laici nõ intelligunt neq; consyderant, sed temere credunt absq; iudicio, fallacibus eius sermonibus irretiti & circumuenti, ac statim sequuntur seditiosum hoc scriptum eius. Sicut scriptum est in Prouerbijs de stulto iuuene, qui garrulam & uagam quietisq; impatientem sequitur meretricem, quasi bos ductus ad uictimam, & quasi agnus lasciuiens & ignorans, & nescit, quod ad uincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius: Velut si auis festinet ad laqueum, & nescit quod de periculo animæ illius agitur. Verum quidem est, quod Christus de Diabolo dicit: Mendax est & pater eius. Rel qua autem huius Paralogismi uerba, non scripturæ, sed deceptoris commenta sunt. Vbi enim scriptum habetur, quod adiurans Diabolum, facit eum probum

Prouerb. 7.

Iohn. 8.

Mendacia de Diabolo.

probum & ueracem? Quę item ſcriptura dicit, quòd Adiuro te nihil aliud ſit, quàm facio te iurare, aut iuramentum à te exigo, aut admoneo te iuramenti tui? Sed nec illa ſunt ſcripturæ uerbà, Chriſtum eſſe mendacem, quod dixit Diabolum eſſe mendacem. Nec iſta, Si mendax eſt Diabolus, nullum iuramentū ſeruat. Omnia hęc fraudulenta ſunt figmenta peruerſi & in reprobū ſenſum dati Sophiſtæ, qui Maieſtati tuæ præclaram & hactenus obſeruantiſsimam ciuitatem manifeſte rebellem, & Ordinationi tuæ ſeditioſe contradicentem facere cupit: Qui breui ueritatis unico dicto (Diabolus eſt mendax) tot admiſcet & palliat ſophiſmata falſitatis. Nemo enim Catholicorū adiurat Diabolum, ut eum faciat probum et ueracem, ſed ut Deo ſubſit, & imperium eius agnoſcat. His enim & ſimilibus uerbis uexatur, increpatur & flagellatur in Exorciſmis noſtris. Ergo maledicte Diabole, recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo uiuo & uero: Da honorem Ieſu Chriſto filio eius & Spiritui ſancto, & recede ab hoc famulo Dei, &c. Item, Exorcizo te immunde ſpiritus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. Ipſe enim tibi imperat, maledicte ac damnate, qui pedibus ſuper mare ambulauit, & Petro mergenti dexteram porrexit. Hi ſunt efficaciſsimi Exorciſmi noſtri, quibus inſultamus & increpamus, atq; expellimus Diabolum quotidie quando baptizamus. Quin etiam ſcio ſacerdotem Catholicum in confinibus Poloniæ, mihi familiariſſime notū, qui cū non haberet librum Exorciſmorū alium cę eum, qui uulgo Agēda dicitur, uſus eſt fidutialiter Exorciſmis, quibus circa Baptizandos utimur, & per eos liberauit iuuenē quendā ſuę Parochię, cui propria mater ita maledixerat, ut à Diabolo obſeſſus, uerſus fuerit in furorem, omnibus uicinis ei compatientibus, & opem Exorciſmi à ſuo paſtore flagitantibus. Facta ſunt hæc ante Sex annos, dum reſiderem Vratiſlauiæ, & collatio illius Eccleſiæ Parochialis ad ius meum pertineret. Quid obſecro effecerunt omnes Lutherani, qui Exorciſmos contemnunt & calumniantur? Hic autem ſacerdos, quia habuit fidem, potuit uiolentum ab obſeſſo iuuene expellere Diabolum. Iuxta illud Euangelij: Omnia poſsibilia ſunt credenti. Hæreticis autem propter incredulitatem eorum, nihil talium effectuum conceditur, ut dictum eſt ſupra. Nec admittimus confictam expoſitionem, de adiurando, quod nihil aliud ſit Adiuro, niſi facio te iurare, aut iuramentum à te exigo, aut tui te admoneo iuramenti. Vbi enim habetur in ſcripturis hæc expoſitio? Quis autem exigat iuramentum ab inanimatis creaturis? Nec legitur Saul Rex à populo iuramentum exegiſſe, quando adiurauit eum in hoſtium ſuorum perſecutione, dicens: Maledictus uir, qui comederit panem uſq; ad ueſperam. Nec Dæmon à Chriſto, quando dixit: Adiuro te, ne me torqueas. Nec ſponſus Eccleſiæ à filiabus Hieruſalem, quando

Quomodo exorcizatur Diabolus.

Recens exemplū Exorciſmi per Catholicū ſacerdotem.

Mar. 9. Matth. 17.

1. Reg. 14.

Mar. 5.

Cant.2. dixit: Adiuro uos filiæ Hierusalem per capreas ceruosq; camporum. Nec S. Briccius Episcopus ab infante 30. dierum, quando dixit ei: Adiuro te, ut dicas si ego te genui, &c. Ita nec à sale aut aqua exorcizata iuramentum requirere necesse est, ut falsa uult expositio Deceptoris. Nec opus est, Diabolum semper & in omnibus dictis suis mentiri, licet recte ac uere mendax à Christo dictus sit. Non enim
Mar.3. mentitus est, quãdo dixit Domino: Tu es filius Dei, &c. Septimo,
Prouerb.6. Filius iste infidelis, perfide contra uerbum Dei dimittit legem matris
Genes.9. suæ: tanta sane cum impietate, ut longe petulantius ac malignius, quàm fecit Cham patri suo, conetur matri suæ uerenda detegere, & per sceleratas calumnias alijs illudenda præbere atq; exponere. Proinde merito ac ueraciter contra illusores & cachinnatores illos, ipsa cum Dauid conqueri ac dicere potest: Filij alieni mentiti sunt mihi;
Psal.17. filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis. Et cum
Iob 30. patientissimo Iob: Nunc autem derident me iuniores tempore, filij stultorum & ignobilium, & in eorum canticum uersa sum, & facta eis in prouerbium: Abominantur me, & longe fugiunt à me, & faciem meam conspuere non uerentur. Ait ergo.

Calumnię. *Vltra hæc omnia est ibi Idolatria, quia sal & aqua habentur pro saluatore, qui est Dei filius. Is enim solus facere potest, quicquid apud sal & aquam quæritur. Christo quoq; suus eripitur honor, & sali atq; aquæ impenditur. Assumitur præterea in his nomen Dei & alia uerba in uanum & falso: Quod Deus non dimittit impunitum. Non enim alius est Saluator, nisi Christus filius Dei, qui Deus est: sicut scriptum est Esaiæ XLIII. Ego sum Dominus, & non est absq; me Saluator.*

Hæc iste. At si quis inspiciat uerba Exorcismi, nihil horum criminum ibi inueniet, sed sanctæ sunt ibi adiurationes per tremendum nomen Dei, & inuocationes Dei per dulce ac uenerabile nomen saluatoris nostri Iesu Christi, super creaturam salis & aquæ, ut uirtutem contra immundos spiritus accipiat, non per Iouem aut Martem, aliosue deos falsos & alienos: sed per Deum uerum & per inuocationem Iesu Christi, cuius nomen est super omne nomen, ut in nomine eius omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum,
Phil.2. ut ait Paulus Apostolus. Cui cõsonat Princeps Apostolorũ Petrus,
Act.4. ita dicens: Et non est in alio aliquo salus: Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.

Exorcismus salis et aquæ per nomẽ Iesu. Nos igitur in hoc nomine & per huius nominis inuocationem, exorcizamus, benedicimus & sanctificamus istas Dei creaturas. Sicut docuerunt & tradiderunt nobis Apostoli & sancti Martyres Christi, Clemens, Alexander, Fabianus, &c. Iuxta illud Pauli ad Timotheum

theum: Sanctificatur enim per uerbum Dei & orationẽ. Ita enim 1. Tim. 4.
ait Alexander I. Papa supradictus. Si sale aspersо per Helisæum Pro- Epistola 1.
phetam, sterilitas aquæ sanata est: Quanto magis diuinis precibus 4. Reg. 2.
sacratus, sterilitatem rerum aufert humanarũ, & coinquinatos sanctificat, atq; mundat & expurgat: Et cætera bona multiplicat, & insidias Diaboli auertit, et à phantasmatis uersutijs homines defendit? An uero huic Martyri & Pontifici Doctissimo nõ plus credendum est, scripturas alleganti, quàm huic Apostatæ, scripturam sacram pro sua impietate maligne peruertenti. Nihil est igitur ibi Idolatriæ, sed ubiq; religiosa nominis ueri Dei inuocatio. Sicut ex Iohelis prophe- Iohel. 2.
tia docet idem Apostolus: Omnis enim quicũq; inuocauerit nomen Rom. 10.
Domini, saluus erit. Ita enim docet nos Deus ipse per Psalmistam, Psal. 49.
dicens: Inuoca me, & honorabis me. Itaq; sacerdos Exorcismum salis & aquæ sic exordiτur. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram. Exorcizo te creatura salis per Deum uiuum, per Deum uerum, per Deum sanctum. Quæ est, rogo, hic Idolatria? Addit exemplum Helisæi Prophetæ ex scriptura sacra: Per Deum (inquit) qui te per Helisæum Prophetam in aquam mitti iussit, ut 4. Reg. 2.
sanaretur sterilitas aquæ. Ea autem sanatio non tribuitur principaliter uel ipsi Prophetæ, uel naturæ salis, sed uirtuti diuinæ. Sic enim ait Propheta: Hæc dicit Dominus, Sanaui aquas has, & non erit ultra in eis mors neq; sterilitas. Iuxta hoc exemplum sacerdos sal per Deum exorcizat & ait. Vt efficiaris sal exorcizatus in salutem credentium, & sis omnibus te sumentibus sanitas animæ & corporis, & effugiat atq; discedat ab eo loco, in quo aspersus fueris, omnis phantasia & nequitia ac uersutia Diabolicæ fraudis, omnisq; spiritus immundus, adiuratus per eum, qui uenturus est iudicare uiuos & mortuos, & sæculum per ignem, Amen. Ecce in salutẽ credentium exorcizatur sal, ut efficax fiat, non ex natura sua, nec ex merito adiurantis: sed ex uirtute Dei omnipotentis, per cuius nomen adiuratur, Quẽadmodum statim adiuncta testatur oratio. Sic & in Exorcismo aquæ ait sa- Exorcismus aquę.
cerdos: Exorcizo te creatura aquæ, in nomine Dei patris omnipotentis, & in nomine Iesu Christi filij eius Domini nostri, & in uirtute Spiritus sancti: ut fias aqua exorcizata, ad effugandum omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare ualeas cum angelis suis Apostaticis: Per uirtutem eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui uenturus est iudicare uiuos & mortuos, & sæculum per ignem, Amen. Quanta est igitur Apostatici huius sa- Blasphema calumnia.
cerdotis, qui hæc omnia simul cũ Missa & sacro Canone calumniose reprobat, impietas et blasphemia: dum non ueretur nobis exprobrare Idolatriam, quod ita inuocamus nomen Domini, quod tremunt etiam impia Tartara. Idq; facit per meras calumnias, & sophisticas argutias, sine scripturarum authoritate. Non enim ex sale aut aqua

Deum facimus aut Christum, sed per orationem & inuocationem diuini nominis, petimus benedici & sanctificari istas creaturas, ut talem uirtutem, quam ex natura non habent, per omnipotentiam Dei accipiant: Non sane, ut abnegetur aut excludatur ibi Christus, & sal atq; aqua pro Christo habeantur, aut in locum eius succedant, sicut sceleratissime nobis falso imputat iste Calumniator: Sed ut Christus ipse principalis sit sanctificator, et eiusmodi effectuum operator, hisq; creaturis ita per nomen suum sanctificatis, utatur ut instrumentis per ministerium sacerdotis. Sicut enim uere dixit de eo Ioānes Baptista:

Ioan. 1. Hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Ita nos quoq; recte credimus & dicimus: Hic est qui sanctificat huiusmodi creaturas per uerbum et orationem. Vtitur aūt ex bonitate sua, non ex necessitate, ñisce creaturis & ministerio sacerdotis, sicut & in Baptismo facit. Rescripsit olim Plinio secundo Traianus Imperator, Non esse suorum temporum, recipere delationes contra Christianos, sine inscriptione nominis eius, qui deferret aut accusaret. Quanto minus debet, obsecro, tuorum esse temporum, O fortissime Imperator & Rex Catholice, ut permittas in et sub Imperio tuo tam nefariis Calūniatoribus, tam seditiosos impiosq; & blasphemos libellos ædere, & in uulgus spargere: Quibus deferunt & palàm accusant atq; calumniose criminantur, non certos Christianos priuatim: sed totā Ecclesiam Catholicam, & cū ea Christū simul et Spiritū sanctū, qui cū ea manēt usq; in finem sęculi, atq; adeo in ęternū: iuxta uerba ipsius Christi, in Euangelio expressa. Si Traianus persecutor et hostis publicus Christianorū, noluit pati, ut delator in occulto absq; nominis sui inscriptione certos deferret Christianos, quibus tamen propter diuersam religionem infensissimus erat: Quanto magis permittere non debet Maiestas tua, ut palàm accusetur tota Ecclesia Idolatriæ & blasphemiæ in antiquissimis ritibus suis, quibus etiam sub Gentilium & Idolatrarum Imperio usa fuisse demonstratur. Augustinus uir pñsimus et doctissimus: etsi Donatistæ longe minus peccarent in Ecclesiam, quàm faciunt Calumniatores isti sed tiosissimi: in multis tamen epistolis innuit Regibus & sæculari potestati, esse illorum officiū, hæreticorum ora calamosq; reprimere, ne tantis cū scandalis Ecclesiæ fidē oppugnent.

23. q. 4. c. Non inuenitur. Non inuenitur (inquit ad Vincentium Donatistam) exemplum in Euangelicis & Apostolicis literis, aliquid petitum a Regibus terræ pro Ecclesia, contra inimicos Ecclesiæ. Quis negat non inueniri? Sed

Psal. 2. nondum implebatur illa prophetia. Et nunc Reges intelligite: Eruditimini qui iudicatis terram, &c. Quomodo ergo Reges seruiunt Domino in timore, nisi ea quæ contra Domini iussa fuerint, religiosa seueritate prohibendo atq; plectendo?

Exemplū de Traiano contra Calumniatores.

Regum Christianorū officiū.

De

De Consecratione Chrismatis & Olei sancti, Cap. II.

QVanquam ante sex annos respondi Ambrosio Moibano, pastori Laico, qui neq; Presbyter, neq; Diaconus est, super huiusmodi Ecclesiæ antiquis ritibus: Operę precium tamen uisum est, isti quoq; Apostatico respondere sacerdoti, qui legitime in Presbyterum olim ordinatus et unctus, contra omnem & Græcorum & Latinorum consuetudinem, post assumptum Presbyteratū, nubere ausus est, & quidem in tam celebri, Cæsar, Imperij tui ciuitate, summo cum scandalo populorum, non illius tantum ciuitatis quantumuis populosæ, sed aliarum quoq; non paucarum ciuitatum: quę illam, uelut præcipuam, & quasi oculum & speculum atq; exemplum, propter præclaram Rempub. à maioribus pijs atq; Catholicis sapienter institutā, opibusq; & cōmercijs adauctam, habent et respiciunt. Nupsit autem non semel, nec uni tantū uiduę, sed pluribus, propter diuitias earū magis (ut dicunt plurimi) q̄; propter procreandas ex eis proles. Et ea in re Moibano longe deterior est execrabiliorq;, qui uni nupsit, ex qua proles multas suscepit. Nupsit tamen & ille tandem, uiduarum opibus bene suffarcinatus, cuiusdam Medici filiæ uirgini, ut existimabatur, neq; tamen sine auaritię suspitione: Nam & Medicus ille diues erat. Respondi aūt de salis & aquæ benedictione aliquanto prolixius, quia in alijs contra INTERIM æditis libellis, non uidi tam multas & atroces calumnias atq; blasphemias, quātas effutiuit Apostaticꝰ iste Presbyter. Breuius aūt ad cętera respondere studebo, quantū Deus dederit. Poterunt n. multa, quæ ille contra cætera loquaciter obijcit, ex supradictis facile confutari. Nam maior pars eorū, quæ ille contra Chrisma & Oleum sanctum ab Episcopo consecratum nobis exprobrat, tanq; Idolatrica et blasphema, iam supra sunt discussa, atq; etiam paulo ante reprobata, in ijsce libellis, quos contra Caluinum & Melanthonem scripsi. De ijs igitur non uidetur mihi opus hic esse longa confutatione sophisticorum illius argumentorum. Ait primo sic.

Sacerdos scādalosissime Trigamus.

Satis profecto stultum est, adiurare Oleum, cum potius deberet Episcopus adiurare Diabolum, ut discederet: Adiurat autem Oleum, quod Diabolo resistere non potest.

Respondeo. Laicale hoc argumentum nihil aliud est, nisi humanum figmentum sine omni uerbo Dei. Nos supra multis ex scriptu ra utriusq; Testamenti exemplis probauimus, in Exorcismis & benedictionibus nostris posse nos alloqui & adiurare, non solum Angelos & homines, qui uerba intelligunt, sed etiam irrationales & inanimatas seu muras (ut loquitur irrisor iste) creaturas, quales sunt Sal, aqua,

Virtus uerbi Dei in Exorcismis.

aqua, oleum, cereus, herbæ, &c. Quamuis autem res huiusmodi nec loqui, nec resistere possunt per sese, ex natura & propria uirtute, Diabolo: possunt tamen ijs uti homines, ut sanctificatis per uerbum Dei
1. Tim. 4. et orationē (teste Apostolo) instrumentis, quibus per inuocationem tremendę Trinitatis & salutiferi nominis Iesu Christi, imperent Dęmonibus, ut exeāt, & nihil noceāt fraude & malitia sua, uel rebus ita sanctificatis, uel hominibus, quorum usibus in salutem res istæ applicantur. Nam & Dęmones credunt & contremiscunt, ut ait scriptura,
Iacob. 2.

Ait Secundo. *Criminatur præterea Aduersator Episcopus bonam creaturam Dei, tanquam á Diabolo obsessam. Si autem oleum obsessum esset, immundum foret etiam mundis. Quis enim libenter uesci aut uti uellet tali oleo, in quo radices egisset aut radicasset Diabolus?*

An Diabolus possit esse in oleo.

Respondeo. Fundat quidem improbus illusor iste, hoc Laicale argumentum suum super hoc uerbo Pauli ad Titum: Omnia munda
Ad Tit. 1. mundis. Sed nequiter omittit clausulam alteram statim subsequentem, quæ sic habet: Immundis autem nihil est mundum. Quamuis enim oleum ex creatione Dei, bona & mūda creatura est, iuxta illud
Genes. 1. scripturæ: Et uidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona. Tanta est tamen superbia & malitia Diaboli & omnium immundorum spirituū, qui à Deo apostatauerunt, & pessima æmulatione bonis Dei operibus aduersantur, ut omnia, si possent, corrumpere &
Mar. 5. immunda facere, atq; inuadere & occupare uellent. Quemadmodum constat ex Euangelio, ubi Christus ab uno homine (qui utiq; melior est, quàm uel centum aut mille greges porcorum. Iuxta illud
Matth. 16. uerbum Dei: Quid prodest homini, si lucretur mundum uniuersum, animæ uero suæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?) expulit totam legionem Dęmonū, qui deprecabantur eum, ut permitteret eos introire in porcos. Ait ergo textus Euangelij: Et concessit eis statim Iesus, & exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos, & magno impetu grex præcipitatus est in mare ad Duo millia, & suffocati sunt in mari. Si igitur tam cupide inuadunt immundi & maligni spiritus homines & iumenta ac pecora, ubicūq; eis hoc à Deo permittitur: quid mirū, si & oleum & cæteras res inanimatas intrare, & sua immunditia conspurcare in hominis detrimentū percupiunt? Pia itaq; & religiosa est Catho-

Benedictio cibi & potus.

licorum ab antiquo consuetudo, ut cibum & potum sumpturi, præmittant benedictionem per inuocationem diuini nominis, uti refert
Omel. 56. in Matth. Tom. 3. S. Chrysostomus, & adhuc hodie in Monasterijs præmitti solet hæc ex Psalmista benedictio: Oculi omnium in te sperant Domine, & tu
Psal. 144. das escam illorum in tempore opportuno: Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Gloria Patri & Filio, &c. Fuit hæc in tota Germania, ante Lutheri Diabolicam Tragœdiam, generalis

ralis omnium, non solum apud Principes & sacerdotes, uerum etiam apud Mercatores & omnem plebem Catholicam, laudabilis & pia consuetudo, sumendi cibum & potum, cum benedictione & gratiarum actione. Nam & de primis Christi discipulis legitur, quod sumpserint cibum cũ exultatione, et simplicitate cordis laudantes Deum. *Act. 2.* Et Paulus Colossensibus præcepit, ut omnia quæcunq; facerent in uerbo aut in opere, omnia in nómine Domini nostri Iesu Christi facerent, gratias agentes Deo & Patri per ipsum. *Coloss. 3.* At Lutheranis, qui omnem benedictionem, quantumuis piam & antiquam, irridẽt, contemnunt & abolent, merito timendum est illud Apostoli: Immundis autem nihil est mundum. Et sicut in Iudam Ischariotam cum buccella panis intincti introiuit Sathanas, ita & cum cibo & potu (quem neq; signo crucis muniunt, neq; per nomen Iesu Christi benedicunt, sed sicut porci ad haram, ita ipsi ad mensam sine benedictione & laude Dei irreligiose accedũt, & refecti sine gratiarũ actione recedunt) intret in corda eorum Sathanas, cũ uniuersis legionibus suis. In peccatis enim suis, omnibus porcis immundiores existũt, sicut dixit de illis suis discipulis Lutherus, qui per nomen & doctrinam eius in seditiones acti in tumultu rusticorum, misere occisi in æternum perierunt. Hæreticis omnia immũda sunt. *Ad Tit. 1.* *Ioan. 13.*

Ait Tertio.

Amplius extendit se ista adiuratio ad hoc, ut oleum istud operetur & efficiat, ut ij, qui eo inunguntur, carne & spiritu filij Dei fiant, & remissionem peccatorum recipiant, &c.

Respondeo hic, sicut supra de sale & aqua benedicta respondi. Hanc uirtutem non habere oleum ex se ipso, aut natura sua, sed ex consecratione & benedictione Episcopi, qui sanctificat illud per uerbum Dei & orationẽ. Si enim Isaac uere & efficaciter benedicere potuit Iacob, filio suo supplantatori fratris sui, ut is, qui ei benediceret, benedictus esset, licet ipse deceptus esset per errorem, dum pro Esau benediceret Iacob: Quanto magis potest Catholicus Episcopus, ad benedicendum et consecrandũ legitime ordinatus, efficaciter benedicere Chrisma & oleum sanctum, ut inde inuncti benedicantur & sanctificentur per omnipotentis Dei uirtutem, & inuocationẽ nominis Iesu Christi. Sicut ad Philippenses ait Apostolus: Omnia possum in eo, qui me confortat. Longe enim maior est Christus, quàm fuit Abraham aut Isaac, licet hoc non crederent increduli Iudæi. Quibus profecto longe peior, & magis incredulus est perfidus iste sacerdos, nomine Christianus, qui credit benedictionem Isaac, Episcopi autem benedictionẽ per nomen Christi & Dei factam non credit, sed irridet, criminatur & blasphemat. Quem tamen legisse arbitror, illud antiquum S. Fabiani Martyris & summi Pontificis testimonium, quod hic consecrandi ritus non sit nouum inuentũ hominum, aut particularis aliqua huius aut illius Ecclesiæ traditio: Sed ab ipso sit Christo et Apostolis

Sanctificatio Olei. *Genes. 27.* *Phil. 4.* *Ioan. 8.* Author quouis Iudæo magis incredulus. *Fab. Epist. 1.*

Apostolis eius, eorumq; successoribus institutus, & ad nos usq; continuata serie sanctè ac salubriter deriuatus, & in hanc usq; diem seruatus. Et ista (inquit) à sanctis Apostolis & eorum successoribus accepimus, uobisq; tenenda mandamus: Hæc S. Romana Ecclesia & Antiochena, à tempore Apostolorum custodit: Hæc Hierosolymorum & Ephesinorum tenet, in quibus Apostoli præsidentes hæc docuerunt, & uetus Chrisma incendi, & non amplius quàm uno anno uti permiserũt, atq; deinceps nouo frui & non ueteri, iubentes docuerunt. Hæc Fabianus Martyr, multo antiquior S. Sebastiano, licet uno eodemq; die ab Ecclesia eorum celebretur memoria. At si negauerit (ut negant nunc Caluinus, Bucerus, & consimiles hæretici) hanc Fabiani esse Epistolam, credant saltem Cornelij Papæ & Martyris (qui Fabiano proxime in cathedra Petri successit) uerba, quæ in historia Ecclesiastica recitat Eusebius, de effectu huius Sacramenti. Addit etiam hoc (inquit) quod idem ipse Nouatus, in iuuentute spiritu immundo uexatus sit: Et cum tempus aliquantum cõsumpsisset apud Exorcistas, ægritudinem incurrerit grauem, ita ut desperaretur, & quod iacens in lecto, pro necessitate perfusus sit, nec reliqua in eo, quæ Baptismũ sequi solent, solenniter impleta sunt, nec signaculo Chrismatis consummatus sit: Vnde nec Spiritum sanctum unquam potuerit promereri, &c. Quis igitur inter Christianos tam leuis, uæsanus & modicę fidei esse queat, ut iustius aut potius credendum esse censeat huic Irrisori, sacerdoti perfido & Trigamo, quàm sanctissimis istis Martyribus & Pontificibus? Certe non alius, quàm cui per hæresim omnia facta sunt immunda, luxta illud Apostoli: Infidelibus nihil est mundum. Ait Quarto.

Christi et Apostolorũ traditio de Chrismate.

Euseb. hist. Eccles. li. 6. c. 33.

Ad Tit. 1.

Atq; ita fit ex obsesso oleo nouus Dei filius, propitiator & saluator. Quis ergo uelit puerum suum permittere tali baptizari Baptismo, qui ista abominatione inquinatus est?

Respondeo, ut supra de sale & aqua. Sunt hæc annis plus quàm Viginti ab hoc Concionatore publice Laicis inculcata, & persuasa plurimis in lingua Teuthonica, qui fallaces Rhetoris et Sophistę huius argutias putant esse merum & uerum Euangelium, & nunc scriptis quoq; contra INTERIM fortius imprimuntur deceptis, & latius in orbem disperguntur, antequam ullum possit parari aut opponi ueritatis & antiquæ fidei Antidotum. Quid igitur boni sequi inde aut expectari potest, nisi nouum Cæsar in Maiestatem tuam populorum odium, & horrenda quæpiam seditio, aduersum te & omnes adiutores tuos, tanquam aduersus hostes (ut ipse dicit) Christi & Euangelij? Ita enim longo iam usu assuefacti sunt, ut Catholicorum scripta, quantumuis uera & scripturis confirmata, neq; legere neq; audire, ne uidere quidem dignantur, sed mox uiso titulo abijciunt,

Laici periculosè decepti.

Mores Lutheranæ plebis.

ijciunt, & contemptim Papistica uocant & Idolatrica. Quoniam uero eorum me miseret uehementer, & grauiora eis mala timeo, non possum deceptionibus & erroribus eorum non plurimum condolere uere & ex animo, quibus olim charus fui, & ante Lutherum eos uicissim charissimos habui. Non sunt igitur hæc abominabilia, aut post consecrationem facta immunda amplius, aut ab immundis spiritibus occupata aut conspurcata, multo minus obsessa, sed per uerbum Dei & orationem (ut ex Paulo iam sæpe dictum est) sanctificata, ut per uirtutem diuinæ benedictionis, & per imprecationem omnipotentis Dei filij, Iesu Christi, non solum sint sancta, sed etiam ex ijs inunctos sanctificent, & ab omni Dæmonum fraude & spurcitia emundent ac sanent: Non uirtute quidem suæ naturæ, sed per nomen eius, qui seipsum pro eis (ut ipse ait) sanctificauit, ut sint & ipsi sanctificati. Si enim in ueteri Testamento non solum oleũ, sed etiam panes, uasa, uestes & id genus multa, per benedictionẽ Iudaici Pontificis sanctificari potuerunt, ut patet ex plurimis non solum ueteris, sed etiã noui Testamenti scripturis: Cur quęso sanctificari non possint per Christianum Pontificem, qui benedicit ea non in suo, sed in Christi nomine & uirtute? Si enim cinis uitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, in cuius morte baptizantur & inunguntur Christiani? Tantum abest, ut ibi excludatur Christus aut saluator, sicut calumniatur & fingit infidelis Sophista.

Res sanctificatæ per uerbum.

Ioan. 17.
Exod. 30.
Leuit. 24.
Num. 19.
Heb. 9.
Rom. 6.
Galat. 3.

De Consecratione Olei Infirmorum, Caput III.

PRo nihilo habent isti Satellites Diaboli, & Ecclesiæ hostes immanissimi, tot animas misere seductorum hominũ ex hoc mundo, intra triginta iam annos, in hæresi transmisisse in Tartara ad æternos cruciatus, cũ contemptu huius Sacramenti, & multorũ aliorũ, cõtra consuetudinẽ religiosam maiorũ nostrorum, dummodo ipsi essent apud deceptos glorioſi: Pontifex uero Romanus, id est, Vicarius Christi, haberet pro Antichristo. Ita enim odiosum reddidit illum, tam crebris concionibus scandalosus Presbyter iste suis auditoribus, ut anno superiore dixerit una ex seductis, se ęqua mente ferre uelle, si Papa non esset peior Diabolo, sed æqualiter malus, & ad me ipsum unius filius adolescens, dixit ante annos Octo, se malle subesse Turcę, quàm Papę: Quin etiam de sacratissima Maiest. tua publice scribere ausus est iampridem Seductor iste, in hæc uerba. *Quod aũt Imperator Romanus dicitur, cum tamen Romam non possideat, nec illuc aspirare sine Papæ consensu audeat, factum est extrema nequitia serpentis, & eius uicarij, scilicet Papæ: Ob hoc ipsum, ut siquis*

Odium plebis in Ro. Pont.

Iniuriã in Ro. Imperat.

ex his iam declaratis oraculis, aliquid contra nequitiam & intolerabilem Dominationẽ Romanensium mutire auderet, uideretur etiam cõtra Imperatoriam Maiestatem dicere. Verũ res ipsa (inquit) iam satis euidens discrimen inter Imperatorem & Papam attulit, ut nihil periculi metuendum sit amplius.

Hæc ille, antequam in Maiest. tuam armata seditione insurrexerunt hostes Ecclesiæ, cõtra quos fida tulit Maiest. tuæ auxilia Papa, ut stulta & mendax fuerit huius cacati Prophetæ confidentia, qua promiserat, nihil amplius metuendum esse periculi: Euentus enim rei longe aliter habet. Necq; tamen desistit adhuc seditionum Incentor iste, tuo sub Imperio scribere & euulgare, non solũ in Papam, sed etiã in Maiestatem tuã: ut non obediatur uobis in ijs, quæ contra Ecclesiæ Catholicæ ritus & Sacramenta ab ipsis sunt seditiose in populos dispersa. Hæc dolenter refero Cæsar, quia timeo, ne maximo cum periculo plurimorum, paucis permittantur nunc tam impia et seditiosa contra INTERIM scripta in Germaniæ populos late diuulgare. Nam & de Sacramento Extremę unctionis & eius olei confectione, supra omnem Husitarum & Vuiclephitarum impietatem & barbariem, totam calumniose criminatur Ecclesiam. Sic enim ait.

Seductor plebis,

Vlterius sequitur unctio infirmorum, ubi orat Episcopus Deum, ut spiritum suum sanctum dignetur in oleum figere atq; coartare, in quo sunt omnes supra enumeratæ abominationes.

Vnctio Infirmorũ in scripturis fundata.

Respondeo breuiter, sicut meræ sunt calũniæ eius in superioribus, ita & hic sunt. Quis enim petit sic infigi & coartari hoc oleo Spiritũ sanctũ: Vt aũt sanctificetur uirtute Spiritus sancti, necq; impie petitur, nec contra scripturarũ exempla, necq; sine Apostolica traditione. De oleo enim, quo usi sunt in ueteri Testamento Pontifices, ita scripsit ex ore

Exod. 40. Domini Moyses. Omnia unctionis oleo consecrabis, ut sint sancta sanctorũ: applicabisq; Aaron & filios eius ad fores Tabernaculi testimonij, & lotos aqua indues sanctis uestibus, ut ministrent mihi, & unctio eorũ in sacerdotium sempiternũ proficiat. At nouũ Testamentum uetere longe perfectius est, ut supra ex Pauli epistola ad He

Heb. 7. bræos dictũ est, cuius & hæc ad Corinthios sunt uerba: Qui idoneos

2. Cor. 3. nos fecit ministros noui Testamenti, non litera, sed spiritu. Quod si ministratio damnationis in gloria est, multo magis abũdat ministerium iustitiæ in gloria. Impie igitur & inique contẽnitur ab hæreticis nostrorũ in nouo Testamẽto Pontificũ Consecratio olei, ad sanctificandũ fideles pia eius applicatione & usu. Superaddit aliam calumniam his uerbis.

Eo amplior est hic (inquit) abominatio, quod Episcopus facere uult hoc oleum spiritalem unctionem, cum non aliam unctionem spiritalem habeat aut sciat sancta Christianitas, quám ipsummet Deum Spiritũ sanctum.

Respondeo,

Respondeo, Necꝙ nos ꝙquiparamus oleum consecratum Spiritui sancto, sed asserimus eũ propria uirtute agere sanctificationẽ & sanitatem. Oleum aũt dicimus sanctificandi & sanandi instrumentũ & signũ externũ esse, per Episcopi consecrationẽ efficax factũ. Id quod Euãgelium ex facto comprobat Apostolorũ. Refert enim Marcus, quod Apostoli Dęmonia multa eiiciebant, et ungebant oleo multos ægros, & sanabantur. Et multæ piæ significationes Olei cõsecrati, referuntur à sanctis patribus in iure Canonico, in Decretis et Decretalibus, quas seditiosi isti sub te Imperatore Potentissimo, non solũ reiicere & scurriliter irridere, sed etiam ignibus tradere ausi fuerunt, & scelus hoc etiã in literas referre nõ erubuerũt. Quid igitur nõ audeant tã superbi Vnicornes isti, si poterũt ista omnia impune facere? Addit præterea aliam rursus calumniam de inuocatione sanctorũ, quæ more solito à Catholicis fieri solet, circa applicationem Sacramenti extremæ Vnctionis. Et ait.

Oleũ Spiritus sancti signum.

De. conse. dist. 5. per totum. Extra. de sacra unct. c. 2.

Vltra hæc omnia legitur etiam pristina Letania circa hanc Vnctionem, ubi mortui sancti nominatim inuocantur, ad orandum pro infirmo. Inter quos sane nominãtur aliqui, quorũ ualde incerta est sanctitas: et nonnulli, qui nunquam nati fuerunt, sed á malignis nebulombus conficti.

Respondeo. Nihil impietatis habet sanctorũ in cœlis, qui cũ Christo uiuũt, inuocatio, ut antea ad longũ probaui & cõtra Bullingerũ Heluetium, et contra Phil. Melanthonẽ in quibusdã Philippicis. Cęterũ, longe doctissime ac efficacissime cõfutauit hanc in sanctos Dei iniuriam, ante annos M. C. et amplius, cõtra ueterẽ Vigilãtij hęresim S. Hieronymus, ut non sit opus hic diutius aut prolixius hac de re cum Sophista hoc disceptare, qui dicit tantũ, & nulla ratione aut scriptura probat, quod aliquorũ, qui nominatim inuocãtur, sanctitas incerta sit: quorundã etiam uita, an unquam fuerint in rerũ natura. Et infra latius eandem refricat disceptationem, ubi forsitan accuratius ei respondebitur, si tantũ à laboribus, quibus nunc occupor uehementius magisꝙ necessario, uacare mihi licuerit. Repetitam item iam sæpe adiicit calumniam de Idolatria, dicens *Atꝙ ita oportet Christũ propitiatorem cedere, et peccata remitti non per eius passionẽ mortemꝙ & sanguinis effusionẽ, sed per linitionẽ fœtidi olei: Vt sanctũ oleũ loco Dei Idolũ fiat.* Respondeo, ut antea. Nemo Catholicorũ ita facit aut loquitur, nemo Christũ negat uel propitiatorem uel saluatorẽ. Nemo eũ excludit, aut Idolum pro eo colit, aut in loco eius statuit. Merę sunt igitur calũniæ, quæ neꝙ scripturis neꝙ rationibus ullis aut exemplis probari possunt: Quare opus non est, multa ulterius uerba uel scribere cęcis uel obstinatis, & sua sponte surdis et incredulis opponere, uel sine spe resipiscẽtiæ inaniter effundare, iuxta ea quę Esaiam admonet ipse Dominus. Nã & Sapiens ait. Vbi auditus non est, non effundas sermonem. Audacior itaꝙ factus, Iacobi Apostoli Epistolam, quæ

Inuocatio Sanctorũ.

Calumnia de Idolatria

Esa. 6. Eccles. 32.

Canonica dicitur, superbissima censura ita è sacris Bibliis, uelut è Senatu reiicit, longe atrocius, quàm fecit Magister eius Lutherus (qui eam ad alias collatam, uelut stramineam censuit) ut ausit eam uelut prophanam & impiam iudicare. Ait enim.

Epistola Iacobi, quæ consilium dat, ut si quis infirmatur, Presbyteros inducant ad infirmũ, qui eum oleo ungant, est ab antiquo, & adhuc quanto diutius, tanto magis in dubio, an sit alicuius Apostoli: Immo, longe potius in suspitione, quod non solum nullius sit Apostoli, sed talis uiri, qui in ueritate coram oculis Dei uerus Christianus non fuerit.

Impia suspitio de Epistola S. Iacobi.

Respondeo. Hoc dubium et ista suspitio, nequaq; est de hac Epistola apud Catholicos, cũ liber S. Hieronymi de Illustribus uiris, & Prologus in hanc Epistolã præmissus, & uerba ipsius textus in Epistola Euangelicis et Apostolicis doctrinis consonantia, atq; authores celeberrimi apud antiquos, ut sunt Egesippus & Clemẽs, & Iosephus insignis historicus, hãc impiã de S. Iacobo & eius Epistola suspitionem aut dubitationẽ certissimis argumentis cõfutent. Super hæc omnia, Lutherani ipsi Ratisponæ confessi fuerũt, nemini certius competere de scripturis iudicium, quàm ipsimet Ecclesiæ. Cũ ergo illa hactenus semper censuerit, hanc Epistolam esse Canonicã S. Iacobi Apostoli, non debet nos turbare huius Apostatici Presbyteri noua cẽsura, quę tantũ dicit, et sine omni probatione temere iudicat, nec aliũ authorẽ indicare potest. At S. Augustinus in quodã Sermone citat hanc Iacobi Epistolã, in hæc uerba: Quoties aliqua infirmitas superuenerit, corpus & sanguinem Christi ille qui ægrotat accipiat, oleumq; benedictum humiliter à Presbyteris fidelibus petat, & inde corpusculum suũ ungat. Vt illud quod scriptũ est impleatur in eo: Infirmatur quis in uobis, &c.

De reliquarũ rerum Benedictionibus, Cap. IIII.

Generalis calumnia.



Onsimiles scribit irrisiones & calumnias loquax nugator iste, de reliquis quoq; Ecclesię circa benedictiones ritibus antiquis, huic uni præcipue innitens calũniæ, quod fiat iniuria Christo, in cuius locum reponãtur huiusmodi res, super quibus benedictiones fiũt, & per hoc Idola cõstituãtur. At iam sæpe dictũ est, non ita fieri à nobis, sed per inuocationẽ Dei omnipotentis, et per nomen Iesu Christi benedici ac sanctificari eas res, principaliter à Deo, ministerialiter ab Episcopo aut sacerdote. Iuxta

1. Tim. 4. clara hæc Apostoli uerba: Sanctificantur enim per uerbũ Dei & orationẽ. Sanctificant, inquam, non ut ipsę res benedictæ Idola aut Diis fiãt, ut calũniatur nequiter et impie Sophista, Laicorũ deceptor fraudulẽtus, & nouæ seditionis auidus: sed ut sint uisibilia & sensibus nostris patentia instrumẽta quędã diuinę uirtutis et operationis, quam petimus & rogamus fieri à Deo per Dominũ nostrũ Iesum Christũ, per quẽ fecit et sæcula, cœlũ & terram, & omnia quæ in eis sunt. Quę

obsecro

obsecro est ibi species aut apparētia ullius abusus, superstitionis aut Idolatrię? Verbi gratia, In festo Purificationis benedicitur cera, et laudatur ibi Deus in operibus suis, atq; rogat per Christū, ut sanctificet illos cereos, et faciat eos nobis proficere ad salutē corporis & animę. Quid hic obstat quęso, ne sanctificētur sic per uerbū Dei & orationē? Sic n. orat sacerdos mox in principio laudabilis illius processionis: Exaudi quæsumus Dñe plebem tuā, et quę extrinsecus annua tribuis deuotione uenerari, interius assequi gratiæ tuę luce cōcede, per Dñm nostrū, etc. Item, Benedic Dñe Iesu Christe hāc creaturā ceræ supplicātibus nobis, et infunde ei per uirtutē sanctę crucis tuæ benedictionē cœlestē, ut qui eā ad repellandas tenebras humano generi tribuisti, talem signaculo sanctæ crucis fortitudinē et benedictionē accipiat, ut in quibuscūq; locis accēsa siue posita fuerit, discedat Diabolus & cōtremiscat, et fugiat pallidus cū omnibus ministris suis de habitationibus illis, in quibus fideles habitāt, etc. Quid hic uidet Momus iste infidelis, quod iuste reprehēdere queat? An quia Christum rogamus, ut benedicat? Vbi est hoc in scripturis prohibitū? An nō potest benedicere omnipotens? Quoties cōpertū est uirtute S. Crucis effugari Diabolum? Nunquid falso dictū fuit cœlitus olim Constantino Magno, de ostenso signo crucis, In hoc uince? *Ait aūt calumniator id in scripturis non haberi, nec á Deo commissum aut mandatū nobis esse, ideoq; id sine fide fieri et peccatū esse. Iuxta illud Apostoli: Quod ex fide non est, peccatū est.* Nobis aūt nisi de Christo et eius Crucis uirtute, longe uerior & fortior esset fides, cp̄ omnibus est Lutheranis, minime sic rogaremus: Neq; necessarium existimamus, omnia benedictionū uerba in forma, ut dicūtur, in scripturis haberi. Vbi enim Deus hoc māḋat? Nūquid nihil benedixerūt Apostoli & discipuli Domini, antequàm Euangelia & Epistolę Pauli & aliorū fuerunt scripta? At longe aliud testātur scripta Dionysij, Clementis & Ignatij. Vbi aūt scripta habetur illa benedictio, de qua Paulus ait ad Corinthios: Quomodo dicet Amen super tuam benedictionē? Nobis quidē ad omnes benedictionis usitatę formas, sufficit Authoritas et cōsuetudo Ecclesię, ut docēt antiqui Doctores, Tertullianus, Ambrosius, Augustinꝰ, etc. Possumus tamen contra pernicaces & infideles hæreticos, obijcere etiam scripturæ quosdam locos generaliter, pro huiusmodi ritibus & sanctis benedictionibus, quæ fidelibus sufficiant. Vt est illud Psalmistæ: Inuoca me, & honorificabis me. Et illud Pauli sæpe iam dictum: Sanctificatur per uerbum Dei & orationem. Et illud Petri: Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge et ambula. Si enim nomen Christi, à Petro inuocatum, tam cito curauit claudum ex utero matris: Cur non possit per sacerdotis benedictionem & orationem inuocatum, rebus rite benedictis, aliquid uirtutis & sanctificationis specialis, ultra naturæ propriæ uirtutem, impendere? Legimus in Tobia, quod etiam exentorati

Benedictio cereorū in festo Purificationis.

Euseb. in hist. lib. 9. c. 9.

Rom. 14.

Falsa ratio contra benedictiones.

1. Cor. 14.

Psal. 49.

1. Tim. 4.

Act. 3.

piscis cor & iecur, ab Angelo traditũ iuniori Tobiæ, uirtutẽ habuerit
Tob. 6. extricãdi & effugãdi omne genus Dęmoniorũ. Nũquid minus pote-
Cur nihil rit nomen Christi, super cereos suppliciter & in recta fide inuocatũ: Si
possunt Benedictiones hæreticorum. apud hęreticos nihil potest, non culpa est Christi, sed illorũ, quia fidem non habent, ut dictum est supra. Sunt profecto & aliæ multæ in benedictionibus ceræ orationes deuotæ ac piæ, quæ non nisi impijs displicere possunt, & quas Rhetores hi noui, quantumuis uerborũ ornatus studiosi, elegantiores facere non possent. Sed breuitatis gratia, ex sola ad Deũ præfatione unam hic recitabo exempli causa particulam: Vere dignum & iustũ est (inquit sacerdos) nos munificentiæ tuæ indefessas semper grates persoluere, quæ inter cæteras mũdanę conditionis creaturas, de liquore aëreo, per apum efficaciam, cerei preciosam fieri uoluisti substantiam: ut tibi inde debiti honoris famulatus existeret, et nobis
Benedictio cinerum. usus necessarius proueniret, &c. Repręhendit & cineris benedictionem nouus hic rituũ Ecclesię Censor, cum non ignoret ex Euangelio,
Matth. 11. id esse signũ pœnitentię, sicut ipse dicit Dominus: Incredulis ciuitatibus exprobrans, quod non egerint pœnitentiam, uisis tot eius uirtutibus, quia si factæ fuissent in Tyro & Sydone, olim in cilicio & cinere pœ-
Noui Christiani sine operibus pœnitẽtię. nitentiã egissent. At noui hi Christiani neq; cilicio indigent nec cinere, nec alia pœnitentiæ forma, aut satisfactione, licet multa de his legerint exempla tum scripturæ, tum ueterũ Ecclesiæ Doctorũ, quia fingunt sibi Euangelium & Paulũ dicere, omnia pœnitentię & satisfactionis opera esse superflua & peccata, eò quod solus Christus semel in cruce pro nobis omnibus satisfecerit. Sed dissimulãt nequiter pœnitentiã Corinthij
2. Cor. 7. cuiusdam, quam Paulus refert. Et illud Petri: Christus pro nobis passus
1. Pet. 2. est, ut sequamur uestigia eius. Ipse aũt nequaquam egit, ut agunt nunc peccatores Lutherani, qui ieiunia, cilicia & cineris aspersionẽ, deridentes in crapulosis comessationibus et ebrietatibus suis, ac insuetis et scandalosis carniũ deuorationibus: uane iactãtes satisfactionẽ Christi, & nihil
Luc. 21. curãtes de admonitione eius, ne grauent corda sua crapula et ebrietate.
Rom. 13. Neq; de hoc Pauli dicto: Vt abijciamus opera tenebrarũ, et induamur arma lucis, nõ in comessationibus et ebrietatibus, sed induamur Dñm
Benedictio palmarum. Iesum Christũ, & carnis curã ne faciamus. In benedictione palmarũ multa deridet atq; criminatur hic homo peccator, quę pia sunt et sancta, in Christi honorẽ & memoriã instituta. In quorũ abolitione ostendũt hæretici, q̃ ingrati sint omnibus erga nos homines beneficijs Christi, quæ ritibus illis ad memoriam nobis reuocantur. Quemadmodum ex ultimis duabus, quę ibi à sacerdote dicũtur, orationibus dinosci potest.
Orationes. Ita enim precatur. Omnipotens sempiterne Deus, qui tuũ unigenitum à Iericho, monteq; oliueti ad Hierusalẽ direxisti, cui turba mirabiliter occurrit, alij uestimenta sua sternẽtes, alij ramos de arboribus cędentes oliuarũ, alij palmas manibus suis deferentes: te humiliter deprecamur, ut hæc germina arborum ita sanctificare digneris, ut hæc loca, ubi deportata

portata fuerint, sanctificata efficiantur, quo omnis iniquitas seu illusio Dæmonũ abscedat, & tua nos semper dextera protegere dignetur: Per eundẽ Dominũ nostrũ, &c. Item, Omnipotens sempiterne Deus, qui Dominũ nostrũ Iesum Christũ hodierna die super pullum asinæ sedere, & turbas populorũ uestimenta uel ramos arborũ in uia sternere, & Osanna cantare in laudem ipsius docuisti: Da quęsumus, ut illorũ innocentiam imitari possimus, & eorũ meritũ consequi mereamur, Per eundẽ Dominũ nostrũ Iesum Christũ, &c. Hæc pia uerba et facta Ecclesię, criminatur et in ridiculũ apud nouos Christianos suos uertit, sophisticis fucis impiæ loquacitatis suę Calumniator iste: Cui supra, quantum attinet ad palmarum & frondium benedictionem, satis responsum puto, quod Paulus ea sanctificari dixit per uerbum Dei & orationem. Quod autem improbissima calumnia nos irridet apud Laicos suos, & dicit: Calumnia de adoratione asinę

Nos hic adorare ligneum asinũ, etiam gestibus externis, non solum pueri, sed etiam ipsi sacerdotes, ubi absunt pueri, Probare profecto nũquam poterit, etiamsi dementata plebs omnia temere credat illi. Si enim pia plebs illa Hebræorũ, non ipsi asinæ aut eius pullo ramos palmarũ et uestimenta sua substrauit in honorẽ, sed potius ipsi Christo in ea sedenti: Quis rogo tam maligne poterit serio de nobis suspicari, quod asinæ ligneæ talẽ exhibeamus potius honorẽ, quàm ipsi Christo, per ligneã Imaginẽ ita significato: Neq; ignorat Cõcionator iste, nos nõ ipsam adorare in mente nostra, siue aureã siue ligneã Imaginẽ asinę, sed eũ potius, qui super eam sedit. Sicut aũt in legibus in crimen læsæ Maiest. imputat uiro, qui ulla afficit iniuria statuã aut imaginẽ Cęsaris aut uxoris eius: Et econtra Asylum quoddam fuit ei, qui ad statuã aut Imaginem Cęsaris confugit, non in honorem ipsius Imaginis, sed in honorem potius ipsiusmet Cæsaris, quẽ statua repræsentat: Ita & in Ecclesia honor aut iniuria, nõ ipsi Imagini, sed Christo potius, quem Imago repręsentat, imputari credit, sicut ostendi iã pridẽ in eo libro, quẽ de Christi et sanctorũ Imaginibus ędidi in Bullingerũ. Non immerito igitur in crimen læsæ Maiest. diuinę, imputari potest huic calumniatori hoc de lignea asina contra pios improperiũ, quo non uereretur toti Ecclesiæ per calumniam improperare Idolatriam, & sic ex Christo Idolũ facere. Hoc idem Idolatriæ scelus, imputat nobis idem Calumniator iste, quod in sancta Parasceue memoriam passionis Christi, qui in cruce nos redemit, & Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis (ut ait Paulus) deleuit, ueneramur, adorando & osculando Imaginem Crucifixi. Idq; ait fieri admodum scandalose, non solum in gestibus, sed etiam in uerbis canticorum. Et loquitur ista superbe ex proprio capite, sine omni scripturarum testimonio, addens proterue: *Magis proprie hanc esse Idolatriam, cuiuscunq; fuerit Imago quæ colitur, quàm si falsi adorentur dij.* Crimen læsæ Maiest.

Adoratio Crucifixi in Parasceue. *Coloss. 2.*

Bone Deus, quo abijt è Germania prisca Maiorũ nostrorũ religio, & sub tã potente ac religioso Imperatore timor et Maiestas Imperij, & respectus mandatorũ & Edictorũ Cęsareæ Maiest. Decet ne, obsecro, fieri talia in ea ciuitate Imperij, quę hactenus multis sæculis Ro. Imperatorũ obseruãtissima semper fuit? An ignoramus, q̃ grauiter offenderint, & turpiter confusi fuerint Iconoclastæ ueteres, impij illi Imperatores Cõstãtinopolitani, Leo III. et IIII. Constãtinꝰ V. et VI. Quorũ de Imaginibus error & impia sentẽtia publice cõdẽnata fuit, ante DCC. annos in Vniuersali Synodo septima Niceæ, à CCCL. Episcopis, & Francfordię in alia Synodo tẽporibus Caroli Magni. Est ne uni huic Blateroni, sine omni uerbo Dei ita friuole nuganti, & totius Ecclesię antiquũ hũc adorandi et osculandi Crucifixi ritũ, uelut Idolatriã blasphemanti, plus credendũ, q̃ tot antiquis Cõcilijs totiq; Ecclesiæ, tam Orientali q̃ Occidentali, quam nõ frustra colũnam et basim ueritatis uocat Apostolus? Destruũt nũc Imagines Crucifixi et in sacris locis, et in publicis uijs Pseudochristiani diuersarũ sectarum, perinde ac si Iudęi nati essent: Cũ ex Eusebio & Basilio Magno constet, eas in honore fuisse ante M CC. annos, sic tamẽ, ut honor ille in Prototypũ referretur, non in substantiã aut materiam ipsarũ Imaginũ. Cõsimili cẽsura propriæ temeritatis ea quoq; reprobat, quæ Sabbato sancto aguntur in Ecclesia ritu antiquissimo, circa benedictionẽ cerei Paschalis, & fontis Baptismalis, oĩa Gentili & Iudaica incredulitate irridens & blasphemãs atq; calũnians: Ad quæ iam sępe ex scripturis responsum est supra. Certe quouis lapide durior atq; frigidior sit in corde suo Christianus, quẽ non moueãt, & ad deuotionis atq; charitatis affectũ non accẽdant solennia uerba, quibus benedicit cereus, à S. Ambrosio aut à Zozymo Papa (ut fertur) cõposita, in laudẽ Dei omnipotentis, & filij eius Dñi nostri Iesu Christi. Qui pro nobis (inquit) ęterno patri Adæ debitum soluit, & ueteris piaculi cautionẽ pio cruore detersit. Hęc sunt n. festa Paschalia, in quibus uerus ille agnus occiditur, eiusq; sanguine postes cõsecrantur. Itẽ, Hæc nox est, in qua destructis uinculis mortis, Christus ab inferis uictor ascẽdit: Nihil n. nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset. O mira circa nos tuę pietatis dignatio, ò inęstimabilis dilectio charitatis, ut seruũ redimeres, filiũ tradidisti. Itẽ, In huius igitur noctis gratia, susci pe sancte pater Incensi huius sacrificium uespertinũ, quod tibi in hac cerei oblatione solenni, per ministrorũ manus, de operibus apũ, sacrosancta reddit Ecclesia. Sed iam colũnæ huius prędonia nouimus, quam in honorẽ Dei rutilãs ignis accẽdit, etc. Quid hic rogo, superstitionis aut Idolatrię uideri queat, in tã deuotis & affectuosis Dei Patris et Christi redẽptoris nostri laudibus, quas ipsa etiã adiuuat melodica dulcedine pronunciatio? Sic & in benedictione fontis Baptismalis, inter multas alias Dei laudes, in hęc uerba orãs prorũpit sacerdos: Respice Dñe in faciẽ Ecclesiæ tuæ, et multiplica in ea regenerationes tuas, qui gratiæ tuæ affluentis

Iconoclastę ueteres.

Iconoclastæ noui.

Basil. de Spiritu sancto. c. 27

Benedictio cerei Paschalis.

Verba pijssima illius benedictionis.

Benedictio fontis Baptismalis.

affluentis impetu, lætificas ciuitatem tuã, fontemq; Baptiſmatis apéris, toto orbe terrarũ gentibus innouandis, ut tuæ Maieſt. Imperio ſumat unigeniti tui gratiã de Spiritu ſancto. Et infra: Sit fons uiuus, aqua regenerãs, unda purificans, ut omnes hoc lauacro ſalutifero diluendi, operante in eius Spiritu ſancto, perfectę purgationis indulgentiã cõſequant. Vnde benedico te creatura aqua, per Deũ uiuum, per Deũ uerũ, per Deum ſanctũ, qui te in principio uerbo ſeparauit ab arida, cuius ſpiritus ſuper te ferabatur, &c. Quis igitur non deteſtetur impias et procaces irriſiones & calũnias increduli huius Sophiſtæ: qui pro ſtultitia habet, nos ſic alloqui mutã creaturã, per Deum omnipotentẽ religioſe benedictam, cũ clare dicat Chriſtus: Omnia poſsibilia ſunt credenti. Si n. ad uerbũ Heliſæi Prophetę potuit aqua Iordanis mũdare hominẽ gentilem à lepra corporis, & per eiuſdem Prophetę uerbũ corpus Giezi, famuli eius ſic infici lepra, ut mox ab eo egreſſus, quaſi nix leproſus eſſet: Quomodo credamus, nihil poſſe uerbũ Dei et nomen Ieſu Chriſti, & uirtutẽ ſpiritus ſancti, quo ſic benedicitur et ſanctificat à ſacerdote Chriſtiano aqua Baptiſmi? Si non audebãt ludæi dicere, Ioannis Baptiſmum non eſſe de cœlo, quomodo audet Deſertor iſte Chriſtianiſmi, Baptiſmũ Chriſti ſic benedictũ, ſtultitiam aut Idolatriã blaſphemare? Quis noſtrũ ſic alligat cereo (ut illuſor iſte dicit) Spiritũ ſanctũ, ut cogatur quaſi corporaliter cũ ipſo cereo in aquã deſcendere: cũ aperte dicat ſacerdos orãs Deũ, & hęc uerba præmittens: Tu has ſimplices aquas tuo ore benedicito, ut ſint purificandis mentibus efficaces: Deſcendat in hãc plenitudinẽ fontis uirtus ſpiritus tui. Iſte aũt infidelis, & uerbo Dei reuera in corde ſuo nihil credens, audet aquã ſic benedictã, dicere Idolatricam & ſuperſtitioſam, ſimul cũ cereo, eamq; aquam, cruce Chriſmatis & olei ſancti ſignatã, uelut Idolatria & ſuperſtitione infectam, non eſſe dignam aut idoneã, in qua infantes Chriſtianorũ baptizẽtur. Addit & alias plæraſq; calũnias improbius & impudentius, cõtra apertam Euangelij ueritatẽ, quàm fecit olim Rapſaces cõtra pium Regẽ Ezechiam. Dicit enim Dñs: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Itẽ, Quodcũq; petieritis Patrẽ in nomine meo, hoc faciã, ut glorificet Pater in Filio. Itẽ, Omnia quęcũq; petieritis in oratione, credentes accipietis. Viderint ergo noui Chriſtiani iſti, quidnã gratiæ accipiãt uel ipſi uel infantes eorũ, qui tali cũ cõtemptu aquã baptiſmalem reijciũt, & benedictione tã pia et ab Apoſtolis uſq; in Eccleſia ſemper obſeruata ſanctificatam, per inuocationem Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, uelut conſpurcatã, abominantur & execrantur. Quis Chriſtianorũ unq; ita fecit aut docuit antea in uniuerſo mũdo? Leuiores quidẽ ſunt Calũniatoris huius iniuriæ et irriſiones, quas effutit impie et audacter, tuo ſub Imperio Cęſar, in inſigni ciuitate Imperiali, in graue populorũ ſcandalũ, atq; in odiũ & contemptũ publicę Ordinationis tuę, de reliquis benedictionib9, quę fiũt uel ſuper cibos

Irriſio impia.

Mar. 9.
4. Reg. 5.

Matth. 21.

Calumnia de Baptiſmo.

Rapſaces nouus.

4. Reg. 19.
Ioan. 16.
Ioan. 14.
Matth. 21.

Benedictiones ciborũ, uini, herbarum.

in

in die Paschæ, uel super herbas in festo Assūptionis Mariæ, uel super uinū in festo S. Ioannis Euangelistæ: Omnes tamē innituntur perfidæ huic incredulitati, contra Pauli (de quo uanissime iactitant se contra Ecclesiam) authoritatem istam, quod sanctificantur illa per uerbum Dei & orationem. Et contra multiplices Christi in Euangelio promissiones, quæ credentibus ab eo tam manifeste sunt factæ, sicut iam sæpe dictum est supra. Merito igitur mirandum ac dolendum est, quod inter Germanos, gentem antea religiosissimam, & diuino cultui Ecclesiæq; ritibus & obseruationibus deditissimam, huiusmodi Concionatoribus impijs et superbis, ac sola linguarū peritia et uerborum elegantia magis quàm solida rerum scientia inflatis, atq; in uita insuper scandalosis, ac per leges & Canones reprehensibilibus, ac palam rebellibus ac seditiosis contra omnem Ordinariam potestatem & superioritatem suam: tantum fidei & authoritatis habetur à multis, ut contra omnes Ecclesiæ ritus blaterantibus ex meris proprij capitis adinuentionibus, temere credatur contra Papam & Imperatorem, contra Concilia, contra Patres, contra omnia iura & consuetudines, ut stulte putent multi, omnes ante nos errasse tot sæculis in Ecclesia Christianos, & blasphemos hos criminatores solos nunc tandem accepisse nouū Euangelium et spiritum ueritatis, cum sint reuera in tota uita & doctrina moribusq; suis, à uero Euangelio & spiritu Dei longe alienissimi, & uerissime omnium, qui unquam fuerunt, hæreticorum uitijs oppleti ac superbe inflati: Qui iam toties rerum contrario euentu, uanissimis suis promissionibus populos deceperunt, & in seditiones ac rebelliones summa cum confusione & clade atq; calamitate concitauerunt ac impulerunt, non solum miseros rusticos, sed etiam multos Nobiles, atq; etiam Principes & ciuitates.

1. Tim. 4.

Cōmiseratio erga Germanos ita seductos.

De Sacramento Confirmationis, Caput V.

Calumnia.

ADducit Censor iste contra hoc Sacramentum has accusationes. Primo,

Quod criminetur ipso facto Baptismum, quasi baptizatus non accipiat Spiritum sanctum in Baptismo, sed primum in Confirmatione.

Sed mera calumnia est. Nemo enim Catholicorum ita scripsit, sensit aut dixit: Id quod clarissime uidere licet ex Canonibus summorum Pontificum & Martyrum, Vrbani, Eusebij et Melchiadis, in libro Decretorum. Ita enim ait Vrbanus: Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inueniantur. Inter multa uero, quæ pulchre docet contra hanc calumniam Melchiades, hæc quoq;

De conse. dist. 5. c. 1. 2. 3. 4.

quoq; supperaddit uerba: In Baptismo (inquit) regeneramur ad uitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam: In Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur. Et quamuis continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, uicturis tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia. Rabanus Archiepiscopus olim Moguntinus, sic ait: Signatur baptizatus cum Chrismate in summitate capitis per sacerdotem, per Pontificem uero in fronte: Vt in priori unctione significetur super ipsum Spiritus sancti descensio, ad habitationem Deo consecrandam: In secunda quoq;, ut eiusdem Spiritus sancti septiformis gratia, cum omni plenitudine sanctitatis & scientiæ & uirtutis, uenire in hominem declaretur. Hæc pia & antiqua contemnuntur, et contumaciter omittuntur impie apud nouas sectas in utroq; Sacramento, maximo cum animarum periculo, ac totius uitæ infantium detrimento. Secundo,

De *institutione Cleri. lib. 1. c. 30.*

Quod Episcopus ibi seipsum faciat Deum, quia dicit se dare posse Spiritum sancti, sacerdos autem non dare, sed accipere eum possit: Dare autem Spiritum sanctum, solius Dei sit.

Quomodo Episcopus dat Spiritum sanctum.

Ad hoc brevis est responsio, quod Episcopus eum dat, non ut Deus aut causa principalis, sed ut minister Dei, uirtute à Deo per ordinationem & consecrationem sibi collata. Altiori enim modo ungitur et consecratur Episcopus, quàm simplex sacerdos aut Presbyter. Quade re traditum habemus exemplum in actibus Apostolorum, quando per manus impositionē tradiderunt Petrus & Ioannes Spiritum sanctum credentibus in Samaria, & Paulus in Epheso. Tertio,

Act. 8. & 19.

Quod ungamus pueros Idolatrico illo oleo,

Nos quidem ungimus eos oleo sancto & Chrismate, sed ubi scriptum est, quod Idolatricum sit illud oleum? Quarto,

Quod Spiritum sanctum ita alligemus & captiuum demus illi oleo, ut cogatur aduenire, quando oleum allinitur.

Respondeo, Spiritus sanctus Deus est omnipotens, & à nemine cogi potest. Sed fidelis est Deus (inquit Apostolus) qui promissa & ordinationes suas non fallit: si negauerimus eum, & ille negabit nos. Si non credimus, ille fidelis permanet, seipsum negare non potest. Ipsemet ita Ecclesiam docuit, non potest mentiri. Non enim mutabilis est ut homo, sicut sacrę docent literæ.

2. Tim. 2.

Num. 23. Iac. 1.

Ipse enim & hanc, ut omnem aliam ueritatem docuit Ecclesiam, & ipso opere probauit id ipsum in Samaria (ut dictum est) & Epheso. Futiles igitur & nimis scurriles sunt istæ huius Pseudoapostoli calumniæ, sine omni uerbo Dei confictæ.

De

De Confeßione, Cap. VI.

DE Confeßione tres magnos (ut ait) abuſus adducit, & nobis obijcit atq; improperat. Quorum primum dicit eſſe,

Quod conſcientiæ hominũ ſub ſalutis periculo aſtringuntur confiteri omnia peccata, ſibi nota, unâ cum omnibus circunſtantijs, quæ peccatum grauius reddunt.

Confiteri occulta peccata.

Hoc aũt dicit eſſe & ſcandaloſum Confeſſori (ut uocant) & confitenti periculoſum atq; etiam impoſsibile. At hæc libenter audiunt, credunt & cõprobant Laici, qui de ſuis actibus erubeſcũt corã hominibus, et facere non erubuerũt in conſpectu Dei. At non ita fecit mulier, quę erat in ciuitate peccatrix, ſed corã conuiuantibus procidit ad pedes Ieſu. Nec illi ſic fecerũt in Epheſo apud Paulũ, qui credentes uenie bant, confitentes & annũciantes actus ſuos. Nec impie dixit nobis S. Iacobus: Confitemini alterutrũ peccata ueſtra. Ait enim Sapiens in Prouerbijs: Iuſtus prior accuſator eſt ſui. Item, Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: Qui autem confeſſus fuerit & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. Quid, rogo, his uerbis uel ſanius uel apertius dici queat? Sed cum non placeant Laicis, noua doctrinæ luce ab hoc nouo Euangeliſta Trigamo illuminatis, inclinant potius aures & oculos ſuos ad falſas eius adulationes. De quibus ait Pſalmiſta: Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua. Non habet itaq; opus munire hanc doctrinam ſuam (quæ prurit auribus) ſacræ ſcripturæ locis, quia ultro credunt eam libenter ij, qui dicunt: Loquimini nobis placentia, uidete nobis errores. Nolunt enim intelligere, ut bene agerent, ſed ſua ſponte ſcandaloſum ſequuntur eum, cuius uerba iniquitas ſunt & dolus. Nunc enim tempus illud eſt in foribus, cum ſanam doctrinam Eccleſiæ & ſanctorum patrum non ſuſtinent, ſed ad ſua deſideria coaceruant ſibi magiſtros prurientes auribus. Itaq; libenter credunt, occultorum confeſsionem eſſe periculoſam & impoſsibilem: Quanquam id nullo uerbo Dei aut ſcripturæ probetur. Conſtat autem ex facto & antiqua tot ſæculorum conſuetudine, talem confeſsionem fœliciter obſeruatam fuiſſe, ideo non eſſe impoſsibilem, quoniam adhuc hodie obſeruatur ubiq; apud Catholicos. Chriſtus enim dixit diſcipulis ſuis, non ſolum hanc particulam (quam noui nunc Chriſtiani ſolam attendunt) Quorum ſolueritis aut remiſeritis peccata (ſicut imperioſe nunc à ſuis falſis aut Apoſtaticis ſacerdotibus abſolutionem petunt Lutherani) ſed addit etiam partem alteram, nempe: Quorum ligaueritis aut retinueritis peccata. Quomodo autem liget aut retineat peccata ſacerdos, de quibus nihil ei dicit confitens peccator? Ipſe autem per ſeſe ſcire non poteſt, quia non eſt Deus, qui cor intuetur, & ſcrutari nouit corda & renes.

Luc. 7.
Act. 19.
Iacob. 5.
Prouerb. 18. & 28.
Pſal. 118.
Plebs Lutherana libenter credit ſuis.
Eſa. 30.
Pſal. 35.
2. Tim. 4.
Confeſsio occultorũ non eſt impoſsibilis.
Matth. 18.
Ioan. 20.
Cur neceſsarium eſt recte confiteri.
1. Reg. 16.
Hiere. 17.

renes. Hęc certa & nota sunt omnibus, atq; in scripturis bene fundata, sed ijs Laicis nõ placent, qui falso putãt, sola recordatione sui Baptismi aut sumptione Sacramẽti (ut Lutherani docent) statim omnia peccata sibi remitti. Alterum ait esse abusum superbus hic Laicorum deceptor, *Quod pro peccatis perpetratis Confitenti imponitur aliqua pœnitentia agenda, aut ulla iniungitur satisfactio.* At nihil est certius tam in scripturis, quàm in sanctis patribus, Canonibusq; et Concilijs hac Ecclesiæ consuetudine: Quod facile credet quisquis legerit eiusmodi scripta, siue in Euangelio et Paulo, siue in antiquissimis patrum Epistolis, ut Dionysij & Cypriani, siue in Canonibus Nicæni, Ancyratani, Laodiceni, aut Elibertani Cõcilij. Certe Christus ipse docet agere pœnitentiã in cinere & cilicio, & aperte dicit: Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Et Paulus: Sicut exhibuistis (inquit) membra uestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nũc exhibete membra uestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Item, Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Hæc & id genus multa de pœnitentia agenda, tacet et dissimulat Concionator iste, & loquitur placentia populo, cui opera pœnitentiæ dicit neq; necessaria, neq; utilia ad salutem esse, sed sufficere solam fidem. Quam sane deceptionem grauiter repræhendit Deus per Ezechielem Prophetam: Tales enim Pseudoprophetę decipiunt populum, dicentes, Pax pax, et non est pax: ædificant parietem, & liniunt eum luto absq; paleis. Væ igitur illis, qui consuunt sic puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite uniuersæ ætatis ad capiendas animas. Tertium dicit esse abusum, *Quod liber, qui Agenda dicitur, nullum doceat sacerdotem rectam absolutionem, sed quod optent duntaxat generaliter Confitenti peccatorum remissionem: Id quod quilibet etiam facere queat rusticus, mulier, aut puer.*

Agere pœnitentiã et satisfactionem. Matth. 11. Luc. 13. Rom. 6. 2. Cor. 7. Deceptores Laicorum. Ezech. 13.

Hic toto (ut dicitur) cœlo errat tota Lutheranorũ & Zuinglianorum secta, de potestate Clauiũ, quæ per ordinationem et manus impositionem traditur Presbyteris, iuxta antiquam Ecclesiæ obseruationem: De qua Paulus non raro mentionem fecit. Hæ autem sectæ odiosissime impugnant, & impudentissime negant clauiũ potestatem, simul cum uniuerso noui Testamenti sacerdotio, ut patet ex ijs, quæ hac de re scripsi iam olim in Lutherũ, Bullingerũ, Musculum, Bucerum, &c. Faciuntq; nouos sibi sacerdotes absq; legitima Episcoporũ ordinatione: Quemadmodũ fecit olim apud Iudæos in schismate regni rex impius Hieroboam, in Dan & Bethel, cõtra usitatum sacerdotium filiorũ Aaron. Proinde nullam prorsus habent isti noui sectarũ sacerdotes potestatẽ uel absoluẽdi uel cõsecrandi, sed horrẽda

Potestas clauium concessa sacerdotibus. 1. Tim. 4. 2. Tim. 1. 3. Re. 12. et 13.

Sacerdotes in sectis non absoluunt nec conficiunt.

populorum deceptione ficte omnia fiunt apud eos, hypocritica simulatione per immanissimã Idolatriam, qua in peccatis remanent ficte absoluti Laici, & pro uenerabili Sacramento corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, datur miseris falso consecratus panis & uinũ, in quo nec Trãssubstantiatio est (ut ipsimet fatent) nec ulla oblatio, sed indigna et nefaria in schismate & incredulitate cõmunicatio falsi Sacramẽti, quo sibi iudiciũ mãducant et bibũt, nõ habentes neq; dijudicantes corpus Domini, sed remanẽtes in peccatis, & incredulitatis atq; inobediẽtiæ & rebellionis suæ erroribus, iam iudicati sunt (ut ait Ioannes) & ira Dei manet super eos inæternũ (proh dolor) si non resipiscunt. Nostri aũt sacerdotes, quando Confitentẽ absoluũt, non optant solum aut precantur ei remissionem peccatorũ, sicut rusticus mulierue aut puer facere potest, sed etiam potestate clauiũ, quæ ipsis legitima ordinatione per manus impositionẽ, ab Episcopo Catholico tradita est, efficaciter absoluũt eũ ab omnibus peccatis confessis, & non sponte aut fraudulenter tacitis aut oblitis. Sicut enim in baptizando dicunt: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ita & in absoluendo dicunt: Ego authoritate sacerdotali, qua fungor, licet indignus, absoluo te ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti. Vade & noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Ioan. 3.

Ioan. 5.

De sacerdotum Ordine & Consecratione, Caput VII.

PErfidus & Apostaticus sacerdos iste, qui Catholico ritu in Presbyterũ ordinatus fuit: & per hoc ueram consecrandi Sacramenti & offerendi potestatẽ consecutus fuit, licet ea non sit usus amplius, postquam per hæresim & polygamiam sceleste ditatus est: Ecclesiæ antiquos ritus in ordinandis & consecrandis sacerdotibus arguit in multis, præcipue uero in his punctis. Primo, *Quod sacerdotes ibi coguntur & obligantur uitare statum Coniugalem, Quod Paulus dicat esse doctrinam Dæmoniorum.*

Paulus multis rationibus approbauit Cælibatum.

At mentitur de Paulo Apostolo Calumniator iste. Nusquã enim prohibet aut reprehendit Ecclesiæ antiquam hanc, de seruando Cælibatu in sacerdotali ordine, consuetudinẽ, sed longe uerius comprobauit & doctrina & exemplo uitæ in ipso facto. Vbi enim duxit ipse uxorem? Docuit aũt manifeste Cælibatum his ad Corinthios rationibus. Prima, Nolite (inquit ad coniugatos) fraudare inuicem, nisi forte ex cõsensu ad tempus, ut uacetis orationi. Hinc autem infert S. Ambrosius, cũ sit sacerdoti semper uacãdũ orationi, nunq; debet uxorem ducere. Secunda, Hoc aũt dico (inquit Paulus) secundum indulgentiam, non secundum imperium: Volo aũt omnes uos homines esse

1. Cor. 7.

esse sicut me ipsum, sed unusquisq; proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius uero sic. Dicat ergo nobis hic, si potest, Trigamus aut Tetragamus sacerdos iste, ubinam Paulus Trigamus fuerit, sicut ipse summo cum scandalo ac scelere esse non erubescit, cũ audiat Paulum dicere: Volo aũt omnes uos homines esse sicut meipsum. Et quid est, quod ait de coniugio Corinthijs. Hoc aũt dico secundũ indulgentiam, non secundum imperium? Tertia. Quod si non se continent (inquit) nubãt: melius est enim nubere, quàm uri. Quibus quæso hoc dicit? Nunquid sacerdotibus iam ordinatis & Cælibatum ex consuetudine ordine ipso professis, aut Monachis propria sponte uoto castitatis addictis & obligatis? At hisce dicit alibi, quod damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerũt. Non hisce igitur, qui propria sponte uouerunt & ad continentiam sunt obligati, permittit nubere, et primam fidem irritam facere: sed alijs qui libertatem nubendi habent. Nec uri significat hic quamcũq; carnis tentationem aut pruritũ. Qualem etiam Paulus ipse passus est, quem stimulum uocat & angelum Sathanæ: sed eam carnis ustionẽ & flammam intelligit hic, quæ in pugna carnis contra spiritũ prævalet, & uoluntatẽ uictam in actus cõsensum rapit. Ait enim Dominus ipse: Spiritus quidẽ prompt9 est, caro aũt infirma. Et ipse Paulus ad Galatas: Caro cõcupiscit aduersus spiritum, et spiritus aduersus carnem: Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Quarta. Vnusquisq; (inquit) in qua uocatione uocatus est, in ea permaneat. Verbi gratia, Vocatus est maritus in coniugio, maneat ergo in eo, & ab uxore sua non discedat: Vocatus est sacerdos in Cælibatu, in eo permaneat, & non fiat relicto perfide Cælibatu maritus: multo minus fiat Digamus aut Trigamus, sicut factus est scandalosissime popularis & carnalis iste Concionator, qui non ambulat spiritu, sed desideria carnis perficit in libidine & auaritia, & re ipsa atq; in facto suo deridet sanctissima Pauli monita, quæ habentur de spiritu contra carnem. Qualia sane & hæc ad Romanos ab eo scripta sunt: Nos non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt; Qui uero secundum spiritum, quę spiritus sunt sentiunt. Nam prudentia carnis mors est, prudentia aũt spiritus uita & pax: Quoniam sapientia carnis inimica est Deo. Legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest: Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in uobis. Si quis autem spiritũ Christi non habet, hic non est eius. Ergo fratres (inquit) debitores sumus, non carni, ut secundũ carnem uiuamus. Si enim secundum carnẽ uixeritis, moriemini: Si aũt spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Quicunq; enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Hæc ibi Paulus, ad quæ sane omnia in facto suo surdas præbet aures, auare & libidi-

1. Tim. 5.

Vri quid est. 2. Cor. 12.

Matth. 26. Galat. 5.

1. Cor. 7.

Presbyter contra omnia iura Trigamus.

Rom. 8.

Virginitas apta sacerdotio.

noſe coniugatus iſte ſacerdos. Quinta. De uirginibus (ait) præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Deo, ut ſim fidelis. Exiſtimo enim hoc bonum eſſe, propter inſtantem neceſsitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe. Ecce Paulus, ut ſit fidelis, uirginitatem conſulit, quia exiſtimat hoc eſſe bonum homini ſic eſſe: At non præcipit, quia non omnes capiunt (ut ait ipſe Dominus) hoc uerbum, ſed quibus datum eſt. Conſulit tamen hoc bonum utercꝫ. Dominus enim ait: Qui poteſt capere, capiat. Paulus uero ſic: Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem. Vnde ait Epiphanius, quod uirginitas ſit in Eccleſia quaſi crepido & fundamentum, quæ exercetur & ſeruatur à multis & glorificatur. Sequitur autem ad eandem uirginitatem ſolitudo, apud plærosqꝫ utriuſqꝫ ſexus ſolitariam uitam degentes. Poſt hanc continentia, ſuper eundem curſum fundata. Vertex autem horum omnium, aut mater (ut ita dicam) genitrix, eſt ſanctum Sacerdotium. Ex uirginibus quidem ut plurimum procedens: ſi uero non ex uirginibus, at ex ſolitariam uitam degentibus, &c. Hæc igitur Chriſti, Pauli & Epiphanĩ caſtitatis & continentiæ conſilia, nemo niſi impius & Pſeudochriſtianus, iure dixerit eſſe doctrinam Dæmoniorum, ut falſo & impie dicit iſte prophanus ſacerdos & maritus. Sexta. Vlterius ait Apoſtolus: Præterit enim figura huius mundi, Volo autem uos ſine ſollicitudine eſſe. Qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo: Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diuiſus eſt. Ecce quomodo Paulus tot rationibus ſuadet continentiam, & interdicit ſacerdotibus, ne uxores ducant, ſicut obſeruat fideliter hæc eius cõſilia pia mater Eccleſia, in ordinatione ſacerdotum, perpetua conſuetudine, ultra Mille iam & Quingentos annos: quæ & uerbis repræhendere, & factis præuaricari audet Trigamus iſte ſcortator (qui uere aut iure maritus dici aut eſſe nõ poteſt) per meras calumnias, abſqꝫ omni ſcripturæ authoritate, in tuo, Cæſar, Imperio. Paulus autem doctrinam Dæmoniorũ uocat, ſi quis prohibeat uniuerſaliter nubere, ſicut Tatiani & quidam alĩ docuerũt hæretici, qui Chriſtianis prohibuerunt nubere, quaſi nemini inter Chriſtianos coniugium inire liceat. Eccleſia autem non ſic prohibet omnibus, ſed ſacerdotibus tantũ & Monachis, alĩſque uoto aut ordine ad continentiam & Cælibatũ obligatis. Hæc prolixius quàm intendebam, proſequutus ſum religioſe Imperator, propter ſcandali huius frequentiam, dum ſic nubunt nũc paſsim per omnem fere Saxoniam, præſertim in ciuitatibus Imperĩ, ſacerdotes & monachi, contra omnem Eccleſiæ conſtitutionem & conſuetudinem, ſine omni ueterũ (de quibus ſe falſo iactitant) Chriſti fidelium exemplo. In reliquis autem impiæ repræhenſionis punctis, quę Momus iſte adducit, breuius reſpõdebo. In ſecũdo igitur

1. Cor. 7.

Matth. 19.

Epiph. contra hæreſes lib. 3. Tom. 2. circa finem.

1. Cor. 7.

repræhendit,

reprehendit, *Quod sacerdotes nostri ordinantur ad faciendã in Missa oblationem pro uiuis & mortuis: Atq; per hoc confirmantur Missæ pro defunctis & Purgatorium.* At nos alibi iam pridem contra alios sectarum complices, & nuper ex Dionysio Areopagita, contra Phil. Melanthonem probauimus, Missam pro defunctis in Ecclesia semper fuisse, etiam temporibus Apostolorum. Respondeat igitur prius ad ea Reprehensor iste, et non calumnietur aut neget manifestissima ac uetustissima compertæ ueritatis instituta Christianorũ. In Tertio reprehendit, *Quod nostri sacerdotes consecrato (quod calumniose Idolatricum uocat) unguntur oleo.* At iam sæpe responsum est supra, oleum istud per uerbum Dei & orationem esse, teste Paulo, sanctificatum. Cuius in sacris literis plurima habemus ex ueteri Testamẽto exempla & figuras, de cõsecratis & unctis sacerdotibus Domini in Moyse & Prophetis, ne possit Calumnitor iste probabiliter dicere, nouum aut humanum esse hoc Ecclesiæ inuentũ. Aperte enim dicit Paulus Apostolus: Quæcunq; scripta sunt, ad nostrã doctrinã scripta sunt. Item, Hæc omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionẽ nostrã, in quos fines sæculorũ deuenerunt. Taceo de optimis Olei significationibus & mysteriis, quæ in Decretis sanctorũ patrũ, & Decretalibus Ro. Pontificũ, præsertim Innocentij Tertij, doctissimi Pontificis referuntur. Nec ullus est in tota scriptura locus, qui prohibeat aut reprehendat huiusmodi unctionem, sicut temere facit et impie Calumniator iste, qui abnegat impie, quæ pie ab Episcopo in ipsiusmet ordinatione & consecratione olim facta sunt, & propter Characterem indelebilem (quem sero nunc negat, ab ipso aũt S. Augustino iam olim affirmatum & assertum) eradi non possunt. Facta enim infecta per nullam potentiam aut artẽ fieri possunt. In Quarto, *Reprehendit Inuocationem mortuorum (ut contemptim uocat) sanctorum, quæ in ordinatione fieri solet.* Sed loquitur sine scripturis, quæ eam nusquam prohibent, & nos iam sæpe eam ex scripturis & sanctis patribus asseruimus, & contra complices eius atq; etiam contra Zuinglianos abunde probauimus. De qua illi mihi hactenus nihil responderunt. Et infra contra eandem loquaciter argumentatur, sicut paulo ante fecit Melanthon, cui iam dudum responsum est. In Quinto *Reprehendit, quod inungũtur sacerdotibus dicendæ quotidie horæ Canonicæ. Quia non sit possibile, quod ultra eas demurmuratas, aliquis appetitum habeat legendi aut studendi. Ad hæc, quod perdant per eas optimum diei tempus & horas.* At negant Christus & Paulus orando perdi tempus & horas inutiliter & incassum. Ait quippe ipse Dominus: Quoniam oportet semper orare, & non deficere. Et Paulus ad Romanos: Sine intermissione memoriam uestri facio semper in orationibus meis. Item ad Thessalonicenses: Semper gaudete (inquit)

Vnctio sacerdotum.

Rom. 15.

1. Cor. 10.

Dist. 69. c. Quoniam. Itẽ dist. 23. c. prohibete. Extra. de sacra unctione. c. 1. Augu. contra Parmeli. 2. c. 13.

Obligati ad horas Canonicas sacerdotes.

Luc. 18. Rom. 1.

1. Thess. 5.

sine intermissione orate, in omnibus gratias agite: Hæc est enim uoluntas Dei in Christo Iesu in omnibus uobis. Non intelligũtur huiusmodi uerba Christi & Pauli cõmode, ut ad literam sine intermissione oremus: sicut ea intellexerũt antiqui hæretici Euchitæ. Sed ut quotidie persoluamus horas Canonicas, ne eas intermittamus. Iuxta illud Psalmistę: Septies in die laudem dixi. Item, Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Quod autem delicatus & uxorius iste sacerdos ait, non esse possibile, ut aliquis post persolutas horas Canonicas, appetitũ habeat legendi aut studendi, falsum est. Videmus enim quàm multa & magna sane doctrinæ suæ opera indefesso studio elucubrauerint plærique sancti patres, ut Augustinus, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus: Et permulti doctores Scholastici, uelut Thomas, Albertus, Bonauentura, &c. Quos utique quotidie persoluisse horas Canonicas, satis manifeste constat, ex religiosa eorum conuersatione atq; timore Dei. Ego sane, qui heu nimium frigidus sum in deuotione & cultu Dei, oculisq; debilis, ac uarijs senectæ incommodis grauatus: quamuis laboribus multis & diuersis implicitus, præsertim in scribendis & ædendis contra hæreticos libris: nollẽ tamen desidiose aut sponte, ullo die horas consuetas, atq; etiam horas de Domina & de S. Cruce, una cum accessu & recessu (ut uocant) altaris omittere. Quis ergo suspicetur de sanctissimis patribus talem orandi negligentiam, ut horas omitterent Canonicas, qui procul dubio alias quoq; non paucas orationes dicere soliti fuerunt, sicut grauissimi uiri, Paulinus de S. Ambrosio, Sulpitius Seuerus de S. Martino, alijq; de alijs, ueridica relatione testati sunt.

Euchitæ.

Psal. 118.

De oblatione sacerdotum in Missa,
Caput VIII.

DE hac re petulantissime per contemptum irridet & scurratur sacerdos iste abnegatus & Apostata, longe nimirũ sceleratius, quàm facere posset ullus Mamaluchus aut Turca: Proinde non uidetur mihi uel necessarium uel operæ precium, procacibus eius calumnijs & irrisionibus opponere operoso studio scripturas aut rationes. Nam et ipse nudas et ludicras, ad excitandum peruersis & fide uacuis leues & inconditos cachinnos, proponit argutias et similitudines, quas apud ueros Christianos recitare, confutare est. Ait ergo.

Calũniæ in sacerdotes.

Nouum esse figmentũ, quod ab initio mundi usq; nunquam fuerit auditum, quàm hoc anno 1548. Augustæ, nempe, quod omnes homines gratiam Dei & uirtutem atq; fructum æterni sacrificij in cruce peracti, per Papistici sacerdotis confictum sacrificium debeant consequi, & ad se trahere.

Addit:

Addit: *Hanc quidem ſententiam ſæpe à nobis repeti, ſed ne uno quidem ſcripturæ uerbo probari aut oſtendi.*

Addit & hanc calumniam:

Nos nullum habere fundamẽtum melius, quàm mentiri contra ſcriptũrã, quàm falſificare dicta patrũ, quàm noua et friuola effingere cõmenta.

Et in riſum atq; opprobrium noſtri, apud Laicos ſuos ludicram affingit hanc ſimilitudinem.

Quaſi plantauerit Deus Pater arborem uitæ, Chriſtum ſaluatorem noſtrũ, in cœleſti Paradyſo ad dexterã ſuã, ſed nos huius arboris poma conſequi non poſſe, niſi ſacrificans ſacerdos (quem contemptibiliter Teuthonice, Opferpfaf, agnominat) ea decerpat, ac inde ad nos deportet, atq; pro pecunia uendat.

Quid opus eſt, quæſo, ad has contra ſacerdotes hoſtiliter confictas malignitates prolixe reſpondere? Laici eius rident, & Apoſtatæ huic contra ſacerdotes omnia credunt, ac noſtra legere contemnũt: Sicut crediderũt olim Pagani Apoſtatæ Iuliano, quicquid contra Chriſtianos ingenioſe atq; diſerte ſcripſit. Cuius calumnias operoſe ac prolixe cõfutauit poſt multos annos S. Cyrillus, Doctiſsimus Alexandrię Patriarcha: Interea tamen ille ſcriptis ſuis occupauit & peruertit, et in Gentilium erroribus confirmauit, plurimorũ corda Paganorũ. Sic & Aman iſte noſter ac impius Apoſtata, ita præoccupat nouo hoc contra INTERIM ſcripto ſuo, ſubuerſorũ iampridem crebris eius per tot annos concionibus Laicorũ corda, ſenſuſq; omnes effaſcinat (ſicut Galatis olim contigiſſe querebatur Paulus) ut neq; aperta libidinis & auaritiæ uitia ſcandaloſamq; uitam eius cõſyderent, neq; techinas & calumnias eius animaduertant. Vt non minus uere quàm dolenter, cũ Paulo ipſis dicere poſsimus: O inſenſati Galatę, quis uos faſcinauit non obedire ueritati? Ante quorũ oculos Chriſtus Ieſus proſcriptus eſt, & in uobis crucifixus. An non eſt ita? Proh dolor ita eſt, & iam diu ita fuit. Ita enim proſcriptus eſt ante oculos eorũ Chriſtus Ieſus, ut neq; patiãtur eũ in Miſſa uel offerri Deo patri, uel more priſtino eleuari, et in compunctionẽ cordis, aut in gratiarũ actionem et laudẽ ipſius deuoto (ut olim) populo à ſacrificante ſacerdote oſtendi: neq; permittant eũ uel in Eccleſiarũ Ciboriis uenerabiliter more maiorum ſeruari, uel in proceſsione aut circuitu deuote, accenſis in honorem eius Cereis, circunferri, uel per plateas ad infirmos deportari: neq; credant eũ ſubſtantialiter in uenerabili Sacramento corpore et ſanguine per Trãſſubſtantiationẽ (quam negãt et blaſphemãt) adeſſe: neq; uerbis conſecrationis per os ſacerdotis cõfici aut offerri. Cumq; in hęreſi et ſchiſmate cõſtituti, eũ per gratiam ueramq; fidem & charitatem adeſſe non credant, miror equidem, ſi non ſit totus et per omnia ſimpliciter atq; ueriſsime, ante oculos eorum proſcriptus.

Iulianus Imp. Apoſtata.

Galat. 3.

Effaſcinatę plebes.

Quandoquidem & Imagines eius siue Crucifixi siue nati, aut passi aut resurgentis, non æquis oculis intuentur, quas Concionator iste in scelus & Idolatriam imputat, si uenerabiliter inspiciantur.

Missa, cruentæ oblationis commemoratio est.

Ne quis autem suspicetur illusionibus supra istis commemoratis inesse aliquid ueri, opponam eis breuiter aliquot scripturæ testimonia, quibus earum falsitas conuincatur. Certe Christus ipse iubet ita fieri, dicens: Hoc facite in meam commemorationem. Quemadmodum & mulieris pium comprobauit factum, murmurantibus discipulis dicens inter cætera sic: Amen dico uobis, Vbicunq; prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur, & quod hæc fecit in memoriam eius. Quod autem hæc memoria fieri debeat in altari per sacerdotem, in commemorationem cruentæ illius oblationis, quæ à Christo in cruce semel peracta est per mortem, Paulus ad Corinthios apertius declarat, ubi commemorationem hanc de annuncianda morte Domini interpretatur, quæ semel facta est. Et adhuc apertius declarat hoc ipsum in epistola ad Hebræos, sic dicens: Christus per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Item, Non enim in manufactis sanctis introiuit Iesus exemplaria uerorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc uultui Dei pro nobis. Cruenta igitur oblatione, oblatus est semel in cruce: Incruenta autem offertur quotidie in altari, in memoriam illius cruentæ. Vnde & incruenta uirtutem accipit. Nec mirum, una enim eadēq; substantia est, quę & in cruce oblata fuit, & in altari quotidie offertur. Nam Iesus Christus heri & hodie, ipse & in sæcula. Et merito à sacerdote peragitur potius, quàm à Laicis huiusmodi oblatio, sicut clarissime testatur ac docet Paulus in eadem epistola. Est enim minister Dei, ex hominibus assumptus, & pro hominibus legitima ordinatione & consecratione constitutus, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. Nec ullum est in tota scriptura uerbum, quod hoc ei prohibeat. Si ergo Deus non prohibet, quis est Apostata iste, ut prohibendi ius aut facultatem habeat? & supra Deum per hoc seipsum constituat, quasi nouus Deus, cui obedire in hoc debeant Papa, Imperator, Concilia & uniuersa Ecclesia Christi, ne permittant sacerdoti, in altari pro hominibus offerre.

Matth. 26.

1. Cor. 11.

Heb. 9.

Heb. 13.

Heb. 5.

De

De Inuocatione sanctorum, Cap. IX.

DE hac iam pridem alijs respondi eiusdem farinæ hæreticis, & nouissime Phil. Melanthoni nuper in consimili contra INTERIM scripto, ad eadem fere argumẽta, quæ hic repetuntur. Quid enim scit aut habet superbus Concionator iste, quod ex Vuittenberga non acceperit? Quoniam uero popularior est, et ad Laicos fallẽdos & subuertẽdos, præsertim plebeios & sedentarios artifices, accõmodatior, repetenda mihi sunt succincte hic eius argumenta. Ait igitur primo sic. *Inuocatio sanctorũ hũc primo habet defectum, quod eam Deus non præcepit, nec ullum de ea uerbum manifestauit, ideo ex fide procedere non potest. Quare peccatum est, & acceptari non debet.* Respondeo. Esto, quod eam Deus non præceperit, sicut iste dicit: Sed tñ dignus interim est Argumentator iste Lutherico illo responso, quod Carolstadio datum fuit. Dic Christicida & Animicida, ubi prohibuit eã Deus? Quomodo audes prohibere, quod non prohibuit Deus? Esto prẽterea, quod eam non præceperit ad literam, an non potuit eam præcipere per Spiritũ sanctũ, sine literali uerbo per diuinũ instinctũ? Non enim uos estis (inquit Christus ad discipulos suos) q̃ loquimini, sed Spiritus Patris uestri, qui loquitur in uobis. Multa insuper alia per anni circulũ obseruat Ecclesia, quę scripta nõ sunt in nouo Testamẽto, ut sunt dies festi, dies Ieiuniorũ, dies Aduẽtus, Quadragesima, Natalis Dñi, Pascha, Pentecoste, etc. Quid ergo? Nunquid hęc oĩa abolenda et reiẽcienda sunt, uelut peccata aut superstitiosa instituta, quia in sacris literis non sunt scripta? Vbi scripta habeť hęc impiorũ Ecclesię hostiũ sententia? Certe Lutherus ipse, cũ de Anabaptistis scriberet, longe aliã ꝓtulit sentẽtiã, Nempe, ut nõ minus factis et operibus Dei, q̃ eius uerbis aut scripturis credẽdũ sit: nec abolendũ esse in Ecclesia quic q̃, quod ille abolere nõ prẽcipit, eò, q̃ non omnia quę fieri aut seruari debent, scripta habeantur. Sicut igitur de Baptismo paruulorũ concludit ille, ita potest pari ratione cõcludi de Inuocatione sanctorũ, etiam secundũ Lutheranos, quod aboleri nõ debeat, quia Deus eã non permisisset tam diu in Ecclesia fieri, si eã reprobaret aut habere nollet: Quia nõ minus facta, q̃ uerba Dei attẽdenda sint. Nos quidẽ Lutheri (quẽ propter doctrinę suę inconstantiã, iam olim Septicipitẽ dixi & ostẽdi) uerbis aut sentẽtijs nõ innitimur aut cõfidimus, sed firmiter credimus Ecclesię, & eius authoritati reuerẽter cedimus atq̃ deferimus, uelut colũnę & fundamẽto ueritatis, sicut Christus in Euangelio, et Paulus in Epistolis suis prẽcipit nobis. Et cõfidenter dicimus Anathema omnibus, qui nobis aliud Euangeliũ prędicant prẽter id quod accepimus, etiãsi Angelus de cœlo id attentaret. Quãto magis Anathema nobis esse debet, iste ter perfidus ueri sacerdotij abnegator ac Trigamus Apostata: Cuius stylus & lingua hęresim, uita & caro superbiã auaritiãq̃ & libidinem ubiq̃ spirant. Ait secundo.

Luth. contra cœlest. prophetas lib. 1.

Matth. 10.

Multa credimus et tenemus, quæ non sunt scripta explicite.

Luth. contra Anabaptistas.

1. Tim. 3. Matth. 18. 2. Tess. 2. Galat. 1.

Non

Nõ sciũt sancti nostras cogitationes et orationes: Hoc n. solius Dei est.

1.Reg.16. Respondeo. Solius quidem Dei est, intueri cor, & scrutari renes &
Hier.17. corda, ut supra quoq; dictum est: Nulla tamen scriptura dicit, Deum
Matth.11. nõ posse reuelare sanctis suis cogitationes & orationes nostras. Sicut
ergo nemo nouit Filium nisi Pater, neq; Patrẽ quis nouit nisi Filius,
& cui uoluerit Filius reuelare: Ita & Pater aut Filius in cœlo poterit
sanctis suis reuelare cogitationes & orationes nostras, laudes itẽ &
uenerationes atq; inuocationes nostras, siue per seipsum, siue per An-
gelos suos, siue per alios in cœlo sanctos suos: ut nõ abscidatur omne
Commercium charitatis inter Christianos in cœlo et in terra. prorsus cõmercium (sicut facere conantur nouæ nũc sectæ) inter san-
ctos in cœlo & fideles in terra. Lex enim charitatis & amicitiæ hoc
non permittit. Cum sint igitur unius & eiusdem Ecclesiæ piæ matris
filij, unius & eiusdẽ corporis Christi membra, licet melius & beatius
habeant in triumphãte, quàm in militante Ecclesia: Requirit utiq; lex
charitatis (quæ teste Paulo per mortẽ non excidit) ut non sit schisma
1.Co.12.et 13. in corpore (non mea, sed Pauli sunt hęc uerba) sed in id ipsum pro in-
uicem solicita sint mẽbra. Et si quid patitur unũ membrũ, compatian
tur omnia membra: Siue gloriatur unũ membrũ, congaudeãt omnia
mẽbra. Ita & Petrus ad fideles Christi dixit: Certus sum, quod uelox
2.Pet.1. est depositio tabernaculi mei, secundũ quod et Dominus noster Iesus
Christus significauit mihi: Dabo aũt operã, et frequenter habere uos
post obitũ meũ, ut horũ omnium memoriã faciatis. Immanissimus
est igitur contra scripturã & omnem charitatẽ iste sectarũ error, quo
sic præcidunt omnia commercia & officia charitatis & piæ in Christo
coniunctionis, inter unius & eiusdẽ corporis Christi membra, quasi
inter ea, extincta per mortẽ charitate, schisma sit, & talis diuisio, qua-
lem in Euangelio dicit inter beatos et damnatos pater Abraham. Sic
Luc.16. enim ait ad diuitẽ, qui sepultus erat in inferno: In his omnibus inter
nos & uos Chaos magnũ firmatũ est, ut hi qui uolunt hinc trãsire ad
uos, nõ possint, neq; inde huc trãsmeare. Ait Tertio. *Si scirent oratio-*
Sophisticũ argumentum *nes nostras, scirẽt quoq; uoluntatẽ Dei, quid facere aut omittere uelit: Id-*
circo nõ possunt pro nobis orare. Si n. uult facere, non opus est ut orẽt ipsi.
Respondeo. Neq; in scripturis, neq; in Rhetorica aut Dialectica, ha-
betur indoctũ & improbũ hoc argumentũ. Qua enim consequentia
necessario sequitur, ut sciant sancti in cœlo protinus uolũtatem Dei,
quid facere uelit aut nolit, si sciãt orationes nostras? Quis enim nouit
Esa.40. sensum Domini, aut quis Consiliarius eius fuit? inquit post Prophetã
Rom.11. Apostolus. Nunquid propter indoctũ hoc argumentũ superbi hære-
tici, eradi debent ex scriptura hæc Apostoli uerba: O altitudo diuitia-
rũ, sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incõprehensibilia sunt iudicia eius,
& inuestigabiles uiæ eius? Alij aũt Lutherani Augustę in Colloquio
non multo prudentius concedebant nobis, sanctos quidem pro no-
bis orare posse, sed nos eos inuocare non debere: Quoniam & hoc
falsum est, & in scripturis nusquam habetur. Ait Quarto.

Si

Si debeant ſancti per ſua merita exaudiri, forent mediatores inter Deum & homines: Hoc autem ſoli Chriſto conuenit. Eſſent & dij, quia mediatorem inter Deum & homines, oportet ipſum quoq; Deum eſſe et hominem. At hoc quoq; tenderet ad horrẽdiſſimam Idolatriam, et abnegationem Mediatoris. Reſpondeo primum quidem, quod iſte argumẽtator hic loquitur ſine ſcripturis ex proprio capite, ideo ex propria ipſius ſententia reiici ac reprobari poteſt. Deinde, quod unus quidem mediator eſt Chriſtus per redemptionem, ut ait Apoſtolus, quia Deus & homo eſt, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus: At nulla prohibet ſcriptura, plures eſſe mediatores inter Deum & homines per interceſsionem, ad impetrandum à Deo gratiam, aut ad placandum iram Dei, & ad deprecandum & auertendum diuinæ ultionis iudicium. Sic Abraham fuit mediator inter Deũ & Quinq; ciuitates Sodomitarũ, quem & Deus exaudire uolebat, ſi uel decem iuſti inter tot peccatores reperiri potuiſſent. Sic Moyſes mediator erat inter Deũ & filios Iſraël, non ſolum ut internuncius, qui cauſas & neceſsitates populi referret ad Deũ, & Dei reſponſa atq; præcepta ad populum, ſed etiam ut interceſſor, placator ac deprecator: Adeo quidem ualidus, ut ira Dei ſæpe in uniuerſum populum deſeuiſſet, niſi Moyſes pro illis interceſsiſſet. Iratus itaq; aliquando dixit ad eũ Deus: Cerno, quod populus iſte durę ceruicis ſit: dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleã eos, faciamq; te in gentẽ magnã. Itaq; ueraciter dixit ipſemet Moyſes ad populum: Ego ſequeſter & medius fui inter Deũ & uos. Sic & frater eius Aaron ſummus ſacerdos, cũ deſeuiret in populum ira Dei, obtulit Thymiama, et ſtans inter mortuos, ac uiuẽtes, pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſauit. Sic & poſt mortẽ ſuam orauerunt & interceſſerunt efficaciter & ualide, Onias ſacerdos & Hieremias Propheta Dei. Ad quẽ ſane, propter nimios exceſſus populi ſub Manaſſe rege Idolatra, iratus & inexorabilis factus Deus, dixit: Si ſteterint Moyſes & Samuel corã me, nõ eſt anima mea ad populũ. Eiice illos à facie mea, & egrediãtur. Sic et Paulus in naufragij periculo pro nauigantibus intercedens, à Deo exauditus fuit. Dixit enim ei Angelus illa nocte: Ne timeas Paule, Cæſari te oportet aſsiſtere, & ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecũ. Erant aũt in naui animę 276. Si ergo ſic intercedere potuit Paulus tã ualide in terra poſitus, cũ eſſet adhuc mortalis & peccator, nunquid minus poteſt in cœlo à Deo coronatus, à morte & peccato iam pridem prorſus immunis? Abſit. Quia ſciebat, multo melius eſſe cum Chriſto, & mori eſſe ſibi lucrum. Quomodo autem foret ei lucrum, ſi minus poſſet in cœlo, quam potuit in terra? Quid ergo poterit ad tot ſcripturæ locos reſpondere impius iſte Calumniator ſanctorum, qui ſine ſcripturis uaniſsime blaterat, ſanctos pro nobis in cœlo intercedere aut orare non poſſe?

Quomodo ſancti ſunt Mediatores.

1. Tim. 2.

Geneſ. 18.

Exod. 4. et 18.

Pſal. 105.

Exod. 32.

Deut. 5.

Num. 16.

2. Mach. 15.

Hiere. 15.

Act. 27.

Phil. 1.

De

De igne Purgatorio animarum, Caput X.

Calumnia in ſacerdotes de Purgatorio.



Contra plebeia huius Nugatoris argumenta, quæ nobis ſine ſcripturis tumide ab eo inflatis buccis obiiciuntur, multa habemus ex ſcripturis pręſidia, quę iam olim et à me, et ab aliis in lucẽ producta ſunt de Purgatorio, ad quæ ille hactenus nihil omnino reſpondit. Neq; curat adhuc, quid de hoc ſentiant aut ſcribant docti homines, quia ſufficit ſibi, perſuaſum iam eſſe Laicis ſuis, affirmari à ſacerdotibus & Monachis Purgatorĩ, ſolummodo per auaritiam propter pecunias et cõmoda propria, ſi per aſſertũ Purgatoriũ poſſint recuperare Miſſas pro defunctis. Vnde factũ eſt, ut in ea Imperij præclara ciuitate, ubi iſte prædicat, omne ſtudiũ & ſuffragium pro animabus defunctorũ, eius ſceleſta faſcinatione, abolitum ſit iam pridem: cum antea uix alia fuerit pro iuuandis animabus uel largior in Eleemoſynis, uel frequentior ac ſtudioſior in precibus & oblationibus. Trahit ipſe populũ in hunc errorẽ maxime hoc argumento, quod dicit Purgatoriũ cõfingi, per auaritiam Eccleſiaſticorũ.

Calumniator auariſsimus.

Cũ interim ſit ipſe omnium auariſsimus, qui ut diuitias ſibi pararet, cum eſſet ex patrimonio quouis Iro aut Codro pauperior, ſceleratę multiplicauit nuptias, ducens uxores uiduas opulentiores, unam poſt aliam. Et antiquũ atq; conſuetũ prædicandi ſtipendium, extorſit improba diſcedendi ſimulatione, adaugeri ſibi noua auctione nõ ſolum in duplo, ſed etiã in triplo aut quadruplo, ut iam in Millibus aureorũ argenteiſq;, & de auratis poculis atq; etiam aureis cathenis & torquibus (quod & de Bucero dicitur) certare poſsit etiam cũ opulentis ciuibus. Nõ opus eſt igitur, multis hic uti de Purgatorio probationibus uel ex ſcripturis, uel ex libris ſanctorũ et antiquorũ patrũ, quia Laicalia eius argumenta, quibus antiquam Eccleſiæ pietatẽ erga defunctos irridet atq; calumniatur, cæco plebis (quæ eum pro illuminato Doctore habet, licet ille neq; Magiſter in artibus, neq; Doctor in Theologia, aut in ulla alia facultate exiſtat) iudicio pro certiſsimis habẽtur demonſtrationibus. Reſpondeant ſaltem ipſe & Laici eius increduli de Purgatorio, Lutheri (noui Euangelij ſui authoris) argumentis, quibus uſus eſt olim, nõ ſolum contra Pighardos, cũ eſſet adhuc Catholicus: Verũ etiã ijs, quibus uſus eſt in Reſolutionibus ſuis, et in Diſputatione Lipſica, quando appingebatur imagini eius colũba ad aurẽ dexteram, tanq; ſignũ Spiritus ſancti: Quin etiam ijs, quibus uſus eſt in articulorũ ſuorũ, quos Papa Leo X. dãnauerat, furioſa & hoſtili aſſertione, quãdo iam manifeſte rebellis erat Eccleſię q; defenſor, ut nemo poſsit ullo excuſationis prętextu dicere, eũ tunc ex reuerentia aut timore Papæ aliter ſcripſiſſe, quàm in corde ſenſerit, cum

Reſolu. propoſi. 15. & 19.

eum Papam cõuitiosissime multis ibi palam insectaretur probris & iniurijs. Respondeant igitur ad hæc ibi Lutheri sui uerba, si possunt. Credo (inquit) Purgatorium esse, & consulo suadeoq; credendum, sed neminem uolo cogi. Et in disputatione contra D. Ioan. Eckium habita: Ego (inquit) qui credo fortiter, immo ausim dicere, scio, Purgatorium esse, facile persuadeo in scripturis de eo mentionẽ fieri. Contra hæc Lutheri uerba dicit iste Concionator illius discipulus, Luth. in asser. art. 37.

Quod ex ementito Purgatorio, sequantur istæ abominationes & blasphemiæ. Primo, quod Pater & Filius & Spiritus sanctus, qui in cordibus fidelium habitant sicut in templo suo, non sint tam fortes & sancti, ut reliquias peccatorum, quæ adhærent adhuc illi templo, etiam per mortem Christi, possint expurgare, sed oporteat sanctæ Trinitati & morti Christi auxilium præstare infernalem ignem, ad plene expurganda peccata. Deinde, quod oporteat hoc modo Christum uná cum sancto templo suo pariter in Purgatorium descendere: Nec tam potens sit mors Christi cum omni uirtute & potentia sua, ut eam pœnam possit compensare, persoluere ac finire: sed oporteat infernalem ignẽ adiuuare mortẽ Christi, in qua nos morimur, ut sit melior urga, qua paterna uoluntas puerum corrigat, & iram Dei placare possit, quám mors Christi, in qua nos patimur et morimur. Item, quòd habeant Diabolum pro Deo quodam, qui infernali igni plus uirtutis, potentiæ & bonæ operationis tribuunt, quám sanctæ Trinitati & saluberrimæ morti Christi. Ad hæc, quòd Deũ pariter cum templo suo fidelium animarũ, in ignẽ infernalem proijciũt, eumq; sic Diabolo subijciunt. Hęc iste Calumniator. Scurrilia argumẽta. Calumniæ.

Non te misereat, Pijssime Imperator, populum antea deuotum & ciuitatem Maiestatis tuę hactenus obseruantissimã, tam nequiter & maligne, per tam futiles & absurdas illationes & calumnias, à scelestissimo impostore isto, tota exui Ecclesiæ fide, & in odium Maiestatis tuæ, omniumq; Catholicorũ seditiose concitari? Quis nostrum, obsecro, propter Purgatorium detrahit S. Trinitati? quis morti Christi? Quis Diabolum pro Deo habet? Quis Purgatorium uocat ignem infernalem? Quæ scriptura sic loquitur? Nunquid mors Christi sic tollit à Deo & iudice Christo omnem iustitiam, ut non liceat ei in mortuis ullum punire peccatum, & dare unicuiq; secundum opera eius? Audiat saltem Lutherum, qui aperte dicit, quod oporteat puniri peccata, siue hoc faciat Deus, siue Ecclesia, siue homo aut peccator in seipso puniat. Nunquid Christus tam graues pro nostris peccatis sustinuit pœnas, ut nos impune peccemus? Est quidem Christus (ut inquit Ioannes) propitiatio pro peccatis nostris, sed non tantum pro nostris, sed etiam pro totius mundi peccatis. Non saluatur tamen per eam mortem totus mundus, sed manet uera hæc Luth. in assert. artic. 5. 1. Ioan. 2.

Matth. 22. Christi sententia: Multi sunt uocati, pauci uero electi. Item, Et proce-
Ioan. 5. dent qui bona fecerunt in uitam æternam: qui uero mala, in ignem
æternum. Non enim cæcus est iudex, ut sine operum respectu (quod
impijssime dicunt ac docent Lutherani) indifferenter omnes per
Matth. 7. solam mortem Christi saluet. Sed dicet male operantibus, etiam ijs
qui tantam habuerunt fidem, ut dicerent: Domine Domine, nonne
in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eieci-
Gal. 5. mus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus? Discedite à me om-
nes, qui operamini iniquitatem. Non saluantur igitur Christiani per
solam fidem, nec̃ per solam mortem Christi, sed per fidem, quæ per
1. Tim. 2. dilectionem operatur, ut Paulus docet. Quanquam mors Christi
secundum se sufficiens sit precium, pro omnium hominum redem-
Heb. 9. ptione. Christus enim dedit redemptionem semetipsum pro omni-
Rom. 2. bus. Et semel oblatus est, ad multorum exhaurienda pec-
cata. Manet nihilominus iustus iudex, ut red-
dat unicuique iuxta opera sua.

De reliquis seditiosi Concionatoris calumnijs, Caput XI.

DEmum repetit per Epilogum supradicta sua falsa & impia dogmata, quæ pro Euangelio uenditat, & calumniatur Ecclesiæ instituta, quæ Maiestas Cæsar tua in publica Ordinatione (INTERIM dicta) commendat, approbat & seruanda præcipit: ac superbissima censura sua seditiose perstringit ac reprehendit inclytum Senatum illius ciuitatis, quod obedienter eam Ordinationem à Maiestate tua, tanquam à superiori
Rom. 13. potestate, iuxta Pauli doctrinam acceptauerit, ne diuinæ ordinationi resisteret, si potestati tuæ resistere auderet. Ait ergo.

Criminatio propter acceptatũ librũ Cæs. Maiestatis.

Procul dubio impugnabuntur omnes istæ abominationes per doctos homines, non solum in Germania, sed etiam in omnibus alijs Nationibus, ad quas bonus odor sancti Euangelij peruenit. Atq; ita reuelabuntur & confutabuntur, ut omnibus ijs, qui post agnitam ueritatem eas iterum acceptant, indelebilem infamiam & contumeliam sint allaturæ. Et ubi nunc magnum periculum ingensque timor prætenditur, id omne ad grauius & intolerabilius iudicium euenet. Si enim temporale damnum, quod nobis inferre possunt homines (qui nobis hactenus hanc ob rem nihil mali fecerunt) tam uehementer timemus: multo certe iustius temporale ac sempiternum damnum,

num, quod nobis Deus per incommutabile uerbum suum ab initio mundi usq; minatus est, multo magis timere deberemus. Quanto enim magis timentur homines, tanto magis testificatur, quod bene sciatur, Deum multo magis timendum esse: Qui & profecto huiusmodi abominationes, si ad perturbandas & perdendas conscientias, pro quibus mortuus est Christus, iterum institui debeant, non dimittet impunitas abire.

Deinde aliquanto acrius & apertius reprehendit Senatũ, dicens: Cauillationes seditiosæ contra Cæsarem.

Vltra hæc omnia magis ac magis timendum est terribile Dei iudicium, quod iam accidit, quod peccatis peccata punit, & hostes suos semper ab uno peccato in aliud cadere permittit. Non enim leue peccatum est, quod consensum est in Concilium Tridentinũ, anteq; sciretur, quid nam concluſurum esset. Immo, ubi non habebatur ulla coniectura, quod recte concluſurum esset, sed iam præ oculis erat, quod confirmaret errores, quos ipsum INTERIM met reprehendit. Deinde Cæs. Maiestati soli commissum est INTERIM, atq; ita nostri sunt excluſi, & ab eo repulſi: cum tamen non sit Maiestatis eius uocationis, officij atq; intellectus. Vlterius consensum est in INTERIM, cum tamen conscientia eorum, qui consenserunt, contra illud clamet: ita, ut remittere non possint. Quod non longe abest á peccato in Spiritum sanctum, quod in æternum non remittetur. Et timendum est, ne Sathan urgeat super consensum, nullam euasionem admittat, sed ad hoc compellat, ut consensus reipsa & opere compleatur. Ex hoc cõsequetur, ut priuatas personas, quæ in pura confessione Filij Dei permanent, & has abominationes non acceptant, oporteat coadiuuando persequi, effugare, captiuare, & hostibus tradere, atq; ita Filium Dei uiui in suis membris persequi, pedibus calcare ac interficere. Quibus sane superinducetur illa maledictio, quod uerbum Dei semel sic repulſum, nunq; cõcedetur iterum, aut reuertetur. Nullus enim Concionator probus, poterit propter restitutionem huiusmodi abominationum remanere. Si enim tacuerit ad eas, ipse Diaboli erit: Si autem contra eas prædicauerit, timendum erit, ne inde oriantur seditiones: Quæ sane utraq; intolerabilia sunt. Quare diligenter consyderandum est, quid faciendum sit, & reuertatur quicunq; reuerti potest, antequam ira Dei finaliter insurgat. Securis enim ad arborem posita est.

Hisce minis cupit absterrere & à debita Maiestati tuæ obedientia retrahere Senatum. Ac tandem in hæc uerba concludit.

Cæs. Maiestati omnis præstanda est obedientia, quæ contra Deum non est. Non enim ipsius Maiestas est, quæ hanc causam agit. Inno- Consilium contra INTERIM
center enim uenit in hanc causam, quæ ei nimis alta est: Princeps huius

mundi, & eius Antichristus cum omnibus membris suis, agunt hanc causam, & pessima intendunt. Ideo directe per Spiritum Dei uerbo Dei obuiandum est ei, & in faciem resistere, mendacia, Idolatrias, blasphemias eius detegere, confutare, confundere. Quod si status Imperij, qui cum INTERIM grauantur, neq; congregatim neq; singulatim, id facere uoluerint, aut facere non confidunt, saltem non impediant, sed promoueant, ut docti nonnulli, qui facere possent & libenter facerent, per Typographiam in mundum proferant, ut hostis confundatur, & ueritas honoretur.

Hæc Concionator iste, Cæsar, contra inhibitionem tuam publicam, qua Imperiali authoritate Augustę prohibuisti publice, ne quis audeat contra INTERIM, id est, Ordinationem tuam, aliquid scribere aut euulgare. Probe intelliget Maiestas tua, quonam tendant huius Cōsultoris & Censoris uerba, ad quę breuiter hoc libello respondi. Maiest. tua clemēter, oro, accipiat, et pie ac sapienter prouideat, uelut perpetuus Dictator, ne quid detrimenti Respub. per tam rebelles & seditiosos scriptores & Concionatores, grauius quàm antea unquam, irrecuperabiliter patiatur.

FINIS PRIMAE PARTIS
Appendicis.

PARS

PARS ALTERA APPENDICIS, DE EXCVSATIONE PHILIPPI MELANTHONIS, ADVERSVS Clamores Flacij Illyrici, & contra calumnias Magdeburgenſium.

CLARISSIMO VIRO ET MAGNIFICO DOMINO MATHIAE HELD. I. V. DOCTORI, AC SACRAE Cæſareæ Maieſtatis Conſiliario, & olim Vice Cancellario, Ioannes Cochlæus S. P. D.

ARbitror equidem perpaucos eſſe inter Germanos, quibus Lutherana hæreſis & ſeditioſa factio minus placuerit mox ab initio, quám Magnificentiæ tuæ, quæ & Iuris utriuſq; ſtudijs inſigniter inſtructa ac præmunita, periculoſi hominis, audacis iuxta & maligni, atq; per ſuperbiam de ingenio & eruditione inflati, ac Sathanæ proinde in poteſtatem traditi, tanq; ei, qui eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ (ut habet liber Iob) ſtatim intellexit, adiuta hiſtorijs & longa rerum experientia, quonam tenderent ferocis & inflati Apoſtatæ conatus: De quibus & ipſa Cæſarea Maieſtas in tempore præmonuit nos miſeros Germanos, in Edicto ſuo Vuormacienſi. Quám & religioſe atq; deuote tunc admonuit de dolis & erroribus iſtius hominis, Doctiſſimus & acutiſſimus Iuriſconſultus & Theologus, Ambroſius Catharinus Senenſis Quinq; libris, atq; etiam de impijs & uiolentis auſibus eius, in comburendo Iure Canonico libris Quatuor, ante annos plus minus Triginta. Quám infœliciter autem ceſſerit nobis Tragicus iſte furentis Apoſtatæ ludus, cõmemorauí ego in Commentarijs de Actis & Scriptis Lutheri, nuper æditis. Quoniam uero ſeditiones & rebelliones multorum Germaniæ populorum, tot cladibus & aduerſis ſucceſsibus funeſtatæ, nondum ſunt plene ſedatæ & extinctæ: uiſum eſt mihi è Republica & ſalute animarum fore, ut Egregij ſex libri Doctiſſimi Iuriſconſulti D. Conradi Bruni, De ſeditionibus, in lucem

Admonitio de Lutheri audacibus cœptis.

Iob. 41.

Ambroſius Catharinus.

 ædantur:

ædantur: hoc præsertim tempore, dum tot euolant & in publicum spar-
guntur uarij libelli seditiosorum Lutheri Complicum, contra publicæ in
Imperio authoritatis librum, quem INTERIM uocant. Atq;
ut recentia & uulgo iam nota apud Germanos seditionum exempla, ple-
bis & aliorum, quorum ad res nouas flagrant animi, per periculosos re-
bellium clamores excitati, salubriter absterreantur: Appendicem Do-
ctissimis illis D. Bruni Sex libris adijcio. Quam celeberrimo Nomini
tuo dedico, tanquam uiro sapienti & Iurisconsultissimo, atq; pure Ca-
tholico, & ueteri meo Patrono, ac singulari D. Brum amico: Cui &
Melanthonis infœlices technæ, rebelliumq; periculosæ uociferationes
non sunt incognitæ, contra quas hunc paruulum superaddo tractatum,
quem boni consulas precor. Bene uale uir Clarissime. Ex
Vratislauia, Slesiæ ciuitate præcipua, VI.
Idus Ianuarij, Anno Domini
M. D. L.

Sex Libri D. Bruni De Seditiosis.

PARVVLVS

PARVVLVS TRACTATVS, CONTRA INFOELICES PHILIPPI MELANTHONIS *Technas, aliorumq; rebellium periculosas uociferationes.*



Queritur Philippus Melanthon in noua sua Præfatione, quam libello suo de Pœnitentia præfixit, quod Flacius quidam Illyricus calumnioſe accuſet ipſum, quaſi nouũ Papiſtam & Lutherici Euangelij deſertorem, qui metu Cæſaris nimis multa permittat Edicto, quod INTERIM uocant, contra Lutheri mentem & doctrinam, in Saxoniæ Turingiæq; & Miſniæ Eccleſijs receptam. Ait igitur in ea Præfatione recens ædita Philippus. Querela Phil. Mel. Recens ædita Calen. Octobris 1549.

Quod uero clamat Flacius Illyricus, & doctrinam mutari & reſtitui Cæremonias quasdam antea abolitas, primũ de doctrina reſpondebo. Palam refutat hanc calumniam, uox omnium docentium in Eccleſijs noſtris & in ſcholis. Ac ne longa aut obſcura ſit reſponſio, de uniuerſa doctrina ſentio quod ſcripſi in eo libro, qui in multorum manibus eſt, titulo: Locorum Theologicorum. Iam de rituum mutatione, quæ alicubi facta eſt, pauca reſpondebo. Optarim certe (inquit) in hac præſertim tanta mœſtitia, nulla prorſus mutatione Eccleſias turbari, ac ſi quæ factæ ſunt, non ſunt á me ortæ: Sed fateor me ſuaſiſſe & Francis & alijs, ne deſererẽt Eccleſias propter ſeruitutẽ, quæ ſine impietate ſuſtineri poſſet. Excuſatio Philippi.

Hæc Philippus. Quid autem ſcripſerit in eum Flacius ille Illyricus Latine, nondum uidi. Ædidit quidem Teuthonice aliquot Epiſtolas Lutheri, ſcriptas ab eo ad diuerſos olim Auguſtæ in Comitijs Imperialibus, Anno 1530. Sed quid de ijs reſponderit Philippus, ignoro. Certe Lutherus in illis furioſa proteruia ſeditioſe ſuaſit ſuis, ne cum Cæſare aliiſq; Principibus antiquæ fidei, ullam ineant concordiam, niſi prius admittãt & approbent uniuerſam Lutherici Euangelij doctrinam, reiecta prorſus omni maiorum fide & obſeruatione, quę ante Lutherum in Eccleſia fuit. Ait igitur ibi in quadam ad Philippum iſtum Epiſtola Lutherus, ſicut recitat Flacius.

Neſcio quid ſcribam, mi Philippe, de uana prorſus & inutili cura tua, quia ſcio conſilium meum apud te non ualere. Hoc totũ euenit inde, quod tibi ſoli credis: Mihi aũt alijſq; credere non uis, procul dubio magno cum damno tuo. Ego ſane ne nauci quidem facio Papiſtas, aut eorum Reprehenſio Philip. per Luth.

furores & minas: si nos cadimus, cadit simul & ipse Christus, nempe Gubernator mundi. Atq; etiamsi ipse caderet, mallem tamen ego cum ipso cadere, quám cum Cæsare stare.

Et in alia Epistola ad eundem.

Gratia (inquit) & pax in Christo: In Christo, inquam, & non in mundo, Amen. Magnæ tuæ sollicitudini, per quam infirmaris, ut scribis, mi Philippe, ex corde inimicus sum, quod enim sic prævalet in corde tuo, non magnitudinis causæ, sed magnæ incredulitatis tuæ culpa est. Nam eadem hæc causa multo maior fuit tempore Ioannis Hus, multorumq; aliorum, quám est temporibus nostris. Et si æquè magna esset, ille quoq; magnus est, qui eam gerit: Non enim est nostra. Quid igitur maceras teipsum sine intermissione?

Et rursum in alia ad eundem Epistola.

Apologia Augustana.

Apologiam (inquit) uestram accepi, & miror quidnam uelis, quod petis scire, quid & quantum Papistis concedendum sit. Quantum ad meam attinet personam, nimis multa eis in Apologia concessa sunt. Si eam acceptare nolunt, nescio, quid amplius concedere possem, nisi uidero eorum rationes & clariores scripturas, quám hactenus uidi.

Et iterum in alia ad eundem Epistola.

Quid unquam minus speraui, & quid nunc quoq; adhuc minus spero, quám ut tractetur de unitate Doctrinæ? Quasi nos possimus Papatum abolere, aut doctrina nostra possit nō impugnari stante Papatu. Proponit confœderationes & tractatus, ut Papa permanere possit. Vult concedere & admittere, si facimus, &c. At laus Deo, quod in nihil consentistis. Scribis Eckium á te coactum esse fateri, nos sola fide iustificari. Vtinam uero coëgisses eum, non mentiri amplius. Res profecto pulchra, fatetur Eckius, ex fide uenire iustitiam: Et nihilominus defendit omnes abominationes Papatus, interficit, persequitur, damnat, omnes qui doctrinam de fide confitentur: Nec ullam de hoc sibi format conscientiam, sed semper ulterius progreditur. Similiter faciunt omnes aduersarij nostri. Quærite iam ulterius cum huiusmodi hominibus articulos ad faciendam pacem, & laborate tamdiu frustra, donec inueniant ustpiam occasionem, qua uos opprimant. Et infra. Scribis, Episcopis concessam esse iterum obedientiam, eorum Iurisdictionem, & communes Cæremonias iterum seruare: Attamen bene prospicite, & nolite plus dare quám habetis, ne forte á nouo ad graue & periculosum certamen cogamini, ad conseruandum Euangelium, &c.

Io. Eckius nunquam concesit solā fidem iustificare.

Inimicus omnis Christianę concordiæ Lutherus.

Denicq; in nouissima ad Philippum illum Epistola, breuiter & summatim

summatim ita concludit. *Arbitror, mi Philippe, te iam satis expertum esse, quod Christus & Belial nulla uia concordari queant, neq; de ulla concordia cogitandum sit, quantum ad religionem attinet. Quæ de re ipsi quoq; Principi scripsi, quod causa nostra Cæsarem nequaq; pro Iudice ferre queat. Quid item amica citatio significauerit, bene iam uidemus. Sed causa interim fortasse longe amplius acta est, antequam literæ meæ sunt redditæ: Quemadmodum & ego coniiciebam, cum scriberem. Sed ego profecto pro mea persona, ne latum quidem digitum cedam, aut innouationem ullam institui permittam, etiamsi uitam perdere debeam: Cum ipsi usq; adeo pertinaciter procedant, faciat Cæsar quantum potest.*

Hæc Lutheri uerba Germanice reproducit in lucem Flacius, ad concitandos turbulentq; plebis, quæ seditioso adhæret Lutheri Euangelio, animos aduersus Philippum istum: Quo tamen nullus ex omnibus sectis hoc toto dissidiorũ tempore, plebibus iuxta et Principibus deceptis gratior fuit. Captat, credo, contra Philippum occasiones Flacius ex astuta & dolosa moderatione eorum, qui ad complacendum Cæsari, ut eius Edicto, quod INTERIM uocitant, utcunq; obedire uideantur, in externis Cæremonijs, quas Lutherus & complices eius, furioso contemptu & audacia aboleuerant, nonnihil restitui curauerunt. Contra quos Flacius clamose quasdam Annotationes hisce Lutheri Epistolis adiecit: Breues quidem, sed ad rebellandum apertius Cæsari contra INTERIM accõmodas. Nam ubicunq; proteruius loquitur ad Philippũ contra Catholicos (quos Papistas uocat) Lutherus, Flacius mox adñcit in margine NOTA. Et ubi scribit Lutherus: Dominus tibi & uobis omnibus adaugeat fidem, ibi Flacius in margine addit, Hanc precatiunculam nunc maxime necessariam esse. Et ubi admonet Lutherus, ne sui ullos cum Papistis ineant tractatus, de concordandis in religione articulis: Flacius in margine addit, Nota Propheticum dictum. Et ubi ait ad Philippum Lutherus, quod satis expertus iam sit, Christum nulla uia cum Belial conuenire posse, ibi Flacius odiose adñcit hoc cauillum: Ipse nunc hoc iterũ oblitus est. Et ubi de Traditionibus carpit Sophistas Lutherus, ibi Flacius in margine addit: Hoc idem facere nunc nouos Interimistas, hoc est, Philippum & socios eius.

Insuste contra Philip. Lutheranorum querelæ.

Annotationes Flacij.

Præmisit insuper in Præfatione causas septem, cur hasce Lutheri Epistolas hoc tempore in lucem reproduxerit. Quarum primam ponit, ut ueri Christiani (quos solos Lutheranos intelligit) scire queant, quæ fuerit mens & sententia Lutheri de Adiaphoris, quæ nunc Philippus & socij eius, ad placandum & pacandum Cæsarem, admittere uidentur, contra mentem Lutheri. Secundam ponit, ut impudentia obturentur ora eorum, qui nunc ex Lutheri libris conantur

Septem rationes, Cur æditæ sint Epistolæ Lutheri.

nantur

nantur omnes abominationes (ut ait) Papatus comprobare.

Tertiam ponit, quod huiusmodi Epistolæ consolationum plenæ sunt, quibus Ecclesia hoc periculoso tempore maxime indigeat.

Quartam, ut intelligatur ex ijs, prudentiam de Adiaphoris seu indifferentibus aut medijs rebus, non de cœlo, sed de terra esse contra pium & Christianum consilium Patris, Lutheri scilicet. Quintam, ut si Adiaphoristæ aliorum Christianorum monita facile contemnunt, huius magni saltem & precioſi Prophetæ admonitionem magni faciant, qui ipsos nunc uelut è cœlo deorsum admonet.

Sextam, ut habeantur istę Epistolæ non solum tanquam à Luthero ad Philippum scriptæ, sed etiam per Spiritum sanctum ad totam Ecclesiam à magno Propheta in admonitionem datæ. Septimam & ultimam exempli gratia positam esse affirmat, ut sicut Anno 1530. Augustæ libera fidei cõfessio prospere cesit, ac prævaluit contra Diaboli, Antichristi, & Tyrannorum uoluntatem: Ita & nunc constans ueritatis confessio plus efficiet, quàm si ad placandum Diabolum & impios, in religione multa eis concedantur. Hæc in Prologo Flacius. In fine autem post recitatas Epistolas, ita concludit ad Lectorem. Ex his (inquit) facile intelligere potes, chare Lector,

Maledictio in Philip. quidnam senserit Lutherus de huiusmodi cõcordationibus Christi & Belial, ut maledici etiam bene possint nunc huiusmodi concordationes, cum authoribus suis pariter: Qui ultra alia peccata sua, id quoq; superabunde faciunt, quod sancti patris Martini Lutheri scriptis, huiusmodi falsificationes Christianę religionis colorare uolunt.

Exules pernicioſi Germaniæ. Hæc ibi clamose Flacius Illyricus, ut insanæ plebis ad rebellionem contra Imperatorem, Dominum & supremum Principem suum, desideria plus accendat & adaugeat. Sic facit ex alia parte malignissimus rebellionũ Incentor, Ioannes Caluinus, qui ex Gallijs profugus, simplices populorum Heluetiæ & Sabaudiæ populos, contra INTERIM concitare non ueretur. Exules sane ingratissimi simul & pernicioſissimi, sicut & Alesius Scotus, & ante paucos Guilhelmus Tyndalus Anglus fuit: Quos cum tellus patria & natale solum, propter eorum errores impietatesq;, & manifestas à patria suorum in religione defectiones, amplius ferre non possent, ad nos Germanos (apud quos tantas in religione discordias & nouitates, à Luthero suscitatas esse cognoscũt) confugiunt, ut plebium seductarum simplicitate abutentes, uelut certissimi Sathanæ Apostoli & satellites, sub religionis prætextu omnem à fidelibus populis obedientiam in seditioſas reclamationes conuertant. Quis autem

Expostulatio contra Exules istos. rogauit aut accersiuit eos? Quo iure in messem alienam falces suas immittunt? Si uerum Euangelium pure docent, cur non in patria apud suos potius, quàm apud externos uerbum salutis disseminant? An non superabundamus nos iampridem seditioſis & impijs doctoribus

toribus & subuersoribus, antiquæ fidei & pietatis maiorum nostrorum, à quibus optima quæq; & religionis & disciplinæ accepimus instituta, quibus & tota Germania floruit, atq; in omnibus bonis bene habuit & profecit, antequam Lutheri nomen & Euangelium fuit in orbe auditum. Nunquid ulla societate aut familiaritate, coniunctior unquam fuit Luthero Flacius, quàm Philippus? Quid opus igitur erat Flacio, eas obiicere Philippo seditiosæ confidentiæ Epistolas Lutheri? cum ex ijs probari potius queat moderatio animi in Philippo, contra audacia Lutheri cœpta, qui furiosa & Apostatica desperatione, uerbi Dei prætextu, Papam, Imperatorẽ, Concilium, omnesq; Reges & Principes, uno contemptu superbissime, absq; omni iure & ratione, flocci fecit, & falsis consolationibus tot Germaniæ Principes & Imperij Status atq; ciuitates, in omne malum induxit. Certe si quid prudentiæ haberet Flacius, non reproduxisset in lucem seditiosas illas Epistolas, in quibus tam superbe & imperiose scripsit Apostata flagitiosus Philippo, qui uitam & omnem ingenij sui gloriam in periculum posuit propter ipsum. Quid enim ualuisset, aut quantum in secta sua tam manifeste impia & seditiosa profecisset Lutheeus Monachus, si non adiuuisset eum Philippus, homo doctus & legitime uxoratus? Multum profecto effecit & in scholis & in aulis Principum, stylus & ingenium Philippi, quo longe superabat Lutherum. Et apud Principes & populos non parum fauoris & authoritatis, conciliabat Philippo honestas coniugij, cum non leuis suspitio & macula denigraret famam Lutheri criminosa uita, & sacrilegum cum Moniali contra omnes leges & Canones contubernium. Quod igitur inualuit tam turpis & impia secta, non tam Luthero quàm Philippo tribuendum & accepto ferendum est: Quemadmodum ego paulo ante in Philippica Septima fusius declaraui. Ingratissimi sunt igitur Philippi laboribus omnes Lutherani, quicunq; nunc uociferantur aduersus eius nouissima scripta, tanquam Lutheri Euangelio contraria. Quid enim indoctis & seditiosis suis contra INTERIM concionibus & libellis aliud quærunt aut efficiunt, nisi quod Cæsarem, Potentissimum & Victoriosissimum Principem, ad grauiorem contra rebelles uindictam prouocant & irritant: Imperij uero Principes & ciuitates in grauiora pericula præcipitare satagunt, si qui forte insanis eorum clamoribus aures & assensum præbuerint. Sicut faciunt (proh dolor) nunc imprudentissime Magdeburgenses, qui non solum seditiosas libenter audiunt conciones, sed etiam huic Flacio, homini externo & alienigenæ, Amsdorfio item furenti, & id genus multis alijs insanis uociferatoribus permittunt, in urbe sua excudere & in orbem spargere maledicos contra INTERIM libellos, & uane gloriantur de persecutione, quam propter uerbum Dei à Cæsare sepati

Iniquitas Flacij in Philippum

Secta Lutheri per Phil. inualuit.

Ingrati in Philippum Lutherani.

Imprudentia Magdeburgensiũ.

pati dicunt. Quibus profecto uehementer timeo grauissimam & Dei & Cæsaris ultionem, propter tam multa scelera, quæ à nouis Concionatoribus inducti & persuasi, cõmiserunt multis iam annis, in quibus adhuc pertinaciter persistunt, sine pœnitentia. An uero leuia sunt peccata, tot eorum sacrilegia in omnia Monasteria utriusq; sexus, quæ in urbe illa & circum circa, ad cultum & laudem Dei, ab Ottone Primo, Magno & Religioso Imperatore, & à plærisq; aliis Principibus & Episcopis sunt fundata? At non solum in Monasteria, sed etiam in omnes Ecclesias urbis & ruris sui districtus: Quin etiam in ipsam Metropolitanam Ecclesiam, sacrilegas manus extenderunt, & omnem cultum Dei, quem uelut per manus à maioribus suis acceperunt, & continua successione ultra sexcentos annos religiose obseruarunt, per hæreticos & seditiosos clamores Lutheranorum aboleuerunt & funditus extirpauerunt. Interim tamen uanissime gloriantur de uerbo Dei, per mera Lutheri sociorumq; eius mendacia, & impudenter petunt sibi seruari libertates & priuilegia, quæ ab Ottone Primo (cuius fidei & religioni per omnia contrarij nunc existunt) olim acceperunt. Atq; ut iram Dei & hominũ, usq; in finem & ultimum exterminium, sibi accersant & contra seipsos prouocent, falsis & odiosis calumnijs publice conqueruntur aduersus Cæsarem, Dominum & Principem suum, natura alioqui clementissimum, & singulari titulo Regem Catholicum. O quantis reos & obnoxios se fecerunt, quotidieq; adhuc faciunt, per tales clamores, criminibus læsæ Maiestatis Cæsareæ. Quid enim sunt tales eorum libelli, nisi sceleratę calumnię & seditiosa mendacia, & stulta inanium querelarum & iactantiarũ figmenta, quibus & Cæsarem uelut Tyrannum incusant, & Germaniæ populos ad consimilem defectionem rebellionemq; sui exemplo sollicitant. Quis obsecro tam stultus existat, ut rebellibus & perfidis, atq; in reprobum sensum per hæreticos tam barbaros & ab omni timore Dei alienos, traditis, credere uelit aut possit uere & ex animo Magdeburgensibus, quod propter uerbum Dei, apud Cæsarem ad pacem & concordiam peruenire non possint? Quasi uero Cæsar hic noster non sit Rex Christianus, sed nouus Diocletianus. Quid item aliud quàm insanum mendacium est, quod apud posteros suos excusare non possint, si uerbum Dei de sola fide iustificante, quod longo iam tempore prædicatum ipsis sit, dimitterent: & Papatum cum Missis, Vigilijs, Inuocationibus sanctorum, & alijs ritibus iterum erigerent? Quasi uero prudentiores sint ipsi, quàm pij Maiores eorum fuerunt, qui ultra DC. annos talia crediderunt & religiose obseruarunt, quæ & Itali, Galli & Hispani, alijq; Christiani ipsis longe sapientiores, adhuc hodie obseruant. Quomodo autem excusabunt hæc insana & impia scelera sua apud posteros suos, quod sua sponte, ex

Grauissima peccata Magdeburgensiũ.

Vanissima mendacia.

Crimen lęsæ Maiest.

Grauissima in Cæsarem calumnia.

propria

propria malitia, sine omni rationabili causa, contra omnia maiorum suorum instituta & exempla, totam Rempublicam suam mutauerunt, & omnem bonum ordinem peruerterunt: facti propter unius hæretici tot modis publicè ac legitimè damnati falsum Euangelium, seditiosè rebelles (contra Christum, Paulum, & omnem scripturæ uerum sensum) Potestatibus sublimioribus, Papæ, Imperatori, Regi, & omnibus Principibus, atque sacri Romani Imperij Statibus, qui de Euangelio ab ipsis dissentiunt. O sapientes uiros, qui contra Maiorum suorum fidem & pietatem, Papam pro Antichristo habent, Lutherum uero (fecem & lernam omnis hæreticæ prauitatis) uenerantur ut uirum sanctum, & magnum Prophetam: propter quem in extrema pericula ponunt miseram plebem suam, quæ ui & authoritate Senatus & potentiorum ciuium, cogitur toto iam biennio & ultra, Cæsaris iustissimam secundum omnes leges ferre indignationem, & proscriptionem Bannumq; Imperiale, unde pauperes in omnem calamitatem & miseriam pertrahuntur, dum neque mercatores negociari, neque artifices ex laboribus suis quicquam lucrari, neque rustici in quotidianum forum necessaria tuto afferre possunt. Et tandem post longam pertinacemq; rebellionem, plebisq; & paruulorum famem, timere sibijpsis & toti ciuitati suæ obsidionem & ultimum exterminium, quod pertinacibus debetur hæreticis. Ita enim habet lex diuina in Deuteronomio: Si audieris in una urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos, Egressi sunt filij Belial de medio tui, & auerterunt habitatores urbis tuæ, atque dixerunt, Eamus, ut seruiamus dijs alienis, quos ignoratis: quære sollicitè, & diligenter rei ueritate perspecta, si inueneris certum esse quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, statim percuties habitatores urbis illius in ore gladij, & delebis eam, omniaq; quæ in illa sunt usq; ad pecora. Hæc ibi lex diuina, quæ & duriora minatur deinceps in 28. & 29. capitulis eiusdem libri. Nec leuiora decernit in tales lex ciuilis & humana: Quemadmodum doctissime ad longum declarat D. BRVNVS in Quinto de Hæreticis libro, ubi ex Bartholo tandem & alijs lureconsultis summatim & breuiter sic ait. Siue igitur committendo siue omittendo delinquat uniuersitas, ciuiliter & criminaliter puniri potest: Ciuiliter, ut si læsis ad resartienda & emendanda damna condemnetur. Criminaliter, ut si aratro submittatur ciuitas: Quam pœnam Carthago passa est. Item, si Communitas ipsa Imperiali Banno subijciatur. Est igitur pœna ciuitatis uel Communitatis, quæ hæreticorum doctrinam amplectitur, aut eorum uel personas uel doctrinas fouet & defendit, ut omnibus priuilegijs ciuitatum priuetur, nec

Stultę propter Lutheri falsum Euangelium ærumnæ.

Magna stultitia.

Deut. 13. Exterminium hęreticis decretum.

Dij alieni Luth. & Zuinglius

Lib. 5. c. 16.

Pœna in hæreticam ciuitatem.

ullum commercium ciuitatum habeat. Sede item & dignitate Episcopali priuetur, &c. Ideoq; & illud consequetur, ut ciuitas illa, hoc modo bannita & diffidata, hostis Imperij fiat, omnesq; ciues eius, ut hostes impune in personis & bonis offendi possint, sed & expelli à Principe omnes ex huiusmodi ciuitatibus possint. Postremo ciuitas uel uniuersitas hæresi infecta, etiam pœna, ultimo supplicio proportionabili, plecti possit: Ea est, ut in eam aratrum inducatur de iure ciuili. Quid obsecro ad hæc tam horrenda, & tam diuino quàm humano iure decreta, dicere queat uel clamosus Flacius uel insanus Amsdorfius, aut alius quilibet hæreticus? Non solum diuina & humana iura, prohibent & puniunt huiusmodi urbes in hæresi pertinaces, sed etiam facta ipsa loquuntur & testantur, miserrime perire quoslibet seditiosos & rebelles hæreticos, qui ut præ cæteris uideantur sapientes, & in uerbo Dei eruditi, stulte & impie utrique resistunt potestati. Prostrati autem iusto Dei iudicio, pro superbare bellione sua, incurrunt utranquè mortem, corporis uidelicet & animæ: Corporis temporalem, Animæ æternam. Iuxta illud Apostoli: Quorum finis interitus est, & gloria in confusione. Phil. 3.

Vana hæreticorum defensio.

Exempla horrenda huius temporis.

Ita sane contigit his nostris temporibus, per seditiosum & plane Diabolicum Lutheri Euangelium, multis heu Millibus Rusticorum in Germania, qui in seditiones concitati, iuste occisi sunt: miserè perdentes, propter nouum hoc Lutheri Euangelium, utranquè uitam, temporalem & æternam. Contigit hoc idem non paucis Nobilibus, qui noui Euangelij prætextu terrori esse uolebant, non solum imbellibus Monachis & Presbyteris, sed ipsi etiam Cæsari & Imperij Principibus. Idem contigit in Heluetijs multis Millibus Zuinglianorum, & ipsi etiam Zuinglio, qui prælijs uicti à Catholicis, iuste in peccatis suis occisi sunt. Quid item aliud consecuti sunt seditiosi Conuenæ, qui Monasterienſem in Vuestphalia urbem, amplam & arte naturaquè munitam, fraude occupantes, nouum sibi Regem creare præsumebant? Recentius deinde ac longe insignius exemplum perditionis, exhibitum uidimus in Coniuratis Ligæ Schmalcaldicæ, qui Cæsari nostro non solum resistere, sed etiam terribili apparatu minaciter bellum inferre ausi fuerunt.

Blasphemia in Euãgelium.

Tot tamen ac tantis cruentæ & infandæ perditionis, & sempiternæ confusionis exemplis, nondum absterrentur audaces aliquot Saxoniæ populi, qui Lutheri doctrinam, impiam plane & seditiosam, Deo & hominibus odibilem, ac tot modis iam olim publicè damnatam & execratam, totquè aduersis euentibus funestatam, nefanda cum blasphemia Euangelium ac uerbum Dei dicere non uerentur. Certe non fuisset necessarium Flacio, in odium Philippi Melanthonis reproducere paucas Lutheri Epistolas, quibus seditiosa

seditiosa pertinacia dissuadetur & prohibetur concordia, cum Papa & Imperatore omnibusquè Catholicis Nationibus ineunda in fide & doctrina. Ex ijs enim clarius cognoscitur, eius doctrinam non à Deo esse: cum pacis, non dissensionis Deus sit, ut ait Apostolus. Sed à Diabolo potius, qui homicida erat mox ab initio, mendaxq; & pater eius: ut iure ac uere possit Flacio & consimilibus pacis & concordiæ clamosis hostibus, exprobrari illud ex uero Euangelio uerbum Christi: Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris uestri uultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in ueritate non stetit: Ecclesia autem columna & fundamentum est ueritatis, à cuius pace & unitate cunctos homines separare desiderant, misere excæcati & à Dæmonijs obsessi Lutherani, tanquam gentes dissipatæ, quæ bella uolunt, ne uideantur degeneres filij Lutheri. De quo ante annos plus minus Triginta, publicè in Edicto Vuormatiensi hanc tulit sententiam Cæsar noster: Hic unus, non homo, sed Diabolus ipse, sub hominis specie, ad perniciem humani generis, assumpta Monachi cuculla, quàm plurimorum hæreticorum damnatissimas hæreses, iamdiu sepultas, in unam sentinam congessit, fidem ueram prorsus destruit, sub libertatis specie, Diaboli iugum & seruitutem inducit, & sub Euangelicæ professionis nomine, omnem Euangelicam pacem & charitatem, omnemq; rerum ordinem, & pulcherrimam denique totius Ecclesiæ faciem inuertere, labefactare, & penitus pessundare molitur.

1. Cor. 14.
Ioan. 8.
Non est à Deo Luth. doctrina.
Psal. 67.
Verba Cæsaris de Luthero.

Hanc Cæsaris sententiam, ex instinctu Spiritus ueritatis dictatam (iuxta illud Salomonis: Diuinatio in labijs Regis) & ipso rerum euentu per annos iam Triginta comprobatam, sero impugnare nunc audent seditiosis uociferationibus & libellis, leuissimi homines, uagi & profugi super terram, ut Cain: Quibus misere decepta ciuitas Magdeburgensis, periculosissime suam Rempubli-
eam & salutem talibus flebili temeritate & imprudentia credit. Cui uehementer timeo, ne propediem ex Christiana compassione dicatur ei, sicut Pragæ olim, post Husiticas clades dixit Henricus Tockius, Canonicus Magdeburgensis: Compatimur tibi, ò Praga, uidentes quid nunc es. Tune es illa famosissima, maximis & potentissimis ciuitatibus connumerata, uix paucis (si tamen aliquibus) secunda, multis prior in donis, maior in Imperio? &c.

Prouerb. 6.
Hæretici uagi sicut Cain.
Praga.

Queritur Philippus, Flacium sibi etiam gladios minari. At si quid sani cerebri restaret in hoc seditionum Incentore, intelligeret profecto, inter omnes Lutheranos neminem grauius impugnasse INTERIM, & Saxoniæ populos in Lutheri doctrina & hæresi astutius & subtilius confirmasse, atque ad rebellandum denuo Imperatori animasse, quàm fecit ipse Philippus, qui utique pri-

Calumnia Flacij in Philippū.

mus & principalis Censor de INTERIM, à nouo Electore delectus, & in consilium adhibitus fuit: Qui procul dubio apud omnes Lutheranos Saxoniæ Misniæquè & Turingiæ populos, contra INTERIM longe efficacius egit, quàm egerunt omnes alij Lutheri defensores, quantumuis clamosi & aperte seditiosi. Id quod ego in Septima Philippica clarius ad longum detexi.

Fraudulenta Phil. astutia.

Addam tamen hic in piam & fidelem simpliciorum Luthericæ sectæ & rebellionis populorum admonitionem, quod Philippus iste ita caute & astute impugnat pacificam Cæsaris ordinationem, quæ INTERIM dicitur, ut non solum doctrinam & partem Lutheri, strenue contra Catholicos & antiquos Ecclesiæ ritus defendat & promoueat, in Cæsaris & Regis aliorumquè Principum adhuc Catholicorum odium & inuidiam: sed etiam in nequissimam fraudem noui Electoris Saxoniæ, qui in cordibus Lutheranorum exosus est propter depositum Electorem antiquum. Inuisior autem factus est propter fraudulentum commentum Adiaphorum, quibus debeat nouus Elector fucum facere Cæsari, quasi obediens sit eius ordinationi, quæ INTERIM dicitur: Cum tamen reuera in præcipuis de fide & religione punctis, per omnia seruet hæresim & errores Lutheri, in omnibus suæ ditionis Ecclesijs.

Qualis religio sub nouo Electore Saxoniæ.

Verbi gratia, De Baptismo non minus sub nouo, quàm sub antiquo Electore, seruatur ubiquè in Ecclesijs Vuittenbergæ, Torgauiæ, Zuicauiæ, & alijs oppidis, quæ Cæsar ademit deposito, & nouo donauit Electori, Lutherica forma, quæ reijcit Exorcismos & Vnctiones olei sancti & Chrismatis, cæteroſquè ritus antiquos, quibus Ecclesia tot iam sæculis religiose usa est. De Sacramento Eucharistiæ nihil prorsus mutatur ex omnibus impietatibus, quæ per Lutherum sunt introductæ. Fiunt Missæ sine sacro Canone, negatur oblatio & Transsubstantiatio, tollitur & omittitur festum Corporis Christi, tanquam Idolatria execrabilis. Nulla fit deportatio uenerabilis Sacramenti, nequè publice in processionibus, nequè priuatim ad infirmos: Nulla habentur in Ecclesijs Ciboria, in quibus reseruaretur Corpus Christi, oleumquè sacrum pro infirmis: Nulla est Inuocatio sanctorum, nulla commemoratio mortuorum. Nulla sacerdotum legitima per Episcopos ordinatio, sed prophana per Superattendentes manuum impositio. In causis Matrimonialibus, contemptis Episcoporum iudicijs, retinentur prophana consistoria: non seruantur horæ Canonicæ. Breuiter, nihil prorsus mutatur de ueteri Lutherismo in substantialibus, de quibus Cæsar in INTERIM mentionem facit. In speciem autem mutantur uestes & quidam ritus, in gratiam Cæsaris, quibus antea Lutherani non utebantur.

Atq

Atq; ita fit, ut Philippus iſte, male & fraudulenter ſeruiens duobus dominis, neutri recte ſeruit. Dum enim Cæſarem externa ſpecie quarundam Cæremoniarum decipere & placare nititur, clamoſos offendit Concionatores, qui nihil prorſus mutandum eſſe cenſent in omni doctrina Lutheri. Offendit & Lutheranos populos, quibus accuſatur à Flacio & conſimilibus, quaſi Euangelium & purum uerbum Dei, prodat Cæſari & nouo Electori Saxoniæ. Offendit & filios atquè amicos antiqui & depoſiti atquè captiui Electoris, quaſi deſertor eius doctrinæ & ſectæ, quam per annos Triginta & amplius defenderit, & Auguſtæ, atquè in omnibus Conuenticulis & publicis tractatibus, Principibus & ciuitatibus Ligæ Smalcaldicæ ſuaſerit & approbauerit: Proinde timet nunc anxie, ne per huiuſmodi furentium & ad nouas rebelliones aſpirantium Concionatorum clamores & calumnias, omnem apud ſuos priorem laudem & gratiam perdat. Sicut Eraſmo Roterodamo (qui moderatius de quibuſdam articulis à Lutheri furoribus diſſenſit) contigiſſe non ignorat. Quapropter ita ſcribit nunc in Flacium. Anxius timor Phil.

Hic ſi dolori meo indulgere uellem, poſſem & de Flacio iuſte queri, qui aduerſus me talia mendacia ſpargit: Et commemorare ex alto repetitas cauſas harum ærumnarum, quibus nunc Eccleſia totius orbis terrarum oppreſſa eſt, & exponere, quæ res armauerit audaciam aduerſariorum contra ueritatem, & confirmauerit potentiam. Hæc uulnera nunc attingere nolo, & iſtos libertatis uindices oro, ut ſinant me & alios multos tacitos circumferre noſtros dolores: Nec accendant atrociora diſſidia. Nam quod Illyricus uociferatur, potius uaſtitatem fuiſſe faciendam in templis, & metu ſeditionum terrendos Principes, ego ne nunc quidem tam triſtis ſententiæ Author eſſe uelim. Alia onera multò duriora, quàm linea ueſtis eſt, ſuſtinere nos, ſtudiorum & Eccleſiæ cauſa manifeſtum eſt. Odia potentum, contumaciam populi, maleuolentiam in fucatis amicis, diſcordias docentium, inopiam, iniurias, & alia multa mala, quæ etiam tranquillam gubernationem comitantur: Nunc uero turbulentis temporibus multa accedunt atrociora. Cum autem propter tales miſerias non diſcedendum ſit à ſtatione, toleretur etiam ſeruitus in re leuiore, quæ tamen ſine impietate eſt. Mihi quædam ingens mœſtitia huius temporis, in tanta diſtractione uoluntatum & opinionum poſcere uidetur, ut afflictas Eccleſias conſolemur & foueamus, quantum piè fieri poteſt, & curemus, ut rerum neceſſariarum omnium doctrina fideliter ex- Verba Philippi. Quis opprimit Eccleſiam? Onera dura Phil.

 plicata,

plicata, ad posteritatem propagetur, & scholæ conseruentur, quæ custodes sint omnium honestarum artium.

Techna Phil. de doctrina Lut. cõseruãda.

Hoc sane Melanthonis consilium, quod stulte ac seditiose calumniatur Flacius, uidetur mihi multo pestilentius contra Cæsarem & uniuersam Ecclesiam Catholicam, cẽp esse possint uel Mille contra INTERIM seditiose clamantium conciones & libelli. Quanto enim maiorem simulat & prætendit astutè in uerbis modestiam & pietatem, tanto plus affert pro hæresi tam sua quàm Lutheri, in populis conseruanda latentis ueneni: Nec obscure insinuat, quantum odij gerat in corde suo, contra Cæsaris INTERIM & Ecclesiæ Catholicæ ordinationes. Vellet Flacius, pati potius uastitatem in templis, & metu seditionum (ut ait Philippus) terreri Principes: At longe astutius dat consilium Philippus, ut toleretur seruitus in re leuiore, quæ tamen sine impietate sit, ut in rebus necessarijs conseruetur doctrina Lutheri, & fideliter propagetur ad posteros, & scholæ conseruentur.

Medium, quod astute proponit Phil.

Hanc technã astutissimi hominis, necp Lutherani ipsi, necp Catholici maturè consyderant: Lutherani, sui dogmata Lutheri, ui & seditione apertè asserere desiderant, ut nihil prorsus mutetur de nouis contra Ecclesiam antiquam institutis. Cæsar autem in INTERIM antiqua Ecclesiæ dogmata & instituta, quæ Lutheri temeritate sunt abolita, uult in templis restitui & obseruari. Cæterum Philippus hoc astute præscribit, & proponit medium, ut ad complacendum Cæsari quædam externæ Cæremoniæ restituantur. Verbi gratia, Vt Missæ deinceps in Ecclesijs celebrentur, consueto campanarum pulsu, cum candelis accensis, cum uasis, cantibus & uestibus atquè ornamentis: Cum Introitu, cum Kyrieeleyson, cum Gloria in excelsis, Dominus uobiscum & Collecta: Cum Epistola, Graduali, Alleluia, Sequentia, Euangelio, & quidem Latine hæc omnia. Sed ita, ut omittatur uterquè Canon, tanquam res impia, & omnis Missa pro defunctis, & nulla fiat Inuocatio sanctorum, nulla oblatio, nulla transsubstantiatio, nulla Sacramenti Communicatio sub una specie, nulla Missa sine communi cantibus. Hoc est præclarum concordiæ medium, quo dolose circumueniri debeant Cæsar & alij Catholici Principes, ut credant Missam uere apud Saxones restitutam esse. Quemadmodum & Augustæ in Confessione & in Apologia consimili dolo & mendaci iactantia usi sunt. Sicut à me non raro & Philippo huic speciatim, & omnibus Lutheranis generaliter exprobratum est.

Qualis Reformatio Phil.

Infœlix Philippi consilium.

Sed egregiè ac iusto Dei iudicio, mentitur hæc iniquitas sibi, & dolus iste ita conuertitur in caput ipsiusmet Philippi, ut nihil infœlicius consuluerit unquam. Quid enim aliud inde consequitur, nisi

niſi omnem iram & confuſionem ab utraq; parte. A Catholicis, inquam, quod dolis & mendacijs ſuis totam ſubſtantiam Miſſæ, rei omnium ſanctiſsimæ, abolere nititur: A Lutheranis uero, quod tam multa uideatur Papiſtis in Miſſa, contra receptam Lutheri doctrinam & praxim reſtituere. Siniſtræ per hoc ſuſpitioni factus obnoxius, tanquam pecunijs corruptus, agnitam Euangelij ueritatem Cæſari & nouo Electori prodere, & Lutheri cœleſtem doctrinam (quam antea tot libris iactitauit & defendit) nunc metu deſerere non ueretur, uelut leuiſsimus transfuga, nunc harum nunc illarum partium. Cui & id infœlicitatis per iſtud doloſi medij conſilium accedit, quod nouum Electorem Saxoniæ omnibus fere Lutheranis reddit inuiſum, & Cæſari ſuſpectum: Poſteris uero, in omnibus Lutheranorum ſcholis, peſsimam poſt ſe relinquet proditæ religionis famam. Hinc ille perpetuus in ſepulchrum uſq; dolor gemitusq; & mœſtitia eius: Deo Eccleſiam, ſuam ſponſam, quam innumeris blaſphemauit iniurijs & calumnijs, de eo ſic uindicante. Optarim quidem docto & ingenioſo huic homini meliora: Sed Deus non irridetur, nec ullum malum relinquit impunitum & inultum, ut ait Iob. Quid igitur de ipſo nunc ſentiant Lutherani, ex Flacij ſcriptis & ex ipſiuſmet Philippi querelis & triſtitijs, iam palam factum eſt. Quid autem externi de eodem ſentiant, notum eſſe poteſt ex doctiſsima Thomæ Rhadini Itali oratione, qua eius Didymū confutauit: Et ex eruditis Philippicis XX. Alfonſi VIRVESII, Canarienſis Epiſcopi Hiſpani, atq; etiã ex Epitome Doctiſsimi Theologi Pariſienſis D. ROBERTI, Epiſcopi Abrincenſis Galli, qui contra huius Philippi turpem defenſionem, qua Buceri Apoſtatæ coniugium defenſare auſus eſt, inter multa alia ſic ait:

Iob. 24.

Externorū de Melanthone iudicia.

Præcepta Decalogi negatiua, ſemper & ad ſemper obligant. Nullum igitur recipiunt INTERIM. *Concubitus igitur ſacrilegus, ſpurciſsimus & inceſtuoſus Diſdigamus, non recipit* INTERIM. *Scriptum enim eſt: Quaſi á facie colubri fuge peccatum. Et infra. Conatus eſt (inquit) ut ſuo nomini reſponderet, culpæ defenſor atterrimus Melanthon, ab huiuſmodi contubernijs Apoſtatarum cum uirginibus, notam ſacrilegi inceſtus, quanta maxima cura potuit, depellere. Idq; potiſsimum in gratiam Buceri ſui, induidui in hac tota cauſa comitis & congerronis impudentiſsimi, ut quem ſciret cum ſcortatrice ſua Elizabetha attentaſſe coniugium, pium (ut illi uideri uult) re autem ipſa ſacrilegum apud uere pios, inceſtuoſum & impium. Quoties enim auditur hoc uerbum, Elizabetha Buceri, confeſtim adiungendum eſt, Impia impij, ſacrilega ſacrilegi, inceſta inceſti, fœdifraga fœdifragi, refuga refugæ, ſcortumq; ſcortatoris ſordidiſsimum: Non*

Eccle. 21.

Verba Epiſcopi Abrincēſ.

uxor uera mariti, quin potius impuri fœda lyciſca lupi. Impium enim eſt, Deo ſemel præſtitam (quod nec fas nec iura ſinunt) uiolaſſe fidem: ſacrilegum uero, rem Deo ſacram prophanaſſe. Adeo, ut huiuſmodi corruptionem nihil dubitet Ambroſius appellare adulterum contubernium, Sathanæ tugurium, lutum platearum, atq; in tenebris perpetratum ſtellionatum, cui unx poſſit digna mors & pœna cogitari. Nam de Capitali quis dubitet? Cum lege cautum ſit De Epiſcopis & Clericis, Codice: Si quis, non dicam rapere, ſed attentare tantum iungendi cauſa Matrimonij ſacratiſſimas uirgines auſus fuerit, capitali pœna feriatur. Idem ſentit Iuſtinianus in lege, Raptores, eo ipſo titulo. Quod etiam Edictum confirmat ipſe in Authenticis, in hæc uerba: Si quis rapuerit. De inceſtu uero nemo dubitauerit, qui modo Canonum decreta uel ab ipſo limine ſalutarit. Et poſt pauca. Nec differt (inquit) Auguſtinus huiuſmodi complexus appellare adulterijs deteriores. Sed quid in re tam aperta immorari opus eſt, cum nec Grammatici ipſi ignorent, inceſtus crimen committi, uti cum Conſanguineis, ita & cum Deo dicatis uirginibus. Libet itaq; huc inſerere, quod religioſiſſime (ut cætera ſolet) in eam rem pronunciat indefeſſus Chriſti & Eccleſiæ ſponſæ meles ac propugnator Cochlæus. Viderit (inquit ille) Maieſtas tua, Imperator potentiſſime, quid Deo Exteriſq; Nationibus Chriſtiani nominis, atq; etiam poſteritati reſpondeas, ſi huiuſmodi Apoſtatarum flagitia impietatesq; & manifeſta crimina & blaſphemias, in tuo Imperio diutius graſſari, & omnem uitæ ſtatum fœdare, fideiq; Catholicæ rectitudinem & ſynceritatem deturpare amplius permiſeris. Cum tibi præcipue (qui ſupremam á Deo poteſtatem in Imperio tenes) dicat Dominus: Maleficos ne patiaris uiuere. Nulli autem ſunt ſceleratiores, quàm huiuſmodi ſunt Apoſtatæ, qui non ſolum Rempublicam ſeditioſis ſcriptis & conciombus grauius, quám ambo fecerunt Gracchi, perturbãt, & aduerſus Eccleſiam Dei ſchiſmata excitant, & populum fidelem hæreſibus inficiunt, atq; criminoſa uita ſua ſcandalizant, & prauis moribus imbuunt: Verum etiam iuuentutem peſſime corrumpunt per libertatem carnis, quam falſo Euangelicam uocant, & ab antiqua obedientia & pietatis diſciplina, in omnem morum prauitatem, & honeſtioris uitæ diſſolutionem abducunt, atq; etiam innumeras (proh dolor) animas per ſchiſma, rebellionem & hæreſim ſuam, æterno obnoxias reddunt ſupplicio. Et ſicut ipſi proprio (ut Paulus ait) iudicio ſunt damnati, ita quám plurimos alios in eandem damnationẽ ſecum & poſt ſe trahunt. Time igitur & tu, precor, Imperator Auguſte, ut religioſus

Leges contra inceſtuoſa coniugia Monachorũ.

Verba Cochlæi ex VI. Philippica ad Imperat.

Exod. 22.

Ad Tit. 3.

sus es Princeps, diuinæ legis præceptum ut exequaris: Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur. Item illud Apostoli: Si quis uobis euangelizauerit præter id quod accepistis, Anathema sit: Et utinam abscindantur, qui uos conturbant. Item illud Augustini: Quomodo Reges seruunt Domino in timore, nisi ea, quæ contra iussa Domini fiunt, religiosa seueritate prohibendo atq; plectendo. Time etiam huius Melanthonis uerbum, quod uelut alter Caiphas dicit, non ex seipso, sed ex Spiritu sancto (á quo omnis ueritas uelut á fonte manat) quod incesta consuetudo, non minus legibus punienda sit, q; Parricidium, &c.

Leuit. 24. Gal. 1 & 5. Aug. epis. 48. & 50. Ioan. 11.

Hæc ego hic refero, non in hoc sane, ut afflicto tot curis & mœstitijs, acriorem afflictionem superaddam, sed ut pius & cordatus Lector inde intelligat, quàm grauis sit hæc Dei ira & uindicta in hominem hunc ingeniosum quidem natura, sed male astutum, & miserè à Luthero deprauatum. De quo ego semper iratus fui sceleratissimo ac seditiosissimo Apostatæ Luthero, quod Diabolico instinctu eum circumuenit, & in sanguinariam factionem suam traxit, qui donis Dei & naturæ fœlicissime potuisset uti summa cum laude Germaniæ, & omnium Nationum gratia & fauore in perpetuum. Nunc autem quid cõsequitur tandem ex tot curis laboribus q; & studijs suis, quæ ultra 30. annos, pro tuenda & augenda turpissimi in uita & moribus Apostatæ seditiosa hæresi, sustinuit & exantlauit, nisi ingratissimorũ Luthericæ factionis & perfidiæ Concionatorum & populorum odiosas & inimicas querelas & calumnias, & iustam à Cæsare propter INTERIM iram & animadUersionem. Cui equidem ex animo condoleo, quod sic incidit in prædictam à Deo tot scripturæ Prophetarum & Apostolorum locis uindictam: Simulatores (inquit) & callidi prouocant iram Dei. Scriptum est (inquit Apostolus) Perdam sapientiam sapientum. Item, Ne sis sapiens (inquit sapientissimus Salomon) apud temetipsum. Et Esaias: Væ qui sapientes estis in oculis uestris. Et Iob, Qui apprehendit sapientes in astutia eorum. Quàm astute autem egerit persæpe Philippus iste contra Catholicos, præsertim contra Cæsarem, ego sæpe conquestus sum, præsertim in prima & quinta Philippicis. Faxit Deus, ut ex corde uere pœniteat, & reconcilietur Ecclesiæ, antequam ex hoc mundo tanto cum onere peccatorum transeat. Et pœnitendo fideliter recordetur illius apud Salomonem Prouerbij: Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.

Phil. á Luthero missere peruersus.

Vindicta Dei in Philippum Iob. 36. 1. Cor. 1. Prouerb. 3. Esa. 5. Iob. 5.

APPENDICIS

APPENDICIS PARS TERTIA, IOANNIS COCHLAEI, CONTRA SEDITIOSA SCRIPTA Ioannis Caluini, ex Gallijs Profugi.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO FERRANDO DE GONZAGO, CÆS. MAIESTATIS *Supremo Gubernatori, & Præfecto Nobilissimi Ducatus Mediolanensis, &c. Io. Cochlæus* S. P. D.

ETSI nunc Principes, qui bellica uirtute pollent, & rerum gestarum gloria celebres habentur, à literarum studio abhorrere plærunq; uideantur, tanquam fortibus uiris parum gloriosum sit, armis coniungere literas, & sagatos impallescere chartis: Illustrissima tamen Celsitudo tua, antiquorum instituta Principum exemplis, inclytam & illustrem domum de Gonzago, non minus sapientiæ studio, quàm fortitudinis bellicæ gloria illustriorem reddere fœliciss. me sategit hactenus. Sicut olim feciſſe leguntur sapientissimi simul & fortissimi Principes, tum Græcorum tum Romanorum, ut Agesilaus, Themistocles, Epaminondas apud Græcos: Scipio Aphricanus, Iulius Cæsar, Octauianus Augustus, & id genus alij apud Romanos. Apud Hebræos uero sapientissimi Principes Moyses, Dauid, Salomon, &c. Sapientia tua, fortissime Princeps, iampridem probata & perspecta est Cæsareæ Maiestati, in pacifica gubernatione tot gentium & populorum, ac magnarum ciuitatum Regni Siciliæ, & citra Pharum & ultra Pharum. Animi uero fortitudine & constantia plærisq; quidem bellis & rebus gestis, Cæsari nostro fidelissime

Pericula apud Algieram in bello.

fidelissime seruisti, nusquam tamen fortius & constantius, & in maioribus uitæ & fortunarum periculis, quàm in Aphricana expeditione contra Algieram: quam luculentissime descripsit Nicolaus Villagog Miles Rhodius. Quamuis uero uehementer exhorreat animus meus inter legendum, tam præsentia & extrema illius Expeditionis pericula: plurimum tamen iuuat inde cognoscere intrepidum atq; inuictum Cæsaris animum, tuamq; in omnibus illis periculis, quæ terra mariq; omni ex parte imminebant, constantiam & fidem. Quanta uero cum gloria & fœlicitate gubernet nunc Illustriss. Celsitudo tua, potentissimum Ducatum Mediolanensem, unicum abunde probat exemplum honorum & Magnificentiæ spectaculum recens, quo Serenissimos Principes, MAXIMILIANVM Regis Romanorum Vngariæq; & Bohemiæ filium, è Germania in Hispanias abeuntem, & PHILIPPVM Cæsaris filium tot Regnorum Principem, ex Hispanijs per Italiam in opulentissimas Inferioris Germaniæ prouincias ad Patrem desideratissime deproperantem, Mediolani excepisti, & per reliquas Ducatus ciuitates splendidissime conduxisti. Honorificentia Mediolani exhibita.

Cæterum causa, quæ nunc paruitatem meam impellit ad scribendum Celsitudini tuæ, non tam prophana & sæcularia, quàm Religionis & fidei negocia tangit ac respicit. De quibus & Illustrissimis Principibus de Gonzago, Reuerendissimo Cardinali Mantuano HERCVLI, fratri tuo Germano, & Generosissimo Duci Mantuano FRANCISCO alterius fratris tui filio, breues dedicaui libellos. Ad Celsitudinem uero tuam scribere instigat me, ex propinquo ab hæreticis imminens populis, Gubernationi tuæ à Cæsare creditis, periculum: maxime uero à Ioanne Caluino, propter crimen hæreseos è Gallijs profugo, & Gebennæ nunc seditiosis & impijs concionibus regnante uerius quàm exulante: Quo post Lutherum nemo Hæreticorum ferocius atq; seditiosius hoc tempore scribere præsumit. Causa scribendi contra Caluin.

Tam superbe enim tumultuatur apud Allobroges, uicinos Mediolano in Sabaudia populos, seditiosis suis scriptis & concionibus, ut misere decepti ab eo plærique Gebennates, non solum noctu, sed etiam interdiu, ad portarum custodias publice cum uexillo, nescio quo hostium metu aut prætextu transeant, perinde atque solent in castris milites Stationarij, qui contra nocturnas insidias hostium, castrorum agunt uigilias. Tumultus Gebennæ,

At non sufficit importunissimo huic BARRABÆ, unius ciuitatis populos ita conturbare, & à fide religioneq; & obedientia antiqua concionibus suis dehortari: uerum etiam extendit rebellionis suæ manus contra quamlibet Potestatem ordinatam. Eo quippe audiciæ processit, ut publice criminari & calumniari audeat non solum Sessiones & Seditiosa scripta Caluini.

Decreta

Decreta generalis Concilij Tridentini: uerum etiam Cæsareæ Maiestatis Edicta, quæ Augustæ, pro pace in fide & religione seruanda, Cæsar cum consilio & consensu sacri Romani Imperij, Principum & Statuum atque ciuitatum, publicauit. Atque ut sanguinarij conatus eius cunctis notiores fiant, appingi facit scriptis suis per Typographum suum, quem Gebennæ ad manum habet, gladium utraque manu extentum in medio flammarum. Hæc equidem non fingo, sed in libris eius, qui Francfordiæ in celeberrimo mercatu uenditi & in orbem dispersi sunt, clare ostendere possum. Itaque ut tam scandalosas eius insolentias & importunitates ex parte detegerem, breuem euulgaui libellum, ad ERASMVM Strenbergium, Canonicum Tridentinum, uirum egregiè & doctum & pium, cui notissima erant acta Concilij Tridentini, cui & Venerandi patres, qui illi Concilio uel præfuerunt uel interfuerunt, etiam de facie ut plurimum familiariter noti erant: ut intelligeret, quàm impudens sit Caluinus in mendacijs, amarulentus in calumnijs, maledicus in conuitijs, & superbus in contemptu: Cum tamen neq; scripturas, neque rationes afferat, propter quas iuste moueri uideretur. Verbi gratia, in Ambrosium Catharinum, qui in sua ad Concilij patres oratione, dixerat Beatam Virginem MARIAM fidelissimam sociam Christi, inuehitur asperrime hisce uerbis.

De Concilio Triden.

Inflat deinde suam buccinam Ambrosius Catharinus ex ordine Dominicanorum, uetus ille Lutheri Antagonista: Quem ego puto ante annos XX. pudore confusum, in obscuras latebras se abdidisse. Tanto enim dedecore á Luthero, nouitio adhuc milite prostratus fuerat, tam fuerat turpiter, ordinum omnium consensu exibilatus, ut prodire in hominum conspectum, si saperet, nunquam debuerit.

Et post pauca. *Ergo, qui Catharini insulsitates aliquando legerunt, nescirent, putridum illud cadauer adhuc spirare, nisi concionem in Synodo habitam legerent, ubi Christi mater fidelissima eius socia uocatur, & assidere fingitur eius throno, ut gratiam nobis impetret.*

Conuitia Caluini in Cochlęũ.

Hæc eius uerba uocat Caluinus sacrilegam uocem, quæ laceret Christum. Cum autem ego breui libello, contra eas contumelias & calumnias, Catharinum & Beatam Virginem defenderem, ille superbissime intumescens, & me præ se indignum, cui respondere debeat, iudicans, sub nomine Gallasij atrocius inuectus est non solum per conuitia in me, sed etiam per calumnias in Catharinum & in Beatam Virginem. Me enim protinus Asinum & Bestiam uocat: Catharinum uero spurcum Silicernium, cuius flagitiosas ac nephandas libidines tota nouerit Italia. At matrem Christi aduoca-

tam

ſam dici,& throno Chriſti aſsidere, ſacrilegum eſſe putat, cuius interceſsio pro peccatoribus non plus ualeat aut proſit,q̃ profuit Adoniæ filio Dauid interceſsio matris Salomonis, pro accipienda in uxorem puella Sunamitide. Ego,quantũ ad conuitia in perſonam meam attinet, nihil moueor,quia ignorantiæ & hebetudinis obiectũ probrum æquiſsime fero. Quantum ad conuitium libidinum ſpectat,dixi apud rationis compotes Catharinũ facile defendi,non ſolum ex ſanctis & eruditis ipſius lucubrationibus,ſed etiam ex uerbis calumniatoris,qui tantum uirum ſine omni probatione proſcindere audet, cum ex propriis conuitiis eius ille excuſari poſsit. Quis enim credat,uenerabilem ſenẽ,qui cunctis diebus uitæ ſuæ literis incubuit, & in ordine Prædicatorũ,relicto ſęculo,Deo ſeruiuit: ita libidinoſus ſit ſenex (quem ipſe Caluinus putridum cadauer & Silicernium uocat) ut toti Italiæ notæ ſint flagitioſæ & nefandæ eius libidines? quomodo probat tam atrocem calumniam? Quo facto & qua deprehenſione criminis? quibus teſtibus aut accuſatoribus? Qua ad Deũ conſcientia? Si ſic calumniari liceat, quis poſsit à calumniis hæreticorum liber aut tutus eſſe? Ecce non ueretur Gallicus exul iſte, tam horrenda obiicere crimina tanto per orbem terrarũ noto uiro, qui à pueritia uſq; ſemper ſtuduit non ſolum bonis & politioribus literis,ſed etiam præcellenti ingenio præditus, ita in legum & ſacrorũ Canonum,omnis honeſtatis & uitæ rectitudinis cuſtodum, ſtudio adoleſcens apud celeberrimi nominis ubiq; per Italiam Iuris utriuſq; profeſſores inclaruit, ut inter acutiſsimos legum interpretes & diſputatores celebris haberetur, dum eſſet adhuc ſæcularis & Laicus,dictus claro nomine Lancelotus Politus.

3. Reg. 2.

Impudẽtes calumniæ in Catharinum.

Catharini ſtudia in Iure utroq;

De quo complura ſcripſi ex uero charitatis affectu,ante biennium in ea ad R. D. PHILIPPVM Epiſcopũ Spirenſem Epiſtola, qua ei dedicaui ſcripta quędam huius Catharini,noua & uetera, De perſona & doctrina Lutheri. Et æditum eſt nuper LVGDVNI amplum uariumq; & magnificũ opus plurimorũ Tractatuũ eminentium Iureconſultorũ,inter quos habetur in Tomo ſeu parte ſeptima inter multa alia inſignis Tractatus De ſubſtitutionibus,quem olim,in ſęculo conſtitutus,ſcripſit,& LEONI Papæ X. recens tunc Electo & coronato dedicauit iſte Catharinus, dictus eo tempore Lancelotus Politus Senenſis. In cuius Prologo ita exorſus eſt. Si tua, LEO Pater ſanctiſsime,excelſo iſto in faſtigio poſita,ſuprema pateretur Sublimitas: Si & mea tenuis (quamuis audax) tantum ſibi paruitas arrogaret,quod præter alia multa nonnullis uigiliis, paulo impenſius in Ciuili Philoſophia uerſatus,tandẽ elucubraui,dicare tibi certe nõ dubitaſſem,&c. Mox aũt ad uniuerſos & ſingulos Iuris prudentes hanc ſubiunxit ibi Præfationẽ. Scitis uiri Clariſsimi,q̃ infeſta uirtuti fuerint elapſa tempora,quem per ſæuiſsimos bellorũ tumultus, ſtudia ueſtra locum ſibi uindicare potuerint,quando neceſſarium ſemper fuerit,ubi armorum impetus atq; uiolentia,prævalendo inceſſerint, ibi paciferã legum ſa-

Scripta Catharini.

Prologus de ſubſtitutionib. ad Leonẽ X.

Excellentia in legum studio.

pientiam cõticescere. Pauci etiã uestrũ (opinor) ignoratis, me tenuem nihilominus homunculũ, ut aliquid apud uos nominis atq; loci mihi compararem, ausum esse per celebriora Italiæ Gymnasia, Mille circiter propositarũ Quæstionũ nostras partes, ubi licuit, pingenio defendere. In qua re si fecerim operæ pretium, aut si quippiam mihi uerę laudis contraxerim, uestri est iudicij. Hoc ego uere possum dicere, præcipuos illos & peregregiũ doctrinę rarę specimen prioris famę lure cõsultos, non solum priuatim & publice me collaudasse, uerũ etiam incredibili quadam cũ admiratione, tum beneuolentia esse prosecutos. Neq; uero necesse est, à me quenq; nominari uobis, quando plus q; manifestum sit, quanto me præconio Ioan. CAMPEGIVS, uir in uestra literatura celeberrimus, q; amplissimis & grauissimis uerbis honestauerit, etc.

Magna senectus Catharini.

Hunc uero tã doctũ piumq;, & in omni studiorũ ac disciplinarũ genere præcellentẽ, atq; ultra Quinquaginta annos (quippe qui etiam sub summis Pontificibus, Alexandro Sexto & Iulio Secũdo, clarũ habuit nomen, & anno Dñi 1494. Hieronymũ Sanonarolam, Ordinis sui fratrẽ, propter fructũ prædicationis defendit, licet per errorẽ, ut nunc senex in tertio de Cõsyderatione libro suo fatetur) ab ingenio ac eruditione laudatũ ab Italis uirũ, sero nunc superbissime præ se Gallo & Luthero Germano, impudẽtissime contẽnit male liber et inflatq; Onager iste, ut quisq; rationis compos, & in reprobũ sensum nõ traditus, nec peruerso iudicio excęcatus, facile cognoscere ac uidere queat, nihil amplius pudoris aut iudicij reliquũ esse in misero hoc Diaboli satellite, qui tam petulanter & inique senẽ istũ, usq; adeo pie ac bene meritum, tum de Ecclesię causa cõtra tot huius temporis hæreticorũ mõstruosas iactantias & calumnias: tum iam olim de uera & iuris prudentia & sacrarũ literarũ peritia, proscindere non ueretur. Sed ne quis miretur hunc Gallicũ Censorẽ tam superbe proscindere & cõtemnere Italum istũ Senensem, audet impiũ & irrationabile illud propudium Galliæ quoq; Episcopos, cõterraneos suos, sine omni causa, ex mera superbia & linguę stylięq; sui procacitate, criminari atq; irridere. Sic enim ait in maledico contra Cõcilium Tridentinũ libro suo, dum præfatur inter cætera.

Calumniæ Caluini in Galliarum Episcopos

Proinde, si remoueas Concilij nomen, nihil nisi quisquilias fuisse, quicq d illic Episcoporũ fuit totus Papatus fatebitur. Verũ sua alijs Nationibus ornamenta libet intacta relinquere, GALLOS tantũ meos rogabo, ut quam ipsi contulerũt portionẽ, iusto precio æstimẽt. Inter primaria Ecclesiæ membra, Galliæ sane Regnũ numerãt. Illinc duo affuerũt Episcopi, Nenetẽsis et Claromõtanus, ambo æquè indocti ac stupidi. Obsecro uos Galli mei, quis uestrũ sibi persuadeat, á Spiritu sancto profecta esse, quæ uel innumera talium hominum multitudo effutuerit? Atqui ne prima quidem Theologiæ rudimenta duo isti, de quibus loquor, unq; gustarunt. Quám igitur misera Christianæ Ecclesiæ cõditio futura est, si pro oraculo habendum sit, quicquid ipsis ac paucis nihilo melioribus placuerit, &c.

In

In eo aũt libello, quem in Cęſ. Maieſtatis Edictũ audaciſsima rebellione & calumnia ædidit, cõtemptim breue dat reſponſum cõſuetę ſuperbiæ ſuæ (qua præ ſe cunctos contemnit) nominatim taxans R. D. ROBERTVM, Epiſcopũ Abrincẽſ. in Gallĩs, uirũ nõ ſolum Theologũ, uerũ etiam politioribus literis haud ignobiliter inſtructũ, ſic habet improbus Irriſor. *Vnde colligere (inquit) promptũ erit, bonũ ſeniculum umbræ ſuæ fruſtra iraſci. Sed hoc Sorbonico Doctori et Epiſcopo, minime ignoſcendum eſt, ut nugas á neſcio quibus cõfictas exagitando, orbem temere cõturbet, niſi forſan excipiat, quaſi priuilegio quodam licere et Epiſcopis ineptire, & Sorbonicis deſipere: Quia bonæ parti iampridem uſitatũ eſt. Porro librũ Epiſcopalem excutere, tametſi non eſt præſentis inſtituti, facere tamen nequeo, quin ex eo pauca delibem. Citãtur illic graues Authores, quorum & pondere obruantur, & ſplendore extinguantur, & maieſtate concidant omnes hæretici: Iuo Carnotenſis, Speculator, Abbas Panormitanus, Iſidorus, Thomas Aquinas, Bonifacius Papa, Nicolaus, & ſimiles. Quid ni? cum ex empticijs Speculatoris reſponſis oracula faciat. Quis tã bene inſtructo athletæ uictoriã non deſpõdeat? Ipſe uero, non expectato aliorũ plauſu, feſtiuis ſubinde acclamationibus Triumphum ſibi canit. Atq; ut Areopagũ ſuum compleat, Cochlæũ etiam illis adiungit: Qui cum omnes cochleas hebetudine ſuperet, quãto ſcilicet maſculum præſtare decet fœminis, uocatur hic ſagaciſsimus ſpirituũ diſcretor. Digni ſane ambo, qui mutuũ ſibi præconiũ cõmodent. Nam par Morionũ, ex tota Gallia & Germania, deligi aptius uix poterat* Hęc Caluinus petulantiſsime, contra ſummæ autoritatis publica ſcripta ſacri Cõcilĩ Generalis & ſacrę Cæſ. Maieſtatis, quæ meris ſycophãtĩs irriſionibuſq; & ironĩs, nõ minus ſeditioſe q̃ ſcurriliter illudit, ſine cauſa & ratione, ſine teſte & ſcriptura, ſumma cũ impudentia, cõtra omnẽ fidem & authoritatem ſanctorũ patrũ, quos ꝑuerſiſsima ſuperbia præ ſuo ingenio contemnit, atq; eorũ ſcripta peruertit, reĩcit aut omnino negat. Id quod ego lucide oſtendi multis exemplis in breuibus libellis, quos Moguntiæ anno ſuperiore contra furores & inſanas ſuperbias eius (licet occupatiſsimus) euulgaui: Vtpote libellum unũ pro Cõcilĩ Tridentini defenſione. Alium De INTERIM. Tertium De Autoritate Eccleſię & ſcripturę. Quartũ De ſacris Reliquĩs Chriſti & ſanctorum eius. At ſuperbiſsimus calumniator, deceptę incubans in urbe munita plebi (quam popularibus dementat cõcionibus, ac rhetoricis ſtyli ſui fucis & dicterĩs cõplices & ſciolos ſuos in hæreticis prauitatibus confortat) ſecure cõtemnit oĩa obiecta, quæcunq; pro ueritatis aſſertione in publicũ produxi, contẽptu mei & doloſa hypocriſi ſua, qua ſub alienis nominibus ſibi laudem & ſanctitatem arrogat, me aũt ſcurrilibus proſcindit figmentis. Nam ſicut in Quadrageſimali Francfordię mercatu, nequiter ſubornato Gallaſio mihi probroſe reſpondit: ita & in Autumnali nuper mercatu aliũ ſubornauit obſcurũ & improbũ Ne-

Conuiſia in Epiſcopum Abrincenſem.

Superba cenſura in non parui nominis Authores.

Libelli Cochlæi in Caluinum.

bulonẽ, nomine Theodorũ Bezam, qui puerili figmento in me Zographiam effinxit, ad Conradum Gesnerũ, uirũ sane multi laboris & uariæ lectionis: Qui etsi Caluinũ (ut est secta Zuinglianus) multis extollit laudibus, mei tamen nominis & aliquot opusculorũ meorum in Bibliotheca sua, prolixo & operoso uolumine, longe modestiorẽ facit mentionẽ, q̃ ut mihi persuadere queã, eius iussu aut approbatione tam scurrilem à Beza in me ad eum scriptã esse Zographiã. Ita enim habet Bezæ, uel sub ficto eius nomine Caluini Epistola. *Magnopere (inquit) Reipub. literariæ interesse puto, ut tam insignẽ bestiã aliquando extitisse, posteri quoq; intelligãt. Nec dubito, quin Gesnerus noster, qui animalium historiam fertur cõtexere, hanc uelut Appendicẽ suis ædificijs adijci facile patiatur. Id cum cæteris, qui aderãt, magno cum risu probatum esset, D. Caluinũ excipio, inquit, qui ut est modestia et probitate singulari, nihil aliud q̃s sanorẽ mentẽ isti Sycophãtæ precabatur. Et infra. Ita q̃s (inquit) ut aliquando tandem exordiamur, huic bestiæ caput est oblongum piramidali figura. Quale nimirũ Homerus Tersiti suo accõmodauit, molle ingenti & carnosa: Aures immensæ et plane Asininæ, ut si rotundum caput foret, nulli rei cõmodius comparare possis, q̃ Diotæ. Nam et hoc, si nescis (sed cui tãdem id esse potest ignotũ?) nõ tam plenũ est cerebri q̃s uiui. Sani quidem cerebri ne unciam quidem habet, ne forte in capite acuminato aliquid acuminis meesse cogites.* Pari deinde scurrilitate ac petulantia ludit prolixe in scholam Theologicã Parisiensiũ, fictitio & ridiculo quodam Edicto. Postea in me iterũ amarulento cõtemptu debacchãs, contumeliose cõtemnit & alios plerosq; summę et integritatis & eruditionis Theologos. *Degit (inquit) perpetuo in sterquilinijs imbellis et pilularius iste Scarabæus. Sterquilinia uoco, quæ Thomas, Scotus, Lombardus, Durãdus, Alexander, & cæteri eius farinæ scriptores cõgesserunt. In his conditus latet, suosq; abortus, hoc est, cacatas chartas (ut loquitur Catullus) facit.* Et infra. *Liceat igitur isti (siue Scarabæũ siue cochleam, siue alio quouis nomine uocare libet) cum impurissimo illo Catharino, & doctissimo illo suo Con. Bruno, nõ xij. tantũ, sed quotcũq; uolet, de Hussitis et Bohemis tractatus euomere. Liceat quantascũq; libebit, stercorũ strues, ex impurissimis Scholasticorũ nugis coagmẽtatas cõgerere. Liceat his basibus sacerrimi Concilij Tridentini, et Pacificatorũ Germaniæ Drecketa fulcire. Liceat in fastigio immensi istius ædificij, Pontificẽ ipsum Romanum collocare, seu triplici Tiara, ut olim Cerberus triplici capite formidabilem, seu linea sua tunica, ut Pythagoræi quondã, Dalmatica, cappa, stola, triplici cruce, pedello, crucigera crepida, cæterisq; suis impedimentis onustum: Addo etiam, sacrilego illo senatu stipatũ, cui & causias et amictum, nõ tam cocco rubentẽ, q̃s innocentissimorũ hominũ sanguine cruentum ipse perditionis filius diuendidit. Hæc, inquam, omnia isti liceãt: Nos interim*

Zographia Bezæ in Cochl. fol. 408.

Verba Zographiæ in Cochlæũ.

Conuitia in Scholasticos Theolog.

Catharin. & Brunus duo Mallei in hæretic.

Procacissimus contemptus.

Causia, tegmẽ capitis est.

terim cohærentis huius compagis ruinã, & omnia huiusmodi monstra, suo artificio oppressa, suauissime (ut par est) ridebimus: & postq̃ isti iusto Dei iudicio in certum exitium pergunt, Agno victori gratias agemus immortales. Sed age tandẽ ex his sordibus euadamus. Hæc sunt mi Gesnere, inquit, quæ hoc tempore putaui ad te perscribenda. At ego, Illustrissime Princeps, hæc Celsitudini tuæ, tanq̃ uiro grauitate & sapientia excellenter prædito, referenda puto, ut clarius inde intelligas, quid de Caluino, homine usq̃ adeo pestilẽte ac seditioso, & ab omni pietate Christiana prorsus abalienato, atq̃ iusto Dei iudicio in reprobum sensum tradito, sentiendum sit, & quantopere cauendũ ac prouidendum sit, ne tam pestilentes eius libri (in quibus ille rebus bonis: Ingenio, inquam, & eleganti stylo, pernicioſissime in scandalum & ruinã plurimorũ abutitur) in uicinas Ducatus Mediolanẽsis ciuitates importentur, per quos Catholici populi, prudentiæ & fidei tuæ cõmissi, possint non solum in fide & religione Christiana, quam Maiorq̃ suorũ exemplo hactenus perpetuo tenore custodierũt, subuerti: sed etiam ad rebellionem & ad res nouas atq̃ turbulentas periculose concitari. Nam in eo libro, quem recens ædidit contra Cæs. Mai. statis publicatũ Edictum (quod INTERIM uocant) circa finẽ ita increpat populos, qui pro nouo Euangelio nolunt commoueri & pericula subire. *Iam tempus (inquit) postulat, ut fidem nostrã, quam ante hac lingua & atramẽto fumus confessi, sanguine quoq̃ nostro obsignemus. Iam pridem, si rite profecissemus in Christi schola, debueramus in hac meditatione esse exercita-ti. Hoc enim primũ ueluti Tyrocinium est, quo suos erudit, ut seipsos abnegantes, tollentesq̃ crucem suam, ad mortẽ indefesso cursu properent. Nunc perinde noui sumus ad subeunda pro Euangelij testimonio pericula, ac si nullum unq̃ Filius Dei hac de re, quam assidue inculcat, uerbum feciſſet. Cum olim Caius Caligula statuã suam Hierosolymis in templo collocari mandasset, Iudæi undiq̃, quasi apum examina, non ut ui & manu impedirent tale sacrilegiũ, sed ut ceruices suas gladijs opponerẽt, pro uindicanda templi Maiestate, concursum ad Præsidem fecerũt. Neq̃ subitus ille animorum impetus fuit, qui statim resideret: sed quoties de templi prophanatione agebatur, innumera prope tam mulierum q̃ urorũ turba, sui obliti, alacriter se ad mortẽ offerebat, ut non nisi ad stragem corporũ suorum uia Idolo pateret. Et nos non lapideum iam templum, in quo Deus inuocetur, habentes, sed Filium Dei, in quo tota Patris Maiestas habitat, silentes ipsum patiemur adeo turpiter uiolari? Idolum enim erigitur, non quod externam sacrarij speciem deformet, sed quod totam Ecclesiæ sanctitatẽ inquinet ac peruertat: quod labefactet totum Dei cultum, nihil in religione nostra impollutum relinquat. Si ad propiora tempora descendimus, quot Martyrum Milia aduersus præsentissimos mortis terrores inuicta fortitudine perstiterunt? Quid de terroribus loquor? An non morte ipsa intrepide*

Risus iste dolore miscebitur, Proue. 14.

Verba Caluini contra Interim Cæs. Maiest.

Exẽplum à Iudæis contra C. Caligulam

Contra Cælarem Carol. V.

Exemplũ à Martyrib9 male usurpatum.

trepide testati sunt, aliam se uitã & quærere & certo sperare. Ac tunc quidem simul atq; exigua lucis scintilla hominibus emicuerat, totum cor inflammabat tanto cœlestis uitæ desiderio, ut uitam hanc facile mortemq; contemnerent: Nunc cum plenus intelligentiæ fulgor nobis illuceat, nihil fere cordis apparet. Et salutem speramus ex Euangelio, pro cuius ueritate asserenda, nemo uult periclitari. Itaq; hæc plus q̃ perfida ignauia, quam anni unius experimentum prodidit, documentum est nimis luculentum nostræ ingratitudinis: Vt iam non amplius quærenda sit ratio, cur in tot urbibus atq; Prouincijs, puritas Christianismi concidat. Cur enim inæstimabili Dei beneficio diutius fruerentur, qui pro nihilo ipsum duxerunt? Hæc ideo dico, ut quicunq; aliquo pietatis sensu tanguntur, quasi extenta Dei manu, ad mortẽ se uocari meminerint, ac ne animis deficiant, beatius multo sibi esse non dubitent, laboranti perculsæq; Ecclesiæ se ultro adiungere socios, quàm nimium sibi cauendo, priuatæq; tranquillitati cõsulendo, sortem appetere à filijs Dei segregatam.

Ingratitudo in nouis sectis.

Impium Euangelium Caluini, & aliud q̃ Lutheri.

Hæc & id genus plura seditionum incitamenta ibi Caluinus, sub scelerato falsi & noui Euangelij (quod mera est omnium errorum & impietatum, hæresumq; lerna & camerina) prætextu, contra Cęsarem nostrum (quem etiam Caio Caligulę nefandissimo Tyranno & Idolorum cultore, peiorem esse magisq; impium insinuat) in publicum effutire non ueretur: Vt Diabolico astu & prætextu Euangelij, religiosos Heluetiæ & Sabaudiæ populos, omni ueteris Ecclesiæ ritu & Sacramentorum thesauro despoliet, & animos eorum in Cæsarem, tanq; in Ecclesiæ & Euangelij, atq; adeo ipsius Filij Dei persecutorem inflammet, atq; in rebellionem seditiose concitet, atq; in certum exitium (sicut alijs contigit temporibus nostris, plærisq; ciuitatibus & populis) præcipitet. Sic & ex aduersa parte in Turingia, Misnia & Saxonia, seditiose clamitant Lutherani pro impio & falso suo contra eundem Cæsarem Euangelio: Cum tamen prudentibus & doctis uiris probe constet, non unum & idem Euangelium esse Luthero & Zuinglio. Qui etsi uno impietatis consensu contra ueterem & Romanam Ecclesiam & fidem, unà cum alijs nouis Suermeris uarijs & Anabaptistis, uociferãtur: Inter se tamen longo contentionis fune in diuersos sensus trahunt miseros à se deceptos populos, ut merito dubitent, cui nam parti fluctuantes adhærere debeant. Hæc enim sunt uerba Zuinglianorum ante Quatuor annos ædita.

Verba Zuinglianorũ cõtra Lutherum.

Prophetæ (inquiunt) & Apostoli, Dei gloriæ, non priuato honori, non suæ pertinaciæ & superbiæ studebant, sed & peccatorum salutem quærebant unice: Adeo, ut licet acrius nonnunquám uerbis inueherentur, in ipsa tamen acrimonia, paterni spiritus ingenium eluceseret. Lutherus sua quærit, pertinax est, insolentia nimia effertur, & confestim Sathanæ tradit, quotquot illius sententiæ non illico subscribere uelint. Et in omnibus

correptionibus

correptionibus ſuis, plurimum maligni ſpiritus, quám minimum uero amici & paterni ingenij deprehenditur. Sed & immania illa, quæ nobis (inquiunt) intentare conatur crimina, nullis unquam demonſtrationibus ueris probabit. Atqui hic uel officij ſui curam habere debebat Lutherus. Qui enim Chriſti miniſter eſt, Domini negocium ſolummodo agere debebat, & os ad diuini uerbi prædicationem á Domino purgatum, nequaquam tot ſordibus, Diabolis, conuitijs, & tanta fellis amarulentia ſcatere conuenebat. Paulus Apoſtolus cœlorum regno conuitiatores & calumniatores omnes excludit, & quales Chriſtianorũ ſermones eſſe deceat, diligenter docet. Ad hæc, Mundus per ſe non ocioſorũ modo, ſed & leuiſſimorũ uerborum, cõuitiorum, ſcõmatum, execrationũ, calumniarũ, obtrectationum & infamiarum, omnis deniq; obſcœnitatis totus plenus eſt. Lutherum ergo tam inſulſi ſoli ſalem eſſe decebat: Ipſe uero uel nimium amarulentiæ addit, uel conuitiando alijs exemplum præfert. Magna enim & plus ſatis magna eorum Concionatorum eſt copia, qui ex Lutheri libris, lædorijs & mordacibus, ingentem maledictorũ uim colligentes, eandem illam poſtea in publico ſuggeſtu, in miſerũ Domini gregẽ exonerant. Sordes Lutheri.

Hæc Celſitudini tuæ, Illuſtriſsime Princeps, ſyncera intentione ac bona fide ſuggero, ut piis & Catholicis populis tuis ſapienter proſpicias, ne per Caluini libros inſidioſe circumueniantur, & in fide ac debita obedientia turbentur, aut in ſuperiores ſuos nequiſsime uerbi Dei & Euangelij falſo prætextu, odia per calumnias & rebellionis fomenta concipiant. Bene uale, Generoſiſsime Princeps. Ex Vratislauia, Sleſiæ præcipua ciuitate. XV. Calendas Martij M. D. L.

Excuſum Moguntiæ apud S. Victorem, per Franciſcum Behem Typographum.

Laus & gratiarum actio Deo Opt. Max.



Exemplum ueri Pellicanum cernis amoris
Qui reficit pullos ipſe cruore ſuos.
Sic amor eſt Chriſti, qui nobis ſanguine fuſo
Reſtituit uitam, ac in cruce regna dedit.

3 Doct

2

ANTIDIDAGMA SEV CHRISTIANAE ET CATHOLICAE RELIGIONIS, per Reuerend. & Illust. dños Canonicos Metropolitanæ ecclesiæ Colonien. assertio, aduersus librum quendam uniuersis Ordinibus seu Statibus Diœcesis eiusdem nuper Bonnæ titulo Reformationis exhibitum, ac postea (mutatis quibusdam) Consultoriæ deliberationis nomine impressum.

DE ECCLESIAE CATHOLICAE DOctrina, & in quo illa contineatur.



Postolus ille Paulus ita scribit ad Corinthios: Laudo uos fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi uobis præcepta mea tenetis. Modo simili adhortatur & Thessalonicen. hisce uerbis: Itaq; fratres, state & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolã nostram. 2. Thessalon. 2. *1. Corinth. 11*

Ex quibus Apostoli dictis, inferũt ueteres sancti patres, cum primis uero S. Basilius Magnus ille, lib. de Spiritu sancto. cap. 27. & 29. ubi & allegat uerba illa Apostoli, quod dogmata quę in Ecclesia seruantur ac prædicantur habeamus partim ex conscripta doctrina, partim uero ex Apostolorum traditione ad nos delata in mysterio. Et addit consequenter, quod utraq; ad pietatem eandem uim habeant, nemoq; eis contradicat, qui uel modicam saltem Ecclesiasticorũ iurium experientiam habuerit. Si enim (inquit) aggrederemur consuetudines nullis scriptis proditas (uelut non magnam uim habẽtes) reijcere, imprudentes etiam ipsis principalibus Euãgelij partibus iniuriam inferremus: imo potius ipsam Euangelij prædicationẽ ad nudum nomen contraheremus. Et probat istud S. ille Pater q̃plurimis necessarijs Ecclesiæ Christi doctrinis & obseruationibus, quæ sola traditione & apostolica institutione, iam inde ad nos usque peruenerunt, cum earum nihil uspiam in sacris scripturis inueniatur disertis uerbis expressum: atq; inter plurima istius rei exempla, indicat & ipsam

Doctrina Eccles. non soli scripturæ, uerũ etiam uniuersalibus traditionibus innititur.

ipſam ſacræ fidei noſtræ principalem confeſſionem, qua credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, apoſtolica potius traditione, q̃ aperta & nuda ſcripturæ litera nos habere. Aſſerit pręterea Chriſtianum, & ſua ſententia plane apoſtolicum eſſe, conſtanter & integre perſeuerare, in iſtiuſcemodi Catholica, tametſi non ſcripta, traditione, ab apoſtolorũ tempore ſucceſſione, quaſi per manus acceptа, & uſu ſimul cum tẽpore progrediente per longã conſuetudinem Eccleſijs irradicatã. Cenſetq; hanc potiſſimũ rationẽ ſufficere ad cõfutandos hęreticos, qui eo tpe perſonã Spũs ſancti conabantur ab unitate ſanctiſſ. Trinitatis blaſpheme proſcindere. Vnde palam affirmat nobis, ſe uelle traditiones huiuſmodi uelut paternã quandã hęreditatẽ cõſeruare, pſeuerareq; in doctrina ab Epiſcopo ſuo, uiro qui longo tpe in miniſterio Dei uitã tranſegerit, per quem & baptizatus ſit, & ad Eccleſiæ adminiſtrationẽ promotus, accepta: pſertim ubi cõperiret beatos illos Patres, quotquot ipm pręceſſerant, qbusq; ſuę tempeſtatis hoies nullatenus cõparari quirent, in eadẽ cõſtitiſſe ſententia, ipſamq; cõmuniter cõprobaſſe. Qua etiã de cauſa, p fide Catholica tuenda, plurimos ueterẽ patrũ a primo Clemẽte Romano ad ſuam uſq; ætatẽ recenſet & allegat. Atq; illud demũ probatiſſimi fundamẽti loco habet, in quo utraq; Eccleſia, Orientaliũ & Occidentaliũ Patrũ inuicẽ conſentiũt. Nec agendũ cum eis arbitrat, qui huiuſcemodi uniuerſalẽ a ſanctis Patribus uſurpatã, tam longa conſuetudine confirmatã & in eccleſijs uſitatã traditionẽ reſpuunt. Hoc eñ reuera nihil foret aliud q̃ aduerſus uentum uociferari.

Concors totius Eccleſ. ſententia, tutũ præſidiũ ueritatis, & religionis fulcimen.

Perorationẽ iſtã ueterũ Patrũ, prope antiquiſſimus ſacer Dionyſius, is quem Areopagitam appellant, tpe apoſtolorẽ, longe ante Baſilium, indicauit lib. Eccleſ. hierarc. cap. 1, ad finẽ. ubi teſtat: Eloquia diuina duplicis eſſe generis. Nimirẽ quędã in ſanctis ac theologicis libris nobis cõmendata, & alia pręterea, quæ ex animo in animũ (medio intercurrente uerbo: corporali quidẽ, ſed q̃d carnis ſenſum penitus excedat) ſine literis tranſfuſa. Siquidẽ (ut conſequent ait) Primi illi noſtri ſacerdotales duces (apoſtolos intelligit) ſumma illa & ſupſubſtantialia, partim ſcriptis, partim nõ ſcriptis inſtitutionibus nobis tradiderunt. Sanctus quoq; Irenæus eandem ſententiam confirmat, libro contra hæreſes tertio: Quid enim (ait) & ſi de modica aliqua q̃ſtione diſceptatio eſſet: nõne oportebat in antiquiſſimas recurrere Eccleſias, in quibus apoſtoli cõuerſati ſunt, & ab eis de pſenti quæſtione ſumere quod certũ & re liquidiſſimũ eſt? Quid aũt ſi neq; apoſtoli quidẽ ſcripturas reliquiſſent nobis, nõne oportebat ordinẽ ſeq; traditionis, quã tradiderũt his qbus cõmittebãt eccleſias?

Quando ſuper doctrina diſceptatio oritur, recurrendũ ad Veteres.

Cui

Cui ordinationi assentiunt multi gentis Barbarorũ, eorum, qui in Christũ credunt, sine charactere uel atramẽto, scriptã habentes per spiritũ in cordibus suis salutem, & ueterum traditionẽ diligenter custodientes. Hucusq; Iræneus.

Ad eundẽ modũ docẽt antiqui patres oẽs. Tertullianus qui de p̃scriptionibus aduersus om̃es hæreses scripsit librũ propriũ. Athanasius in disputatiõe cõtra Arriũ. Origenes in li. Periarchõ. Epiphanius Cõstantiæ Cypri episcopus. Hic inter alia, contra hæreses lib. iĳ. Tom. 1. aduersus eos, q̃ se apostolicos uocarunt, ait: Oportet aũt & traditione uti. Nõ enim om̃ia a diuina scriptura accipi possunt, quapropter aliqua sacris scripturis, aliqua traditione sancti Apostoli nobis cõmendauerũt: quẽadmodum dicit sanctus Apost. Sicut tradidi uobis. & alibi: Sic doceo, & sic tradidi in Ecclesĳs, & si continetis, qua ratione prædicauerim uobis nisi frustra credidistis. Idem sanctus uir multas sine numero hæreses, præcipua uniuersalium traditionũ authoritate subuertit. Sed & B. Ioh. Chrysost. in p̃dictos Apostoli Pauli locos. 1. Cor. 11. & 2. Thess. 2. ita ait: Hinc patet quod non om̃ia per epistolã, sed multa etiã sine literis Apostoli Christi tradiderint: quod alibi sæpe meminit Apost. Eadẽ uero fide digna sunt tam illa q̃ ista, Itaq; traditionem quoq; Ecclesiæ fide dignam putamus. Traditio est, nihil quæras amplius.

Vide Vincentiũ Lirinensem, qui hac de re proprium opusculum scripsit.

Possent huic assertioni confirmandæ. S. Hierony. & multi alĳ Ecclesiæ Latinæ doctores adduci: at cæteris om̃ibus breuitatis gratia p̃teritis, incomparabilis doctor Aug. pro rerum istarũ illustratiõe accurate, pulcherrimeq; diuersis in libris discriminat, inter ueteres cõsuetudines, seu uisitatos in ecclesia mores, ita nimirũ: Interdũ inueniri alicubi putat consuetudinẽ aliquã in usu, quæ sacræ scripturæ cõperiatur directe, & palã contraria. Hic nosse oportet extra om̃em esse controuersiam non istiusmodi moribus, uerũ ei quod sacræ scripturę authoritas requirit, obsequendum esse. Dñs enim, nõ ego sum consuetudo, sed ego, inquit, sum ueritas, lib. iĳ. de baptis. contra Donatist.

Mens Augustini ex libris diuersis in ordinem digesta. Consuetudinũ quarum est in Ecclesia usus differentia.

Rursus esse & alias consuetudines indicat fidei catholicæ & scripturis nullatenus contrarias, easq; triplici forma uariatas.

Quædã enim tota per orbem frequentat Ecclesia, quæ similiter atq; illa quæ sacræ scripturæ præscribit authoritas obseruãda sunt. Nã q̃d est eiusmodi, quin ita faciendũ sit disputare insolentissimæ insaniæ est. Illa em̃ quæ nõ scripta, sed tradita custodimus, quæ quidẽ toto terrarum orbe obseruãtur, dantur statim intelligi, uel ab ipsis Apostolis, uel plenarĳs Concilĳs, quorũ est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata atq; statuta retineri. Sicuti quod dñi passio, & resurrectio, & ascensio in cœlũ, & aduentus de cœlo spũs sancti, anniuersaria solennitate celebrantur: & si quid aliud tale occurrerit, q̃d seruatur ab uniuersa qua-

Traditio uniuersalis.

cunq; se diffundit Ecclesia. Epist. 118. ad Ianuariũ, cap. 1. & 5. Qua-
lia sunt item (ut alibi testatur) obsecrationum sacerdotalium sacra-
menta, quæ ab apostolis tradita, in toto mundo atq; in omni catholi
ca Ecclesia uniformiter celebrãtur: ut legem credẽdi lex statuat sup-
plicandi, lib de Eccles. dogmat. cap 30. & 31. Alia quędam non to-
Traditio particularis. ta obseruat Ecclesia, sed per loca terrarum regionesq;, ad ædificati-
onem fidei & morum, secundum singularum ecclesiarũ speciales con
ditiones introducta & recepta, uariantur. De quibus ita censet: To-
tum hoc genus rerum liberas habet obseruationes, nec disciplina ul-
la est in his melior graui prudentiq; Christiano, q̃ ut eo modo agat,
quo agere uiderit Ecclesiã ad quãcunq; forte deuenerit: dum tamen
uelit, ne aut ipse cuiq̃ sit offendiculo, aut alius quispiã sibi. Hanc
doctrinam gaudet se a beato Ambrosio accepisse: & dicit se de hac
sententia etiam atq; etiam cogitantẽ, ita semper affectũ fuisse, tanq̃
eam cœlesti oraculo acceperit. Vnde queritur, cp sæpe dolens & ge-
mens multas infirmorũ perturbationes senserit fieri, per quorundã
fratrum contentiosam obstinationẽ, huic Ambrosianæ regulæ non
obtemperantium, & qui, nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existi-
mant. Epist. 118. ad Ianuarium, cap. 2. Tertio reperiuntur prætes
Traditio superuacanea. hæc & alia interdum in Ecclesia, quæ neq; sanctarũ scripturarũ au-
thoritatibus continentur, nec in Cõciliis Episcoporũ statuta inueniũ
tur, nec consuetudine uniuersę Ecclesiæ roborata sunt, neq; item no
tis & rationabilibus causis exigentibus alicubi instituta sunt: sed di-
uersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter uariantur, ita
ut uix aut omnino nunq̃ inueniri possunt causæ, quas in eis constitu-
endis hoies sequuti sint, & quorum obseruationes alioqui inutiles
sunt & infructuosæ: sicut quando non alio q̃ ad seruile grauamẽ po
puli Christiani tendunt. Hæc (ubi datur facultas) sine ulla dubitati-
one existimat resecanda, ut de quibus solis dixerit Christus: In uanũ
me colunt, docentes mandata & traditiones &c̃. Admonet tamen,
Tranquillitatis publicæ habendam rationem in abrogatione inutilium. prudenter & cum discretione talem resectionẽ fieri debere. Ipsa eñ
consuetudinis mutatio, etiam quæ adiuuat utilitate, nouitate pertur
bat. Quapropter quæ utilis non est, perturbatione infructuosa con
sequent noxia est. Atq; hinc fieri existimat, ut ecclesia Dei inter mul
tam paleam multaq; zizania constituta, multa toleret & dissimulet:
& tamen q̃ sunt contra fidem uel bonã uitam, non approbat, necta-
cet, nec facit. Epist. 118. cap. 5. & epist. 119 cap. 19. ad Ianuarium.

Istis consonant q̃ idem ille sanctus Pater ad Casulanũ scribit epi-
stola 86. In his rebus (inquit) de qbus nihil certi statuit scriptura di-
uina, mos populi Dei, uel instituta maiorũ, p lege tenẽda sunt. Atq;
in fine eius epist. Regulã quoq; beati Ambrosij, quę nobis supra cõ
memo-

memorata est, tanq̃ piam & salutarem doctrinã allegat. Et alibi dicit: Quod ueritati ad consuetũdinẽ accedente, ipsamq; stabiliente: sicut qñ cõsuetudo plenarij Cõcilij authoritate confirmat̃, ipsi cõsuetudini, tenacius, cõstãtiusq; nitendũ q̃ cuicũq; alioꝝ diuersę opinioni, li. 4. ca. 7. cõtra Donatist. Cõfirmat q̃q; hanc sententiã Canon Catholica, xi. dist. ex Aug. decerptus, qui ita habet: Catholica ecclesia p̃ orbem terraꝝ diffusa, tribus modis probat̃ existere: quicqd em̃ in ea tenetur, aut authoritas est scripturaꝝ, aut traditio uniuersalis, aut certe propria & particularis instructio. Sequit̃: sed authoritate tota cõstringit̃ (intellige ita totã authoritate constringi) ut nemini liceat priuato suo consilio, aut aduersus scripturam aut uniuersalẽ istiusmodi traditionẽ aliquã temere obniti: utraq; em̃ hæc authoritatis priuilegio pollent. Hinc eadẽ dist. ca. in hisce rebus, decernitur, q̃d sicut p̃uaricatores diuinarũ legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt. *Augustinus ad Casulanũ presbyterũ.*

Quanquã aũt ista sit doctrina, quæ diuinæ scripturæ per om̃ia conquadret, in lib. tñ p̃tensę reformatiõis multipliciter cõtrariũ eius docet.

QVID OBTENSAE REFORMAtionis liber aduersus hæc doceat.

PRincipio, q̃ præter doctrinã in prophetis & apostolis cõpræhẽsam, nihil certi de uoluntate Dei aut hoĩm salute, certo testimonio reuelatum aut traditũ sit. Et quod Ecclesia ei soli superstructa sit, quod in scripturis reperiatur expressum, nec aliud populo proponi debere. Quodq; omne aliud (tanquã pure humanũ) incertũ, inutile & noxiũ esse oporteat, etiã si ab eis tradatur, qui spiritu Christi multa cognouerint, & egregia, efficaciaq; testimonia reddiderint ueritati: propterea quod & de illis dictũ sit, Carnẽ & sanguinẽ Dei sapientiã percipere nõ posse, quodq; sensus carnis in eis permanens etiam ipsi Deo repugnet.

Cũ tamen Apost. Paulus longe aliter hac de re loquat̃. 1. Cor. 2. ubi animalem hoĩem spirituali per antithesim opponit. De illo quidẽ dicit, quod ea, quæ sunt spiritus Dei non percipiat: At huic securus & confidenter attribuit, quod sensum Christi, & norit & habeat.

Præterea cõtendit lib. iste, Scripturã abunde sufficere, ad docendum omnia ẽxacte & cõsummate, omnemq; errorem denudandum & remouendum. Folio primo & secundo.

Ad hæc toto fere libro, multæ Catholicæ institutiones, obseruationes & consuetudines à tempore sctõrum Apostolorũ in uniuersa Catholica Ecclesia usitatæ & traditæ, & per Cõcilia uniuersalia roboratæ. Similiter multæ particulares, sed salutares ordinationes in hac Archiepiscopali Diœcesi, à primis eius Episcopis, & doctoribus, Pastoribus, salubriter institutæ, & hucusq; pie obseruatæ, reijciuntur, permittiturq; unicuilibet pro libidine agere contrarium.

DE VERO INTELLECTV SACRAE Scripturæ.

Verus scripturæ intellectus in sola Ecclesia catholica quærendus.



Verbum Dei clarissime docet, uerum intellectum Sacræ Scripturæ in sola catholica Ecclesia quęrendũ esse: quam ob id B. Paulus columnã appellat & firmamentũ omnis ueritatis, 2. Timot. 3. Testatur quoq; Ephes. 4. propterea dedisse deũ ecclesię suę quosdã apostolos, quosdã aũt prophetas, alios uero Euãgelistas, alios aũt Pastores & Doctores: ut iam non simus paruuli fluctuantes, & circunferamur omni uento doctrinæ, in nequicia hominum, in astutia ad circunuentionẽ erroris. Quẽ locum B. Aug. post S. Irenæum ita intelligit, q; uerus scripturæ intellectus obtineatur per legitimã successionẽ Episcoporũ, & Ecclesiarũ ꝓpagationẽ, quarũ hęc ab illa doctrinã inuicẽ ordine acceperũt & cõsequuti sunt. Atq; huc spectat celebratissimũ illud eius dictũ: Euangelio non crederẽ, nisi me ad hoc catholicæ ecclesiæ authoritas compelleret. Ita alibi dicit: Eligo in his uerbis (de sacris scripturis loquit̃) hoc intelligere, quod omnis, uel pene oĩs frequentat ecclesia. Concilĩũ itẽ Meleuitanũ declarat nõ aliter intelligi debere q̃d Rom. 5. ait Apost. Per unũ hoẽm ꝑctm̃ in mundũ intrauit &c. nisi quẽadmodũ Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Istud longe antea docuit S. Clemẽs, B. Petri proximus successor, lib. Recog. 10. ad Iacobũ fratrẽ Dñi, Rufino presbytero interprete. ubi ait: Oportet ab eo intelligentiã discere scripturarũ, q; eã a maioribus scd'm ꝟitatẽ sibi traditã seruat. Ita docuerũt & reliq pr̃es oẽs: p̃cipue uero Irenęus, Tertul. Athanas. & Epiphan. Nec debet istiusmodi catholico, hoc ẽ uniuersali scripturæ intellectui, cuiusq; priuati hoĩs q̃tũlibet in scripturis ꝑiti & exercitati, sensus aut interpretatio p̃ponit: quẽadmodũ S. pater Augustinus libro 5. de Baptismo cõtra Donatistas tradit, ubi inter alia sic habet: Illa quæ scribit Cyprianus cum collegis suis, nullo modo præferenda sunt aduersus totius Ecclesiæ catholicæ consensionem. Ad hęc dicit se nequaq; ausurum fuisse pro indubitato tenere & docere, non esse rebaptizandos eos qui fuerant baptizati ab hæreticis, nisi ita edoctus fuisset uniuersalis Ecclesiæ authoritate: Cui & ipse Cyprianus libenter haud dubium cessisset, si ab ecclesia fuisset eius declaratio sua ætate facta. Quapropter si quando olim inter Catholicos & hæreticos concertatio de uero intellectu sacræ scripturæ oborta fuisset, in omnibus semper Concilĩjs ad eum consequendum, sursum diligenter inuestigabatur, quid Patres retro præcedentes, ad tempora apostolorum usq; senserint: id quod etiam Praxes & actiones Conciliorum satis manifestant.

Ad Paulinum.

Nullius hominis, q̃uis in scripturis exercitati, sensus, debet communi Ecclesiæ Catholicæ sensui præferri.

Atta-

Attamẽ hoc interim perpetuo fuit obſeruatum, ut tantũmodo de illorũ Patrũ ſentẽtia fieret inquiſitio, qui ante diſceptationẽ de rebus ipſis dẽ incorrupte, & in nullius partis gratiã ſcripſerant. Sicut legit Hiſtorię Tripart. li. 9. ca. 19. Quod ſequẽdi ſunt doctores q̃ ante diuiſionẽ floruerũt

QVID REFORMATIONIS liber iſtis tradat contrarium.

ADuerſus iſta, docet lib. obtenſæ Reformationis, quod ad ſolã ſeu nudã ſcripturã ſit recurrendũ, eiq; ſoli habendã eſſe fidẽ, Et quod prædicatores idcirco nihil omnino humanæ opinionis ſuæ doctrinæ debeãt immiſcere. Cũ ſit omnis homo mendax. Fol. 1. fa. 2. & fol. ſeq. Nihilominus aũt paſtoribus & prædicantibus facit poteſtatẽ ſcripturas declarandi & interpretãdi, & hoc per ſolã ethimologiã & collationẽ locorũ obſcuriorũ ad clariora. Diſſimulat uero & tacet de intellectu Catholicæ Eccleſiæ. Folio 4. facie ſecunda.

At lõge diuerſum docet Epiphanius ille, contra hęreſes li. 2. Tom. 1. contra apoſtolicos: Scripturæ (inqt) ſpeculatione quidẽ indigent & ſenſu, ad cognoſcendũ uniuſcuiuſq; propoſiti argumenti uim & facultatẽ. Sed & oportet traditiõe uti: Nõ enim omnia a diuina ſcriptura accipi poſſunt. Nec fruſtra dixit in epiſtola ſua apoſt. Petrus: Eſſe in B. Pauli ſcriptis quædã difficilia intellectu, q̃ indocti & inſtabiles deprauent, ſicut & cęteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem.

Vide Aug. de fide & operibus, ubi datur ratio, quare Petrus ſecundam, & Iacobus ſuam epiſtolam ſcripſerit.

DE SVMMA PRAEDICATIONIS Euangelicæ.

CHriſtus Ieſus doctrinæ & p̃dicationis ſuę ſummã tribus capitibus p̃cipuis complexus eſt. Nẽpe, ut nunciata primũ Iudæis & impijs gẽtibus in nomine eius Pœnitẽtia, eaq; inſinuata: Deinde remiſſiõe pctõrum per fidẽ & ſacramentũ Baptiſmi: Tertio demũ prædicaretur, poſt baptiſmum myſterium regni ſui, mãdata ſua, & quicquid ut doceret ſuis cõmendauerat. Ita nimirũ, ut mandatum Chriſti de p̃dicatione ea ſcilicet, quæ non primũ impijs, ſed regeneratis Chriſtianis poſt baptiſmũ fieri debet, huc potiſſimũ ſpectet, quo doceantur deinceps poſt regenerationis beneficium ſeruare, aſſiſtente tamen & cooperante ſpiritu ſancto, quẽ iam per fidem & ſacramentũ receperunt, omnia qũæ Chriſtus ſeruare p̃ceperat. Quẽadmodũ Apoſt. clare teſtat ad Heb. 6. ubi pœnitentię p̃dicationẽ appellat inchoationem tm̃ uitæ Chriſtianæ. Quapropter (inqt) intermittẽtes inchoatiõis Chriſti ſermonẽ, ad p̃fectiora feramur, non rurſus iacentes fundamentum Pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, Baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoq; manuum, ac reſurrectionis mortuorum & iudicij æterni.

Summa euangelicæ prædicationis, in tribus partibus conſiſtit.

Norma tiuendi fidelibus proponenda.

Huc etiã tota B. apoſtoli Iacobi epiſtola ſpectat, requirentis poſt fidem opera quibus perficiatur. ſed & omnium epiſtolarũ Pauli doctrina, ad Rom. præcipue, in qua ſummã Chriſtianæ religionis complexus eſt, ac ca. 12. & ſequẽtibus exigit, ut poſt p̃dicationẽ Pœnitentię & fidei, bonę uitæ p̃cepta Chriſtianis feruẽter & ſolicite imprimãtur. Ad eundẽ modum docet & S. Petrus Apoſt. 1. Pet. 2. & 2. Pet. 1. Imo Chriſtus ipſe in toto fere Euangelio, p̃ſertim Mat. 5. 6. & 7. Cui mandato antiqui ſancti patres obſequuti, hoc potiſſimum omni ſtudio ac diligentia curarũt, ut populũ credentem uitã docerent piam & Chriſtianã, per quã uti S. Ambroſius ait, certa fidei noſtræ ſpes obtinet, in epiſtola ad Roma. cap. 12.

QVO PACTO AB HIS DOCTRI-
na libri prætenſæ Reformationis diſſideat.

AT præſumptæ iſtius Reformationis liber, cũ hac forma prope nulla in parte concordat: Exigit enim, ut non illæ tantũmodo prædicatiões, quæ infidelibus, aut negociorũ fidei imperitis fiunt, uerum omnes in cõmune quotquot habentur in Eccleſijs ad populũ fidelem & iam baptizatum, ad hæc duo tãtum capita reducãtur: ad prædicationẽ uidelicet pœnitentiæ, & remiſſionis peccatorum. Fol. 7. fa. 1. & fol. 24. fa. 1. & 2.

Diſſimulanter autem præterit tertiũ illud, quod Chriſtus p̃cipue & diſerte præcepit fidelibus & baptizatis proponere, Mat. vlt. Docẽtes eos ſeruare omnia quęcũq; mandaui uobis. Et certe liber Reformatiõis iſtius, nõ alia forma cõpoſitus eſt, q̃ ſi nunc primũ ex recenti gentilitate & incredulitate ad Chriſtũ debeamus hac doctrina cõuerti, & hactenus non fuerimus Chriſtiani. Quanq̃ tamẽ non oppugnet hic, quin expediat etiã in omni prædicatione de Pœnitentia & remiſſione pctõrum populo inculcare ſermonẽ. Sed hoc tantũ, quod tertia illa p̃dicationis pars eſſentialis, quæ fideles præcipue concernit, hic ubi ſubſtantialia prædicationis capita recenſentur, præteritur neglecta.

DE RELIQVIIS PECCATI ORIGINA-
lis, & quid poſt baptiſmũ proprie pro peccato acccipiendũ ſit.

VErbum Dei expreſſe habet, q̃d dñs Chriſtus Baptizatos ſanctificet & mũdet, p̃ lauacrũ aquę in uerbo uitæ, ut exhibeat ipſe ſibi glorioſam Eccleſiã, non habentẽ maculam aut rugã aut aliquid huiuſmodi, ſed ut ſit ſctã & immaculata, Ephe. 5. Quẽadmodũ & Chriſtus ipſe de hoc loquitur, Ioh. 15. Iam uos mundi eſtis propter ſermonẽ quẽ locutus ſum uobis. Et Apoſt. 1. Corin. 6. Abluti inquit eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis, in nomine dñi noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri.

Ex iſtis

Ex iſtis plurimiſq; aliȝs ſcripturæ uerbis, ſemp docuit Eccleſia Catholica, Reſiduū originalis peccati poſt baptiſmum, qualis eſt, propenſio ſeu cōcupiſcentia carnis (proprie loquendo) non eſſe peccatū contra mandatū Dei: tametſi Apoſt. Paulus figurata loquutiōe reliquias illas peccatū appellet, Rom. 7. cū iſta tñ eius reſtrictione, q̄d nō ſit talis, propter quā dānationis aliquid reſideat in baptiſatis, q̄ non ſecundū carnē ambulāt, Roma. 8. Quo dicto luculenter ſatis indicat, reſiduū iſtud in baptiſatis, ſolū quale re ipſa eſt conſideratū, non eſſe uerū peccatū eius generis, quæ in Decalogo præceptorū damnantur. Id quod etiam S. pater Auguſt. lib. 1. de ſermone dñi in mōte teſtatur, ubi ita habet: Sane conſiderandum nobis eſt, quod non dixit dñs: Omnis qui concupierit mulierem. ſed qui uiderit mulierem ad concupiſcendū eam, id eſt, hoc ſine, & hoc animo attenderit, ut eā concupiſcat: quod iam non eſt titillari tentatione carnis, ſed plene conſentire libidini, ita ut nō refrenetur illicitus appetitus, ſed ſi facultas data fuerit, ſatietur. Nam tria ſunt quibus impletur peccatum, ſuggeſtione, delectatione & conſenſione.

In baptizatis originalis concupiſcentiæ fomes non eſt proprie peccatum.

Quid poſt baptiſmū ſit proprie peccatum.

Hinc lib. 1. contra duas epiſt. Pelagianorū, cap. 13. dicit: Quod non propter concupiſcentiā, cuius iam reatus lauacro regeneratiōis abſumptus eſt, dicunt in oratione baptizati: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. ſed propter pctā quæ fiunt, ſiue in eis conſenſionibus cū ab eo quodlibet uincitur, quod placet, ſiue cum per ignorantiam, malum quaſi bonum placet: fiūt autem ſiue operādo, ſiue loquendo, ſiue quod facilimum atq; celerrimum eſt cogitando.

Cōprobatur oñe iſtud luculentur per S. Iacobū Apoſt. 1. cap. Epiſtolæ ſuæ, ubi ait: Vnuſquiſq; tentat a concupiſcētia ſua abſtractus & illectus. Deinde concupiſcentia cū conceperit, parit pctm̄, peccatū uero cū conſummatū fuerit, generat mortē. Obſerua uerbū (deinde). Quē apoſtoli Iacobi locū, beatus Aug. in lib. allegato ad eundē modū interpretatur & citat. Scribit eandē ſententiā, & ad Selentianā, epiſt. 108. Itē ad Aſellicū epiſt. 200. & lib. 10. de Geneſi ad literā, ca. 12. q̄bus in locis teſtat mandatū Dei, nō iſtud, ne ſit in nobis carnis cōcupiſcētia dū uiuimus in hoc mortali corpore, ſed hoc exigere potius, ne dñetur deinceps in nobis. Et iſthuc ipſum eſt, q̄d idē ille S. Aug. in allegatis, aliȝſq; plurimis locis, & p̄cipue lib. de Spiritu & litera, ca. vlt. tradit. Duplicē eſſe iuſticiā. Vnā ex oñi parte cōſummatā, q̄ in uita p̄ſenti nō aſſequamur. Alterā uero miñorē & imperfectā, quæ nobis dū uiuimus cōpetat, & ut ſeruemus ſit p̄cepta. Habetq; pro confeſſo & indubitato, quod ſancti etiā in hoc mortali corpore ad tantā dilectiōem, qua certe maiorē in hac uita eſſe nō poſſe, dñs ipſe teſtatus eſt, ut animā ſuā pro fide, & pro fratribus ponerēt, potuerint quidē p̄uenire. Verū hanc nō eſſe excellentiſſimā illā charitatē, quā primū in cęlis, ceu pfectā iuſticiā cōſequemur.

Duplex iuſticia. Conſummata, futuræ uitæ. Imperfecta, præſentis temporis.

De

De quà(ut Tertullianus exponit)dixerit Apoſt.Gal.v.Nos autem ſpi
Tertul.de reſurrectione carnis. ritu ex fide ſpem iuſticiæ expectamus. Vult prẽterea ſctũs ille Augu
ſtinus,Deum primo ſuo mandato:Diliges dominum Deum tuum,ex
toto corde tuo,hoc ſolum exigere,ut talem conſtituamus animã huma
nam in hoc corruptibili corpore, quæ etſi nondũm illa ſupereminen
tiſſima perfectione charitatis Dei, oms motus terrenæ libidinis abſor
buerit atq; conſumpſerit,tamen in iſta minori iuſticia ad illicitum ope
randum eidem libidini nulla inclinatione conſentiat.Neq; enim ſi non
dum eſſe poteſt tanta dilectio noſtra, quanta illi cognitioni plenæ pfe
ctæq; q̃ in uita futura cõſequemur,debetur,iã culpæ deputandũ eſt.Cũ
ſit aliud totam nondum aſſequi charitatem,aliud nullam ſequi cupidi
tatem: eſſe uero tantum poſtremum iſtud dum uiuimus ad ſeruãdum
præceptum.Quanquam prẽterea uerum ſit,quod cum per legem(Nõ
concupiſces)infirmitatem noſtram cognouerimus, debeamus hocipſo
ſemper impelli ad implorandam Dei gratiam,ad inceſſanter repugnan
dum,& per gratiã reficiendum, quo perfectam illam iuſticiã poſt hãc
uitam in cœlis tandem conſequamur.Propter iam dictam iuſticiam,q̃
in hac peregrinatione per Dei gratiã obtineri poteſt, appellant quidã
in ſcripturis iuſti & pfecti,Eccle.xliiij.Enoch placuit Deo. Noe inuen
tus eſt pfectus & iuſtus.Itẽ Lucę 1. Zacharias & Elizabeth erant iuſti
ante Deũ,incedentes in oms mandatis & iuſtificationibus dñi ſine
querela.Sed quo modo?an erant prorſus abſq; omni pctõ? Non ſane.
Nullus em̃ ſanctus aut iuſtus (ut Aug.ait) caret peccato,nec tamen ob
id deſinit eſſe iuſtus uel ſanctus, cũ affectu teneat ſanctitatẽ: & ideo uc
raciter oms ſancti pronunciant ſe eſſe pctõres, quia in ueritate habent
q̃d plangant,etſi non reprehenſione conſcientiæ,certe mobilitate & mu
tabilitate præuaricatricis naturæ.De Eccleſ.Dogmatib.cap. lxxxvi.

Qua ratione Apoſt. fomitem in baptizatis nominet peccatum.

Iam licet S.Paulus ſicuti iam antea diximus inclinationẽ huiuſmodi,
ſeu concupiſcentiã in carne manentẽ appellet peccatũ,fit tñ illud (ut B.
Aug.teſtatur)Tropo quodã ſermonis.Nã ipſa(inquit) concupiſcentia
nõ eſt peccatũ in regeneratis, quãdo ei ad illicita opera non conſentitur:
ſed modo quodã loquendi pctm̃ uocatur. In primis ob id quod pecca
to(Adę nimirũ)facta ſit:qua loquẽdi figura,ſermonẽ Latinũ,linguam
appellamus Latinã,cũ non ſit lingua,ſed ea fiat.Deinde ob id etiam,qa
generat peccatũ, quãdo uictoriam obtinet: quẽadmodum frigus dicit
pigrũ,eo quod faciat pigros.At ſi proprie loquamur,non eſt peccatũ,
ſed tantũmodo mala quædã infirmitas,aut malæ qualitatis affectio q̃
dam cenſenda. Vide ipſum li.1.de nuptijs & cõcupiſc.ad Valerium ca.
23.25.26.27.Similia ſcribit ad Bonifaciũ quoq; lib.1.cap.13. Dicimus
Baptiſmus aufert uniuerſa peccata. Baptiſma dare omium indulgentiã pctõrum,& auferre crimina,nõ ra
dere.Sed cõcupiſcentia manẽs,ſi uocetur peccatũ,nõ utiq; quia peccatũ
eſt,ſed

eſt,ſed quia peccato facta eſt,ſic uocatur:ſicut ſcriptura, manus cuiuſq; dicitur,quod manus eam fecerit. Peccata autem ſunt,quæ ſecundū carnis concupiſcentiam uel ignorātiam, illicite fiunt,dicuntur,cogitantur. & ſequitur ibidem: Quoniā reatus eius generatione tractus,regenerationē dimiſſus eſt: ideo iam non eſt peccatū,ſed ſic uocatur &c. Quamobrem idē ille ſanctus Pater,li. 2. de meritis & remiſſione peccatorū cōtra Pelagianos cap. 28. ait: Cum in Baptiſmo reatus oīs ſit plenarie ſolutus,ſi continuo conſequatur ab hac uita migratio,non erit oīno quod obnoxium hominē teneat,ſolutis oībus quæ ipſum tenebant.

Eſt quidem uerū,Auguſtinū contra Iulianū lib. 5. cap. 3. ita ſcribere: Cōcupiſcentia carnis aduerſus quā bonus concupiſcit ſpiritus,etiā peccatum eſt: quia ineſt illi inobedientia contra dominatū mentis. Verum hic non dicit talem inobedientiā,in baptizatis prædomināte in eis mente,eſſe peccatū,quin potius aſſerit, concupiſcentiam malā quæ reliqua eſt,fieri nobis ex aliqua parte bonā, quando ei non aſſentitur. De nupt. & concupiſ. ad Valer. lib. 1. cap. 29. Sic contra eundem Iulianū toto fere libro ſecundo oſtendit,quod infirmitas iſta reſtans ſit illud cōtra q̄d debeant regenerati certare: uult enim affirmare nobis,quod quemadmodum, concupiſcentia infidelibus cauſa eſt aſſidue peccandi, ita præbeant eius reliquiæ fidelibus materiā, & exercitiū, gratia Dei adiuuante, uincendi & benefaciendi.

Fomes relinquitur perſeuerantibus in exercitiū uirtutis.

QVID REFORMATIONIS liber iſtis tradat contrarium.

VErum oblatæ reformationis liber, de rebus iſtis docet longe aliter: Ita nimirū: Si quis forte nihil iniqui animo deliberato cōcupiſcat, ſed habeat eius uel uolatilem tantum concupiſcentiam quandam, & experiatur in ſeipſo, quando proponit in omni mānſuetudine, ſanctitate & pietate ſe continere, repugnantiā aliquā, eſſe tunc etiam nudam iſtam, & ſolam concupiſcentiam coram Deo peccatum.

Item legem ita docere unūquemq;, nō modo homicidiū, adulterium & furtū eſſe peccatū, uerumetiā quod unuſquiſque, propter talem cōcupiſcentiam, quāuis ei non conſentiat uoluntas, ſit ipſe in conſpectu Dei homicida, adulter, & fur. Folio 39. facie 2.

Itē quāuis Deus forte cōcedat alicui, ut dominū tanquā Deū & unicū ſaluatorē noſtrū agnoſcat, & uera fide apprehēdat. Inſuper neq; uoluptate, neq; uerbis aut operibus, idololatriā, uel aliud quidquā, quo nomē domini prophanatur uerſet. Corde quoq;, ore & factis, omni pietatis officio uacet, ſeq; cōtineat, ad hæc ſe omnibus demittat, atq; etiā ad obſequtū, & Chriſtianā obedientiā ſe dedat, abſtineat quoq; ab omni ira & indignatione, ac omni indecentia, & immoderato exceſſu, ab omni auaricia, & cōmodo proprio, omni denique uana gloria, aut perfidia, ſicuti præcepta Dei exigunt.

Nunc

Nunc tamen talem nondum esse iustum, quam diu uel modicæ iniquitatis concupiscentia pulsetur aut oppugnetur, licet nunquam suggestioni consentiat, quin etiam licet istiusmodi concupiscentiam prauam & irritationē e corde continuo abijciat, aut aduersus eam decertet. Aut demum sit forte adhuc tædium, tarditatem, aut molestiam operi bono peragendo in se experiatur, quamuis nihilominus eiusmodi tædium, fugam & molestiam uincat, bonumque propositum perficiat. Fol. 37. facie 1. & sequenti.

Sequitur post hæc ibidem, quod nondum eminentem illam & perfectissimam erga Deum dilectionem, quam in altera uita primum assequemur, consequuti: Dum adhuc quæ Deus prohibuit nos infestant, totius legis transgressione teneamur. Quodque primum illud dilectionis mandatū ita nobis a radicibus imis, & perfecte satis proponat ob oculos, quam mala, peruersa & damnata sit tota nostra & natura & indoles. Loquitur autem eo in loco non de impijs nondum baptizatis, sed de regeneratis.

An per hæc nihil adimatur superabundanti illi graitæ Christi, agni scilicet Dei, qui tollit peccata mundi, Iohannis pri. & pfecte plenarieq; dissoluit opera diaboli, 1. Ioh. 3. Quiq; multo abūdātius dominat in credentibus ad iusticiam, quam peccatum antehac in incredulis ad iniusticiam prævaluerat, Roma. v. Qui etiam lege spiritus uitæ liberat credentes a lege peccati & mortis, Romanorum octauo.

Sic an non etiam hoc commento extenuetur uirtus baptismi, in quo mortui sumus peccato, Rom. sexto. & Christū ipsum induimus, Gala. iij. in quo denicq; plenam perfectamque remissionem peccatorum (quū hic omis inimicitia qua separabamur a Deo destruatur) consequuti sumus: quemadmodum beatus Augustinus lib. ij. de merit. & remis. pec. cap. xxvij. & xxviij. affirmat.

Vide Chrysostomū in 15. cap. 1. ad Corinth.

An quoq; non itidem bonitati creationis, originali peccato, nondū extinctæ penitus in nobis, tam contorta & intempestiua hyperbole irrogetur iniuria: præsertim cum dicat sanctus Augustinus: Caro nostra est bona, & ualde bona, & non est mala: ut uolunt Sethianus, Ophianus & Latricianus: nec mali causa, ut docuit Florianus: nec ex malo & bono compacta, ut Manichæus blasphemat, lib. de Eccle. dogmatib. cap. lxxvi. & lib. de natura boni, cōtra Manichæos. Hæc inquam omia ūnius cuiusq; Deum amantis Christiani est, secum bene expendere.

Et quo tandem ista eorum doctrina qui librum composuerunt, clementissimoque domino nostro cum informatione praua obtulerunt, alio poterit spectare aut pertinere, quam ut homines securi & negligentes red-

tes reddãtur? Enimuero cum audiunt, manere in ipsis peccatũ post Baptismum tam uere q̃ ante: Item q̃ propter illud ipsum aduersus Decalogũ præceptorum incessanter peccẽt: etiam si non accedat eorum uoluntas: quodq̃ hinc coram Deo sint homicidæ & fornicatores, q̃uis in hęc crimina nunq̃ consentiant. quid poterunt secum cogitare aliud, q̃ perinde esse, obsequundes concupiscentiæ uel non, necesse est te esse peccatorem, & quid magni est si uoluptati obsequaris eaq̃ fruaris? maxime cum certo scias, quod ubi saltem resipueris, & credideris modo in Christum, omne quicquid perpetrabis, ęque simulq̃ ut reliquias illas tibi non imputari.

De hoc probus quisq̃ Christianus dijudicet, dispiciatq̃ an non istud euentus quoq̃ passim ita fieri conuincant.

DE DISCRIMINE VETERIS ET Noui Testamenti.

NEmo de Veteris Nouiq̃ Testamenti discrimine disertius meliusve disseruerit, q̃ Spiritus ipse sanctus. Is itaq̃ per prophetam loquitur Hieremiã cap. 31. Ecce inquit dies ueniunt (dicit Dominus) & feriam domui Israel & domui Iuda fœdus nouum: non secũdum pactum quod pepigi cum patribus uestris, in die qua apprehendi manum eorũ ut educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. SED HOC erit Pactum quod feriam cum domo Israel, Post dies illos, dicit Dominus, dabo Legem meam in uisceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. *Propria Noui Testamenti descriptio.* Heb. 8

Discrimen istud S. apostolus Paulus eleganter & copiose explicuit ad Heb. 8. uidelicet q̃ Vetus Testamentum sit lex illa Dei scripta in tabulis lapideis, quam dedit Deus Moysi cum eduxisset filios Israel de Ægypto, propter quam pepigit cum Moyse & Israel fœdus illud quod habetur Exodi 34. ut qui seruassent legem, uiuerent in ea. Nouum uero Testamentum sit eadem illa lex Dei, scripta non in tabulis lapideis, sed in cordibus fidelium, per Spiritum sanctum. Sicut idem ille Apostolus etiam alibi dicit, 2. Corinth. 3. Epistola estis Christi, ministrata a nobis & scripta, non atramento, sed Spiritu dei uiui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. De priori Testamento scribit ad Galat. 3. Si data esset lex quæ posset uiuificare *Veteris Testamenti descriptio.* Leuit. 18

care,uere ex lege esset iusticia.Et iterum:Priusq̃ ueniret fides sub lege custodiebamur,concluſi in eam fidem quæ reuelanda erat:itaque lex pedagogus noster fuit in Christo. Quo in loco Apostolus proprium Veteris Testamenti opus,cuius gratia data erat,graphice artificioseq; describit: nimirum ut Iudæis ad bonum perficiendũ suã impotentiam manifestaret. id est, ꝙ ex se ipsis, proprijsq; suis uiribus boni (quod Deo placeret) nihil possent peragere: & hoc pacto ad Christum eos impelleret. De altero uero dicit:Deus fecit nos idoneos ministros Noui Testamenti:non litera,sed spiritu. Et lucidius adhuc discrimen istud indicat,in allegoria de duobus filijs Abrahæ, Galat.4.

Quid Paulus nomine Veteris Testamẽti significet.

Ex istis consequitur, ꝙ propheta Hieremias, & apostolus Paulus,ubi de Veteri Testamento agunt, non de fœdere illo gratiæ loquantur,quod pepigit Deus cum Abraham:siquidem hoc ipsum fœdus est Noui Testamenti,impletum in Christo, in quo benedicẽtur omnes gentes terræ: Sed loquuntur de lege quæ ab exitu de Ægypto quinquagesimo die in monte Sinai data est, cum dicat Propheta notanter & diserte: Non secundum testamentum quod feci cum patribus uestris,in die qua apprehendi manum eorum,& eduxi eos de terra Ægypti.In quo etiam Testamento patres nõ permanserint, quum eis propriam impossibilitatem nondum per ipsum agnoscentibus,absq; spiritu ad seruitutem,imo transgressio eius ad mortem cesserit.2.Corint.3. Quamobrem Hebr.8.ait Apostolus: Si prius illud culpa uacasset,non utiq; secundo locus inquireretur.Quę profecto uerba de fœdere cum Abraham pacto intelligi nõ possunt: ut beatus Iohãnes Chrysostomus in eandẽ ad Hebræos epist.testatur.

In quo Veteris & Noui testamenti differentia propric consistat.

Propterea beatus Augustinus libro de Spiritu & litera capite 25 dicit, Spiritum sanctum, cum Vetus Testamentum a Nouo uoluisset in Propheta discernere,nihil de sacrificiorum uel quorumcunq; sacramentorum commutatione dixisse, quamuis & ipsa sine dubio fuerat sequutura, sicut sequutam uidemus: sed tantummodo istam commendasse distantiam,quod leges suas daturus esset Deus in mẽtem eorum qui pertinerent ad hoc Testamentum. Neq; enim Spiritus sanctus(ut in caput 8.ad Hebræos scribit Chrysostomus) induceit differentiam præceptorum,sed modum dandi ostendit alterum: Non iam in literis(inquit)erit Testamentum,sed in cordibus.Ostendat hoc aliquis factum aliquando Iudæis: sed non inueniet. iterum enim in literis factum est post regressionem ex Babylone. Ego autẽ ostendam apostolos nihil accipientes scriptum, sed in cordibus accepisse

pisse spiritum sanctum. Hucusq; Chrysostomus.

Neq; tamen Chrysostomi uerba ita uelimus a quoq; accipi, quasi senserit, Patres in veteri Testamento saluatos, non recepisse eundē spiritum Dei quem habent in Christum credentes: quum dicat apostolus Paulus, nos habere eundem spiritum fidei cum illis, 2. Corin. 4. Verum hoc uoluit significare, Patres non recepisse spiritum illū uirtute aut donatione Testamenti Veteris. Id quod etiam Apostolus ita se habere testatur, Galat. 3. Hoc solum (inquit) uolo discere a uobis, Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?

Vnde consequitur, Testamentum Nouum a Veteri non secerni, neq; secernendum esse, per id quod Testamentum Vetus exteriores cæremonias & institutiones imposuerit olim, quarum nihil requiratur sit Noui Testamenti. Verissimum est enim, quod sicut Testamē tum Vetus suas quasdam Cæremonias ad Christum uenturum mittentes olim habuit, quæ tamen sint modo inutiles, ob id q; per Christum semel totæ sunt impletæ, & quasi umbra quædam lucis aduentu sublatæ: ita habet & Nouum Testamentum suas Cæremonias, q̄ nos eorum quæ per Christum gesta & iam impleta sunt, debeant cō monefacere. Ad hæc Nouum Testamentum habet externas suas institutiones, ad quarum obseruationem etiam per conscientiam obligamur: nisi forte per charitatem (quæ excedit omnem legem externorum) nobiscum dispensetur. Quemadmodum beatus apostolus Paulus 1. Corinth. 11. & in alijs plerisq; locis sedulo monet. Et prorsus uerum est, q; oporteat nos non modo seculari potestati, propter conscientiam, uerum etiam spirituali, quæ non minus a Deo ordinata est, obedire. Romanor. 13. Hebræor. 13. & docuit Christus ipse, Matthæi 23.

QVO PACTO AB HIS DOCTRINA libri prætensæ Reformationis dissideat.

Doctrina libri ab hoc prorsus discrepat: Contendit enim Testamentum Vetus a Nouo non discerni, in eo, quod illud litera, istud uero sit spiritus, quin potius hac in parte Vetus æquat Nouo: quippe quod astruat Vetus Testamentum remissionem peccatorum & communicationem Sancti spiritus, perinde continere atq; Nouum. Folio 18. fa. 2.

Ad hæc, fœdus illud gratiæ, quod pepigit Deus cum Abraham, fuerit idem cum eo quod postea pactus est cum Moyse in monte Sinai. Folio 29. facie 2.

Eodem errore dicit ibidem, q; discrimen fœderis quod pepigit Deus

cum Abraham & Moyse, ab illo quod per dilectum filium suum exhibuit, præter alias consistit in his rebus:

Primo, quod fœdus illud prius uocatione externa & manifesta tantũ cum semine Abrahæ, & populo Israel secundum carnem initum sit.

Quod quidem de fœdere in monte Synai cum Moyse pacto uerũ est, dicente Dauid: Non fecit taliter omi nationi, & iudicia sua non manifestauit eis, psal. 147. Sed non similiter de fœdere pacto cum Abrahã, Gene. 22. Cum fœdus istud expressis uerbis longius utiq; porrigatur: In semine tuo (ait Deus) benedicentur omnes nationes terræ.

Secundo uti liber ille habet, Differentia esset in eo sita, quod fœdere antiquo exegerit Deus obseruationes exteriores: nouũ autem testamentũ nihil requirat externi, præter paucas admodũ cæremonias, quas dominus ipse instituerit, utpote Baptismũ & Sacramentũ corporis & sanguinis sui. Quodq; testamentũ hoc liberauerit credẽtes ab oĩbus humanis præceptis seu traditionibus, pmiseritq; eos liberæ spiritus sancti directioni regendos, ita ut non sint amplius obligati homines ad humanas institutiones obseruandas, nisi quantum uoluerint se talibus ex corde & spiritu libero, sponte, non coacti ad ædificationem proximi submittere. Folio. 19. facie secunda, & seq.

Quomodo autem istud, cũ sacra scriptura & Patribus, q̃ discrimẽ proprium faciunt, rectecq; sunt assequuti, conueniat, scripturarum peritus quisq; poterit facilime dijudicare.

Sed authoribus libri, qui eum clementissimo domino nostro siniſtra cũ informatione obtulerunt, hoc agitur & quæritur, cupiunt externas omnes cęremonias, & usitatam in sancta Ecclesia consuetudinem, abrogatas: præter duo tantũ sacramenta, quæ tamen ipsa non permittunt fidelibus, quomodo tradidit ea hactenus & administrauit Ecclesia. Verum de hoc postea.

Vides folio 23. facie prima, quod prædicatores nullis rebus ad pædagogiam pertinentibus debeant homines onerare, quales (secũdum librum) sunt, omnes præceptiones de cæremonijs, oblationibus & festis, traditiones corporalium purificationum, delectus ciborum, omnesq; institutiones & formæ externorum iudiciorum & politiarum.

Vnde

Vnde licet animaduertere, quod prætensa ista Reformatio non ita æstimat opera exteriora & institutiones Testamenti ueteris, qua si fuerint tempore illo cultus quidam Dei, sed exercitium tantum fidei, illorum qui proprie intellexerint quo cæremoniæ illę spectarẽt. Est autem utiq; uerum, quod utrunq;, tam Vetus quam Nouum Testamentũ, tales cęremonias cultum appellitent Dei. De quo in Exodo, Leuitico, Numeris, & alibi plurima sunt testimonia: quin & Paulus apostolus ad Hebræos 9 ait: Habuit quidem & prius Testamentum iustificationes, cultum quendam & sanctum seculare &c̃.

Cæremoniæ legales fuerunt legis tempore cultus Dei.

Præterea uerum̃ est, quod Iudæorum̃ plebęi non omnia cęremoniarum significata intellexerunt. Hoc tantum scire debebant omnes quod uenturus esset Messias, qui eos liberaret, quodq; in nuda illa externa opera non esset fiducia locanda: nihilominus uero eas quomodo a Deo præceptę erant obseruarent, spiritu autem & ueritate, licet non intellectam legem prosequerentur. Quemadmodũ sanctus Basilius testatur: Magnus (enim inquit) ille Moyses non omnibus omnia templi loca peruia esse statuit: uerũ extra sacra septa prophanos locauit, prima atria purioribus permittẽs, solos Leuitas dignos ministros iudicauit: uictimas uero & holocausta, ac reliquam sacrorum celebritatem sacerdotibus assignauit, unumq; ex omnibus delectum in adyta admisit: & neq; hunc semper, sed una solũ anni die, atq; huius hora certa ad ingrediendum ipsi constituta. Lib. de spiritu sancto, capit. 27. Idem illud testatur sanctus Ambrosius quoque libro primo Officiorum capite decimo. Cæterum q̃ Iudæi cæremonias, quas propter obedientiam Deo præstandam obseruabant, non ad integrum & perfecte intellexerint, licet tempori eorum fuissent aptatæ, affirmat Paulus Apostolus ad Hebr. pluribus in locis, & præcipue capite nono, ubi ait: quod per tales obseruationes, quales erat quod solus pontifex semel tantum in anno introibat in sancta, significauerit Spiritus sanctus, nondum propalatam esse sanctorum uiam.

Plebs Iudæorũ cæremoniarũ significationem plerũq; non intellexit.

Liber ille præterea dictum illud Pauli: Lex pædagogus noster fuit, in Christo. torquet ad fideles, quasi præcipua legis functio sit, credentes tanquam eorum pædagogus quidam adducere Christo. Folio 28. facie. 2. & folio. 30. facie. 2.

An autem iste sit germanus eius dicti intellectus, ex ipsis

Pauli uerbis facile deprehenditur, Priusquam ueniret fides, inquit, sub lege custodiebamur, concluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat. Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide iuſtificemur. At ubi uenit fides, iam non ſumus ſub pædagogo.

At prætenſæ iſtius reformationis liber plane obliuiſcitur utilitatis eius, quam lex pro officio ſuo proprie debeat fidelibus ſubminiſtrare ac porrigere; Quod non eſt ut fideles per legem primũ cognoſcant peccata ſua, quibus iam mortui ſunt, aut ut irã operetur, a qua ſunt p̃ Chriſtũ liberati, nec denicꝫ ut ſit eis pædagogus iam primũ ad Chriſtũ, quẽ oportebat habitare modo in cordibus eorum per fidem. Cęterum proprium & erga fideles deſtinatum legis officiũ eſt, ut ſit eis in ſpeculum quoddam in quo ſeſe contemplentur, & quouſcꝫ iam uiuendi religiõe in charitate profecerint: ac rurſus ut ſit eis lumẽ & uia recta, in qua ambulare ſemperꝫ progredi debeant. Quod quidem legis munus ſapientiam præſtat paruulis, lętificat corda, & illuminat oculos, Pſalm. 18. Sic pſal. 118 Lucerna pedibus meis uerbũ tuũ, & lumen ſemitis meis. Depingit & alias quocꝫ pſalmus iſte functionem ſeu officium legis iucundiſſime ſimul & uenuſte.

Præterea liber iſte ita procedit, ac ſi ueteris teſtamenti obſeruatores, eundem cibũ ſpiritualẽ quem nos, eundemꝫ potũ nobiſcũ biberint & manducauerint. Et quaſi tantundẽ illi in ſuo Mãna, quãtum nos in digniſſimo corporis Chriſti ſacramento ſumimus, perceperint. Vide fol. 17. fa. 1.

Quod Catholici nequaquam admittunt. Vide Amb. in lib. de his qui initiantur myſteriis, cap. 9. & lib. 4. de ſacramẽtis, cap. 3. Et ſi cui libeat, is poterit inſignem illum & doctum Abbatem Tuitienſem Rupertum legere, lib. 3. de operibus Spirituſſancti, cap. 18. 19. & 20.

DE TIMORE SERVILI.

Timor ſeruilis utilis & bonus.

NOn inutilem eſſe timorem etiam ſeruilem teſtatur nobis ſacra ſcriptura, 3. Regum 21. Et ſancti patres, dictum illud Salomonis: Initium ſapientiæ timor domini. de ſeruili timore intellexerũt. Vide Auguſtinum in pſal. 127. Audiuut (inquit) hæc homines, & quia uere futura ſunt impijs, timent & continent ſe a peccato. Cum autem per timorem continent ſe a peccato, fit conſuetudo iuſticiæ, & incipit quod durum erat, amari, & dulceſſit Deus. Sequitur poſtea: Bonus eſt iſte timor: utilis eſt. non tamen permanebit in ſeculum ſeculi.

Et de

Et de tali timore haud dubium loquutus est Sanctus Iohãnes Baptista, quando dixit: Progenies uiperarum, quis uos docuit fugere a uentura ira? Iam securis ad radicem arboris posita est. &c. Et Dauid ille: Clamauerunt ad dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos, Psalm. 106. *Matth. 3.*

QVID OBTENSAE REFORMAtionis liber aduersus hæc doceat.

AT liber Reformationis cõtendit Iohannẽ Baptistã, dominũ ipsum, & apostolos, cum inciperẽt à Pœnitentiæ prædicatione, dicentes: Pœnitentiã agite. non sit resipiscentia ista aut timor intelligendas. Folio 24. facie secunda.

Constat satis hanc pœnitudinẽm seu resipiscentiam nõ sufficere. Potest tamen esse initiũ idoneum, ubi dñs gratiam suam simul contulerit.

DE POENITENTIAE prædicatione.

DE pœnitentiæ prædicatione non aliter docet liber, q̃ si nihil interfit, inter p̃dicationem pœnitentię, q̃ fieri debet ijs, qui primũ ex impietate ad Christianismũ uocantur, & illam q̃ fit Christianis, quando post baptismũ, aut iustificationem acceptã, denuo lapsi sunt in peccatũ. Quod certe non est ad amussim scripturæ dictũ: Quandoquidem prior pœnitẽtiæ p̃dicatio q̃ defertur infidelibus fieri debeat (uti liber iste non male fatet) propositione legis Mosaicæ uel legis ñaturæ, cũ primis uero abominationis, qua Deus peccatũ execratur, adiecta tamen doctrina, quod unica & sola peccatorum in infidelitate commissorum satisfactio, sit amara illa mors Iesu Christi nostri saluatoris. *Alijs aliter prædicandam pœnitentiam.* *Quæ pœnitentia ante baptismũ prædicetur.*

At uero p̃dicatio, q̃ impẽditur Christianis in pctm̃ denuo relapsis, fieri debet cõmemoratione & exercitatiõe potius spiritualis legis uitæ, q̃ nobis in Baptismo implãtata, per pctm̃ rursus supprimit, q̃ legis Mosaicæ ministerio. Perspecto, q̃ scriptura sacra Christianis post iustificationem prolapsis, non Moysen proponat ab oculos, uerũ potius uoce illa utitur: Memento unde excideris, & age pœnitentiã, & prima opera fac; sin aũt uenio tibi cito &c. Apoc. 2. Item qũo Paulus acclamat Galathas illos: O insensati Galathę, q̃s uos fascinauit nõ obedire ueritati? ante quorũ oculos Chrũs Iesus p̃scriptus est, & in uobis crucifixus. & ad Hebræos: Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione sub duobus aũt tribus testibus moritur: quãto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit? Hebræorum decimo. *Vide Amb. de pœnitentia lib. 2. ca. 11. Prædicatio pœnit. post baptismum.* *Galat. 1.*

Istiusmo-

Istiusmodi uocibus, admonitionibusq; spiritus Christi, debent ad resipiscendum rursus excitari, & reuocari credentes, qui peccato forte pręoccupati, & transgressione denuo obligati sunt: nō autem nuda Moysi lege, quam cum non ignorarent, aduersus eam nihilominus male commiserunt.

Ad hæc non debet Pœnitentia ista tam nuda & incompta prædicari, atque illa quæ ante baptismum exigitur. Obserua, absque omni nostra satisfactione. Sicut beatus Ambrosius in Epistolam ad Roma. cap. 11. de Pœnitentia ante baptismum, quę suscepto deinde baptismo, nullam reposcit satisfactionem: ideo quod gratia Dei in baptismate (inquit) non quærat gemitum aut planctum, aut opus aliquod, nisi solam ex animo professionem. Post Baptismum autē doceri debet quæ erumpat, confessione, satisfactione, solicito timore, ira & indignatione cōtra peccatum, spe ueniæ, emulatione, uindicta. 2. Corinth. 7.

Opera pœnit. necessaria, quanquam sola gratia dimittantur peccata.

Non quod rebus istis prōpter mērita earum, remissio peccatorum debeat adscribi, quæ soli precioso sanguini, ac merito Christi tantū feruntur accepta. Sed ut homo Christi per sanguinem eius redēptus, ac rursus in seruitutem peccati prolapsus, non cogitet sicut prius remissioni peccatorum iterum impetrandæ, ociosam & operibus uacuam resipiscentiam sufficere. Cæterum sciendum est ei & cogitandum, quod oporteat ipsum assidue apud Deum instare, ut spiritus rectus in eo innouetur. Cū hoc oportet, ut per opera pœnitentię & misericordiæ erga proximum contestetur, reditū suum minime ficticium esse, atq; ita per opera spiritus commissorum peccatorum immundiciam abluere. Neque tamen hoc per dignitatem talium suorum operum, sed merito sanguinis Christi, propter q̄d peccata remittūtur, & opera eiusmodi redduntur Deo in fide accepta.

Differentiam istam statuūt sancti Patres passim in suis scriptis. Beatus martyr Cyprianus in pluribus locis, & p̄sertim sermone. 1. de Elemosyna, ita habet: Multa & magna sunt fratres charissimi beneficia diuina, quibus in salutem nostram Dei patris & Christi, longa & copiosa clementia & operata sit, & semper operetur, quod conseruandis, ac uiuificādis nobis pater filiū misit, ut reparare nos posset, quodq; filius missus, esse & hominis filius uoluit, ut nos filios Dei faceret. Humiliauit se, ut populū qui prius iacebat erigeret. Vulneratus est, ut uulnera nostra sanaret. Seruiuit, ut ad libertatem seruientes extraheret. Mori sustinuit, ut moriens immortalitatē mortalibus exhiberet. Multa hęc sunt & magna diuinæ misericordiæ munera. Sed adhuc qualis, quidētia illa, & quanta clementia Christi, quod nobis salutari ratione prospicitur, ut homini

Ad obtinendam remissionem peccatorū post baptismum, non sufficit fides satisfactionis p Christum.

homini qui redemptus est reseruando plenius consolatur. Nam cũ dominus aduenies sanasset illa, quæ Adam portasset uulnera, & uenena serpentis antiqua curasset, legem dedit sano, & præcepit ne ultra peccaret, ne quid peccanti grauius eueniret. Coarctati eramus, & in angustũ innocentiæ præscriptione concluſi, nec habebat quod fragilitatis humanæ infirmitas atq; imbecillitas faceret, nisi iterum pietas diuina subueniens, iusticiæ & misericordiæ operibus ostensis, uiam quandam tuendæ salutis aperiret, ut sordes postmodum quascũq; contrahimus eleemosynis abluamus. Loquit̃ in scripturis Spiritussanctus, & dicit: Eleemosynis & fide delicta purgantur: non utique illa delicta, quæ fuerant ante contracta, nam illa Christi sanguine & sanctificatione purgantur. Item denuo dicit: Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatũ. Hic ostenditur quoq; & probatur, quia sicut lauacro aquæ salutaris gehennæ ignis extinguitur, ita eleemosynis atq; operationibus iustis delictorũ flãma sopitur. Et quia semel in Baptismo remissio peccatorũ datur, assidua & iugis operatio baptismi instar imitata, Dei rursus indulgentiam largitur. Et confestim post aliquanta subĩcit: Remedia propiciando Deo, ipsius Dei uerbis data sunt, quid deberent facere peccantes, magisteria diuina docuerunt. Operationibus iustis Deo satisfieri, misericordiæ meritis peccata purgari &c. Hæc sunt uerba sancti martyris Cypriani. Interim tamen ad ea quæ diximus, pius quisq; Christianus probe satis intelligit & nouit, quod satisfactiones operum nostrorũ, soli sanguinis Christi merito, per quem sumus in Baptismo abluti, niti & incumbere debeant: quam quidem baptismi purificationem, ubi fuerit per peccata maculata & collapsa, oportet nos per talia opera recuperare & restaurare. Ita docet etiã sanctus pater August. de negocijs istis in Enchiridio ad Laurentium, cap. 65. usq; ad caput 83.

Iohan. 5. & 8.

Restitutio donorũ baptismi, fit exercitio bonorũ operum.

Vtrum uero libri istius doctrina, huic Catholicæ Ecclesiæ doctrinæ sit conformis, unicuilibet in promptu est, ut deprehendat. Hoc uero indubitatum est profecto, quod sancti illi Patres, longo semper spacio secum iunxerunt conuersionem primam impĩj, ab ea conuersione, quæ est peccatoris post Baptismũ in peccatum prolapsi, inter quas tamẽ liber Reformationis istius, nullum facit discrimen. Aufert enim etiam post baptisma omnes humanorum operum satisfactiones, per quas certe ubi post baptismũ lapsi fuerimus, uiolati baptismi uirtutes in nobis denuo resuscitare debemus & restaurare. Atq; huc proculdubio spectat illud Tertulliani, & post Tertullianum sancti Hieronymi dictum: Pœnitentia secunda post naufragiũ tabula, & quod sanctus ille Cyprianus ait, lib. 1. epist. 3. Quod oporteat satisfactionibus & lamentationibus iustis delicta redimere, & uulnera lachrymis abluere. Et rursus Epistola 14.

Aliter conuertendum impium, aliter peccatorem Christianum.

libro 3. Possunt agentes pœnitentiam ueram, Deo patri ad misericordiam precibus & operibus suis satisfacere.

DE IVSTIFICATIONE NOSTRA.

Triplex est iustificatio.

Prima iustificatio fit in baptismo.



Sacra scriptura docet nos de triplici hominis iustificatione. Principio de iustificatione, qua increduli, impij, & qui hactenus inimici Dei fuerũt, & in summa, quotquot a matris utero in peccato originali nati sunt, primum & recenter in homines pios & Dei amicos, per sacrum baptisma regenerantur. Huic iustificationi scriptura sequentia quatuor capita includit:

Primũ, remissionem & ablutionem peccatorum, per imputationem iusticiæ Christi.

Alterũ, reconciliationem cum Deo, & assumptionem in filios adoptionis per regenerationem.

Tertiũ, renouationem spiritussancti, quam is facit per diffusionem charitatis in corda nostra.

Quartũ donationem uitæ æternæ, cuius per iustificationem hæredes efficimur secundum spem.

Spiritussanctus datur in prima iustificatione, qui spiritũ nostrum renouet.

Quæ omnia sunt tãquam essentiales quædam partes, primæ & principalis iustificationis nostræ. ita ueritas ipsa Christus de hac loquitur, Iohannis tertio: Amen amen, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest uidere regnum Dei. Et iterum: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, nõ potest introire in regnũ Dei: Quod natum est de carne, caro est, & quod natũ est ex spiritu, spiritus est. Sic Iohannis 4. Qui biberit ex aqua, quã ego dabo ei, non sitiet inæternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitã æternã. Similiter Iohannis septimo: Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

Apostolus itẽ Paulus ad Romanos. 8. Qui autem spiritum Christi non habet, hic non est eius. Item: quicunque spiritu Dei agunt, hi sunt filij Dei. Ac rursus: Spiritum accepistis adoptionis, in quo clamamus: Abba pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Si autem filij & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autẽ Christi. Eadem docemur, his quæ ad Corinthios scribit primo ad Corinthios sexto: Abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis in no-

in nomine domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri.

Item .2. ad Corinthios 3. Epistola estis Christi, ministrata a nobis, & scripta: non atramento, sed spiritu Dei uiui. Quo & illud pertinet ad Galatas quinto: In Christo Iesu, neque circuncisio ualet aliquid, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur: cui tamẽ opponendum est quod habetur Ephe. primo: Credẽtes signati estis spiritui promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionẽ acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. & ad Titum tertio: Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis spirituſſancti, quem effudit in nos abunde. *Spirituſſanctus datur in pignus.*

Ea quæ diximus (uerbum præterea Hieremię, pauloante (ubi de nouo Testamento agebatur) citatum) luce clarius demonstrat, in quo uelut digito ostenditur, ꝙ lex Dei cordibus hominum inscribatur, quæ certe non est postrema substantialium partium noui testamenti, atque adeo iustificationis, qua fœdus nouum pangitur. Et ad hanc scripturæ normam, tam Orientalis quam Occidentalis ecclesiæ patres, de iustificatione nostra semper loquuti sunt & docuerunt. Augustinus toto fere libro de spiritu & litera. Item de peccatorum meritis & remissione, libro primo, cap. decimo, ubi ita ait: Legimus iustificari in Christo, qui credũt in eũ, propter occultã cõmunicationẽ & inspirationẽ gratiæ spiritalis, qua quisque adhæret dño unus spiritus est. Et in lib. de natura & gratia, capite. 63. Ex qua fide (inquit) etiam ante eius passionem iustos uixisse non dubium est, qui præstat spiritũ sanctũ, qui datus est nobis, per quẽ diffunditur charitas in cordibus nostris, qua una iusti sunt, quicunꝙ sunt iusti. Reliquas patres breuitatis gratia prętermimus. Cętetum prima ista iustificatio, haud dubiũ sola gratia & misericordia Dei, per fidem dona ista apprehendentem, impetratur. Atꝙ hoc nemo ibit inficias.

Secundo, meminit scriptura iustificationis cuiusdam, quam non per solam fidem consequimur, sed etiã per opera. Ista enim sunt clara, utiꝙ & diserta Apostoli Christi uerba: Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum. Docet autem scriptura de huiusmodi iustificatione hoc pacto: Quod in prima iustificatione idcirco largiatur nobis Deus excellentissima illa (quæ diximus) sua dona, remissionem peccatorum, adoptionem filiorum Dei, renouationem spiritus, & uitæ æternæ hæreditatem, ut deinceps adiutorio spiritus Christi habitantis in nobis, omnem impietatem & secularia desideria abrenunci- *Quæ iustificatio fiat per opera. Iacobi 2.* *Ad quid detur spiritus sanctus.*

antes, sobrie, iuste, & pie uiuamus erga Deum, proximũ, & nos ipsos, & in hoc itinere semper progrediamur. Ad Titum 2. Æmulantes & soliciti, ut in omni opere bono abundemus. 2. ad Corinthios nono: Quę præparauit Deus, ut in eis ambularemus, Ephes. 2. Quamobrem ubi post regenerationem hoc pacto ambulauerimus, non iam sola fide iustificamur, uerumetiam per opera. de qua iustificatione scriptũ est Apocalypsis uicesimosecundo: Qui iustus est iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.

Credimus enim, quod post acceptam Baptismi gratiam, omnes baptizati Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem animę pertinent, possunt & debeant, si fideliter laborare uoluerint, adimplere. Augustinus de Ecclesiasticis dogmatib. capite 50. Atque ad hanc sanctificationem in primis frequentius sacris literis admonemur. 2. Corinth. leptimo. 1. Tessalo. 4. 2. Tessal. 2. 1. Thimot. 2. 1. Petri. 3. & pri. Iohānis tertio. Atq; ita fides operibus consummatur. Iacobi secundo.

Voluntatis bonæ instinctus est a Deo.

Nihilominus quam diligentissime ad hæc nobis inculcat scriptura sacra, ut ne ita de nobis cõstituamus, quasi post regenerationem idonei & sufficientes simus a nobis ipsis, tanquam ex nobis cogitandi aliquid, sed omnem sufficientiam nostram ex Deo esse. 2. Corinth. tertio. Atque ut fateamur omnia opera nostra bona, esse gratuita quædam Dei dona, & fructus spiritussancti, ad Galat. 5. Et quãquam opera nostra quadãtenus sint causæ crescentis istius iustificationis, meriti etiam apud Deũ, non temporalium modo, uerumetiam spiritualium bonorum, imo & uitæ æternæ: Hoc tamen non prouenire ex propria eorum sufficientia, quin potius clementia & dignitate Dei, qui ex mera illa quam nõ promeremur bonitate, dona sua coronat in nobis: ut testatur beatus Augustinus. Et alibi lib. 14. de Trinitate, cap. 15. Homo (inquit) accepit iustitiam a Deo, propter quam beatitudinem accipere mereatur. Et in eodẽ capite pauloante hunc locum: Et quid faciet (ait) mentem aliquam beatam, nisi meritum suum, & præmium domini sui?

Iustificatio quæ fiat p opera pœnitẽtiæ.

Tertio scriptura commemorat perpetuam quandam, & necessariam iustificationem, quæ in hoc consistit, ut pro quotidianorum delictorum uenia consequenda, cum omnis uita & conatus noster quamdiu in hac carne ambulamus, defectui subiaceat (ut interim de hoc taceamus, quod nemo in hac uita (excipimus tamen cum Augustino immaculatam genitricem domini nostri Mariam) sit liber a peccatis. Quemadmodum sanctus ille Apostolus Iohannes, pri. Iohannis primo ait: Si dixe-

Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & ueritas in nobis non est) Deum in uera fide per Christū sine intermissione inuocemus. Hoc fit, quando quotidie cum amara cordis cõtritione & gemitu, quotidianos nostros defectus & peccata coram Deo plangimus, eumq; oratione Dominica pro remissione delictorũ nostrorum obsecramus: & hac uia eam iustificationem quæ semper nobis necessaria est, & quam iterum atq; iterum sitire debemus & esurire, impetramus. De qua beatus Iohannes apostolus in loco iam citato ait: Si cõfiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Perpetuam istam semperq; necessariam iustificationẽ significauit Christus in lotione pedum apostolorum suorum, Iohannis 13.

Tres istas iustificationis formulas explicuit & notauit (quanquã paucioribus uerbis) sanctus pater Augustinus, libro contra Iulianũ secundo, circa medium: Iustificatio (inquit) in hac uita, secundũ tria ista confertur: Prius lauacro regenerationis, quo remittuntur cuncta peccata: deinde congressione cum uicijs, a quorum reatu absoluti sumus. Tertio dum nostra exauditur oratio, qua dicimus: Dimitte nobis debita nostra &c. Quoniam quamlibet fortiter contra uicia dimicemus, homines sumus. Dei autem gratia sic nos in hoc corruptibili corpore adiuuat dimicantes, ut non desit propter quod exaudiat ueniam postulantes. Hucusq; Augustinus.

Porro conuersio eorum qui post Baptisma non in quotidiana tãtum peccata, uerumetiam in grauiora crimina inciderunt, habet aliã præterea rationem propriam: Sicut uidere licet apud sanctos Patres, & partim articulo præcedenti de prædicatione Pœnitentiæ ex Cypriano & Augustino commonstratum est.

PER QVAS CAVSAS IVstificemur.

PRoditum est etiam deinde sacris literis, per quas causas secundum omnem modum iustificemur. Hic tamen primum nosse oportet, prępositionem (Per) in materia ista iustificationis, non eodem modo semper accipi, sed secundum causæ cui præponitur naturam. Quod per exempla manifestabimus:

Per, in scripturis non eodem modo accipitur.

Scriptura testatur nos iustificari secundum triplicem istum

iustificationis modum: Per solum Deum. intellige tanquam per unicam causam operantem & efficientem.

Causa efficiens iustificationis.

Causa meritoria iustificationis.

Modo simili tradit nos iustificari absq; ullo operum nostrorum merito, sed per solum Christum: intellige tanq̃ causam meritoriam, eo quod ipse sit iustificationis nostræ author, eamque apud patrem promeritus sit & impetrauerit.

Causæ dispositiuæ & susceptiuæ.

Vtitur autem Deus & dominus noster Iesus Christus in operatione iustificationis nostræ medijs quibusdam, quibus partim præparamur & disponimur, partim uero iustificationẽ recipimus, tanquã causis dispositiuis & susceptiuis: per fidem uerbi Dei, operantis in nobis ueram contritionem & pœnitentiam, aliaq; præuenientis gratiæ opera, iustificamur tanquam per causam quandam præparatiuã & dispositiuam: Per fidem autem, qua absque dubitatione firmiter confidimus, nobis, qui ueram peccatorum pœnitentiam habemus, peccata nostra propter Christum esse dimissa, (de quo tamen oportet intrinsecus per fidem Spiritussancti testimonio testificatos nos esse) iustificamur tanq̃ per causam susceptiuam. Ad Romanos quarto, ad Galathas tertio, Actuum decimo.

Causa formalis iustificationis.

Eodem modo iustificamur a Deo iusticia duplici, tanq̃ per causas formales & essentiales. Quarũ una & prior est consummata Christi iusticia: non quidem quomodo extra nos in ipso est, sed sicut & quando eadem nobis (dum tamen fide apprehenditur) ad iusticiam imputatur. Hæc ipsa ita nobis imputata iusticia Christi, præcipua est & summa iustificationis nostræ causa, cui principaliter inniti & fidere debeamus. Aliter uero iustificamur formaliter, per iusticiã inhærentem: quæ remissione peccatorum simul cum renouatione Spiritussancti, & diffusione charitatis in corda nostra, secundum mensuram fidei uniuscuiusq;, nobis donatur, infunditur & fit propria: atq; ita per fructus spiritus exercetur, efficiturq; in nobis propria quædam iusticia, qua afficiamur. Cui tamen inhærenti iusticiæ (quod sit imperfecta) non innitimur principaliter: sed ea tanquã interiori quodam experimento certificamur, nobis (qui talem renouationem spiritus nostri in nobis sentimus & experimur) remissionem peccatorum factam, & Christi consummatam iusticiam nobis imputari, atq; ita Christum per fidem in nobis habitare.

Causa finalis.

Cęterũ, causa finalis iustificationis nr̃æ nemini ẽ ignota, quũ ad hoc po-

potissimum a Deo iustificemur, ut simus in laudem gloriæ ipsius, Ephe. pri. & obtineamus in Christo salutem animarum nostrarum & uitam æternam, pri. Pet. primo & tertio.

Ex quibus perspicue apparet, ꝙ licet fidei tribuatur, nos per eã tanquam causam dispositiuam & receptiuam, & de interiori renouatione spiritus aut charitate Dei dicatur recte, nos per ipsam, tãquam causam formalem & essentialem, tametsi non potissimam iustificari: nihilominus tamen hoc loquendi modo, non asscribimus, neꝙ fidei, neꝙ charitati, efficientiam iustificationis, quæ soli competit Deo: non etiam meritum eius, quod soli debetur Christo, nõ fidei aut charitati, aut ulli aliarum uirtutum, tametsi omnes gratuita quædam Dei dona sunt. Sed confitemur hæc esse media quædam, quibus operetur Deus in nobis suam iustificationem: Quemadmodum de manu eleemosynariꝫ aut pꝛiꝫ uiri dicimus, huius manus succurrit pauperi: cum manus sit instrumentum tantum succurrentis, & nisi moueatur ab agente principali, ociosa est & nulla. Interim tamen non ignoramus, nos nulli aliꝫ merito, præterquam solius Christi, neque itẽ ullæ aliꝫ iusticiæ, quam iusticiæ Christi, sine qua omnino nulla est iusticia, tanquam fundamento fidei nostræ, inniti debere. Quanquam oporteat nos interim, internæ illius renouationis, quæ fit per charitatem, quam spiritus sanctus in corda nostra diffundit, tanquam arrabonis, aut certe experientiæ impetratę remissionis peccatorum, & imputationis iusticiæ Christi, rationem habere.

Quatenus fides et charitas iustificent hominem.

DE DVPLICI FIDVCIA, siue certitudine habenda.

DVplicis fiduciæ meminit scriptura sacra. Quę sunt: fiducia remissionis peccatorum & fiducia bonæ cõscientiæ. Prior illa fidit & innitit, prorsus soli & unico domino Iesu Christõ, & eius meritis. De hac scribitur Actorum decimo, & ad Philippenses tertio.

Fiducia remissionis peccatorum.

De altera uero fiducia bonæ conscientiæ, ita pri. Iohannis tertio dicitur: Filioli, non diligamus uerbo neque lingua, sed opere & ueritate. In hoc cognoscimus, quod ex ueritate sumus, & in conspectu eius suadebimus corda nostra. Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia.

Fiducia bonæ conscientiæ.

Charissimi

Chariſſimi,ſi cor noſtrū non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum,& quicquid petierimus,accipiemus ab eo, quia mãdata eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram ipſo facimus. Et iterū: Qui ſeruat uerbum,uere in hoc charitas Dei perfecta eſt. In hoc ſcimus,quoniã in ipſo ſumus. Itẽ,qui manet in charitate,manet in Deo, & Deus in eo. In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum,ut fiduciam habeamus in die iudicij. Sic 2. Corinth. 1. Gloria noſtra hæc eſt,teſtimoniū conſcientiæ noſtræ, ꝙ in ſimplicitate cordis & ſyncerítate Dei, non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei cõuerſati ſumus.

1. Iohan. 2.

1. Iohan. 4.

Fiducia bonæ conſcientiæ habenda cũ fiducia remiſſionis peccatorum.

Vtrunꝙ fiduciæ genus, tractant paſſim & conferunt inuicẽ ſancti Patres: e quibus Chryſoſtomus ille in .1. caput. Matthæi, homilia 5. ita ait: Vnuſquiſꝙ noſtrū,nulla in re alia ſpem ſuam,niſi poſt Dei miſericordiam, in morū ſanctitate conſtituat. Et paulo infra: Fiduciam bonæ conſcientiæ colligamus. Et hoc eſt quod uoluit primus Apoſtolorum Petrus, ubi poſt ſedulam admonitionẽ bonorum operū, ita ait: Quapropter fratres magis ſatagite,ut per bona opera certam uocationem ueſtram & electionem faciatis.

Quo populus docẽri debeat de fiducia bonæ conſcientiæ.

Quãpropter ſicut ſanctis Patribus uiſum fuit, populus debet de duplici iuſticia,ut ꝙ inuicem cõnectantur, & una alteri ferat teſtimoniū, diligenter & appoſite edoceri. Quemadmodū ſanctus pater Bernardus uenuſte & pie docet ſermone de annũciatiõe,& in ſermone de quatuor modis orandi. Cuius uerba hoc loco, breuitatis cauſa non adducimus: nec pluribus neceſſe eſt, quū ſcriptura ſacra, his de rebus perſpicua ſit omnibus. Apoſtolus Paulus remittit Corinthios pro ſumendo experimẽto huiuſcemodi fiduciæ ad ſeipſos: Voſmetipſos,inquit, tentate fratres,ſi eſtis in fide. Ipſi uos probate: an nõ cognoſcitis uoſmetipſos, ꝙ Chriſtus Ieſus in uobis eſt? In ſumma, uerus Chriſtianus debet omnẽ fiduciam remiſſionis peccatorū, ſtatuere in ſolum Chriſtū. Ac ſimul debet fiduciam iſtiuſmodi facere certã & indubitatam,fiducia bonæ conſcientiæ. Chriſtus ſolus eſt medicus noſter,a quo ſolo ſanitas ſperanda, expectanda & petenda eſt. At ſi uolumus experimẽtum certū ſumere, utrū eam uere receperimus an non,oportet profecto,ut conſcientiã noſtram examinemus & probemus, faciemuſꝙ quod ait dominus: Surge,tolle lectū tuū & ambula. Quemadmodum pius ille Bernardus in ſermone de quatuor modis orandi,hanc rem pulcherrime proſequitur,

HVic uniuersali & Christianæ de iustificatione doctrinæ, non consonat liber ille. Quod enim supra ostendimus, scripturam sacram triplicem iustificationem innuere, docet liber esse unicam tantum sitã, in remissione peccatorum, & imputatione iusticiæ Christi. Fol. 42. fa. 2.

Item ubi ex scripturis ostenditur summam iustificationem complecti in se quatuor essentiales partes, uti supra explicuimus: Vult liber, eam duas tantum continere, utpote remissionem peccatorum, & imputationẽ iusticiæ. Sic ubi scriptura requirit, ut iuxta fiduciam habendam in iusticia Christi, populus proxime doceatur habere etiam certitudinem bonæ conscientiæ. Vult liber, ut quum iusticiam Dei urgemus, omnino caueamus ne corrumpatur. Quod ita exponit, ut persuadeatur hominibus, ne bonorum operum fiduciam habeant. Folio 43. facie 1.

Quod non recte dicitur, si modo utraque fiducia populo considerate & apposite proponatur: quod ipsum uetat liber fieri.

Sequitur enim folio 44. fa. 2. & 45. fa. 1. q fiducia illa, intellige, quæ est in nudam misericordiam Dei, excludat aliam omnem fiduciam bonorum operum, & dicit nos fiducia bonorum operum reddi incertos, ac in perpetuam dubitationem & execrationem à Deo conijci, atque in ea manere, ita ut ueram inuocationem Dei retinere nequeamus.

Cum tamen doceat scriptura eius contrarium, nimirum ut uocationem nostram firmam & certam faciamus per bona opera. Quemadmodum supra ex prioris epistolę Iohan. cap. 3. & 4. copiose probatum est, & per innumeros alios scripturæ locos probari potest. 2. Petri 1.

Quos uero fructus, horrore & desperatione plena ista doctrina, plerisq; in locis ediderit, res ipsæ loquuntur, & sole clarius uniuersus aspicit orbis.

DE BONIS OPERIBVS.

ITeradit sacra scriptura, q præter decẽ illa præcepta, quibus Deus opera illa bona, quæ ab oẽibus exigit summatim cõplexus est, sint & alia quędã opera bona, ipsi multo gratissima & acceptissima, ut uidere licet Mat. 19. Mar. 10. & Luc. 18. ubi legitur; q dominus adolescentulo interroganti: Quid boni faciã, ut uitam habeã æternam? respõderit: Si uis ad uitã ingredi, serua mandata. At uero cum Adolescens enumeratis mandatis uicissim ad hæc Christo respondisset: Oẽia hæc custodiui a iuuentute mea, quid adhuc mihi deest? Iesus Non omnia opera bona præcepta.

(ut Marcus ait) intuens eum, dilexit eũ, & dixit ei: Vnũ tibi deest, uade, quæcunque habes uende, & da paũperibus, & habebis thesaurũ in cœlo, & ueniens sequere me.

Relinquere temporalia.

Simile est huic, quod Mat. 19. ait Christus: Sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorũ. Qui potest capere capiat. Quod Paulus exponit & ait: Bonũ est homini mulierẽ non tangere. Item: Volo omnes homines esse, sicut ego sum. Item, dico autem non nuptis & uiduis, bonũ est illis si sic permanserint sicut & ego. Et iterũ: De uirginibus præceptũ domini non habeo. Consilium autem do, tanquam misericordiam cõsecutus a domino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem. Quoniã bonum est homini sic esse. Ad hæc: Volo autem uos sine solicitudine esse. Qui sine uxore est, solicitus est quæ sunt domini, quomodo placeat Deo. Qui cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi. Et sequitur: Porro hoc ad utilitatem uestram dico: non ut laqueum uobis iniiciam, sed ad id quod honestum est, & facultatem præbeat sine impedimento dominum obsecrandi. Itẽ, qui statuit in corde suo firmus non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ uoluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare uirginem suam, bene facit. Igitur qui iungit matrimonio uirginem suam bene facit, & qui non iungit, melius facit.

Perpetuo continere

1. Cor. 7.

Præterea dominus Matt. 6. hortatur, ut coram patre cœlesti, qui in abscondito est, & uidet in abscondito ieiunemus: Redditurum enim illum. Sic Lucæ 10. ad Martham ait: Martha Martha, solicita es, & turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium, Maria optimam partem elegit, quæ nõn auferetur ab ea. Quemobrem etiam Eusebius libro 9. histo. eccles. cap. 10. de primis Ecclesiæ patribus ita ait: Sapientes uero & eruditi uiri præferebant eos, quibus pura uita ac syncera simplicitas offerendi Deo hostias, maiorẽ fiduciã dabat. Et S. pater Aug. extollit uitã sanctorum Anachoretarum, Heremitarum & Monachorũ supra uitam cõmunem: & reprehendit eorũ opinionem, qui putabãt eos plus iusto se ab humanæ uitæ conuersatione separare, libro pri. de moribus Eccles. Cathol. cap. 31.

Ieiunium.

Cura audiendi uerbi, et res sacras procurandi.

Marci 12. laudat Christus magnifice uiduam illam pauperem, quæ duo minuta in Gazophilatium miserat (cedebat autem istiusmodi oblatio ad templi ruinas restaurandas) dicens: Vidua hæc & pauper, plus omnibus misit, qui miserunt in gazophilatium: Omnes enim ex eo, qd abundat illis miserunt, hæc uero de penuria sua, omnia quę habuit misit totum uictum suum.

Collatio in restaurationem Ecclesiarũ & uasorum.

Matthæi

Matthæi. 26. Cum mulier illa effunderet alabastrum unguenti præcioſi in caput Chriſti recumbentis in menſa, & indignarentur diſcipuli de unguenti profuſione, dicerentq; : ut quid perditio hæc? potuit enim iſtud uenundari multo & dari pauperibus, ſciens Ieſus, ait ad eos: Quid moleſti eſtis huic mulieri? Opus enim bonũ operata eſt in me. Quod dictum Chriſti ſanctus Hieronymus contra Vigilantium, indigne ferentem, luminaria & candelas in honorem ſanctorum martyrum accendi, allegat, aitq; : Cauſabantur quõdam & Apoſtoli, quod periret unguentum, ſed domini uoce correpti ſunt: neque eñ Chriſtus indigebat unguento, nec martyres lumine cereorum, & tamen illa mulier in honorẽ hoc Chriſti fecit, deuotioq; mentis eius recipit. Et quicunq; accendunt cereos, ſecundũ fidem ſuam habent mercedẽ, dicente Apoſtolo: Vnuſquiſque in ſenſu ſuo abundet, Roma. 14. Hactenus Hieronymus.

Cui conſonat, quod ſanctus ille Iohãnes Chryſoſtomus, in uerbum illud Chriſti, Væ uobis Scribis & Phariſæis, quia ædificatis ſepulchra prophetarũ, & ornatis monumenta iuſtorũ, Matt. 23. ſcribit: Eccę qui martyria ædificant, eccleſias eorum ornant, bonum opus facere uidentur: ſed ſiquidem & alias iuſticiam Dei cuſtodiant, ſi de bonis eorum pauperes gaudent, ſi aliorũ bona per uiolentiam non faciunt ſua. Scito, quia ad gloriam Dei ædificant. Et paulo infra: Si iuxta alia bona opęra, ædificia ſancta fecerit homo, additamentum eſt bonis operibus.

QVID OBTENSAE REFORMAtionis liber aduerſus hæc doceat.

ADuerſus omnia hæc docet liber Reforma. Illa ſola eſſe opera bona, quæ in decalogo præceptorum mandata ſunt, quodq; de reliquis omnibus operibus ſcriptum ſit: fruſtra me colunt mandatis hominũ. & quod contra talia agitur non eſſe peccatum. Folio 45. fa. 1. & ſeq.

Item dicit nos (dum ita ut diximus, ſentimus) affligere & torquere nos ipſos, & alios quoque falſis peccatis, qualia ſunt (ut aiunt) ſuperſtitioſa uota, peregrinationes, ſpecialia ieiunia, oris confeſſio, inutilis delectus ciborum, abſtinentia ab ijs rebus, quibus permittente Deo poſſet homo & deberet frequentius uti. Fol. 29. facie 1.

Ad hæc, q; ieiunare in ſe conſideratum non ſit opus bonum, & nõ debeat cuiquam per homines imponi. Fol. 67. facie 1.

Item eſſe ſuperſtitioſum, uelle ieiunio aliquid à Deo demereri.
Eſſe præterea ſuperſtitioſius impium & peruerſum ſacrificium uelle

DE PRÆMIO BONORVM OPERVM.

Deo bona offerre temporalia, pro extruendis aut dotandis, illustrandis, decorandis Ecclesijs, altaribus, monasterijs, & quicquid impensarum in ligna, lapides & ossa irrogatur non placere Deo, & abarcendos à talibus homines. Omne denique quod non conferat hominibus esse ingratum Deo: nec placere Deo, ampliare Ecclesias, aut aliter ædificare, uel ornare, quàm ad hoc solum, ut habeat populus decentem conueniendi locũ, pro audiendo uerbo, & percipiendis Sacramentis. Folio 71. & seq.

Et huc fortasse spectat, quod folio tertio facie. 2. dicit, prædicationem uerbi non alligãdam loco aut tempori. Item q̃ dominus Christus orauerit in montibus & hortis. Folio 64. facie prima.

DE PRAEMIO ET RETRIBVtione operum bonorum.

CHristus dñs noster bonis operibus credẽtium uitã promittit æternam, Matt. 19. Vbi Petro scisitanti & dicenti: Ecce reliquimus omnia & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Respondit Iesus: Amen dico uobis: Oñis q̃ reliquerit domum, uel fratres, aut sorores, aut patrẽ, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitam æternã possidebit. Eodem capite, Adolescens quidam (uti antea citauimus) interrogat: Quid boni faciam, ut habeam uitam æternam? Respondit ei Iesus: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Ita legitur Marci uicesimoquinto: Venite benedicti patris mei, possidete paratum uobis regnum a constitutione mundi: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. &cæt. Sic Romanorum secundo: Reddet unicuique secundum opera eius: His quidem, qui secundum patientiã boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærentibus, uitam æternam. Innumera sunt testimonia, quibus ista fides confirmatur: quæ tamen ipsa sicut ante præmonuimus, intelligi debent. Ita nimirum q̃ Deus bona opera remuneret, uita æterna, ex gratuita dignatione suę clementiæ.

Vita æterna præmium bonorũ operũ.

Qualia uero de meritis & remuneratione bonorum operum liber ille tradat, studiosus lector passim in eo facile comperiet.

DE CATHOLICA Ecclesia.

Baptista

BAptiſta ille Iohannes pulchra ſimilitudine Eccleſiã nobis effigiat, ubi ipſam aream facit, in qua triticum & paleæ ſimul congregata ſeruentur, uſq; ad repurgationem, Matthæi 3. Lucæ 3. Modo ſimili Chriſtus dominus comparat eandem agro ſeminato bonis frugibus & herbis malis. Item reti iacto in mare, & tam bonos q̃ malos piſces ſimul collectos complectenti, Matthæi 13. Sic Matthæi 25. aſſimilat ipſam decem uirginibus, quarum quinq; prudentes fuerint, quinq; uero fatuæ. Et uiti præterea, quæ iuxta palmites uiuos, & aridos contineat. Iohan. 15. Ac Paulus de aridis iſtis & emortuis membris dicit, q̃ ſpeciem quidem habeant pietatis, uirtutem eius autem abnegent. Ex quibus uerbis ſancti Patres uiſibilem iſtam Eccleſiam, hoc modo definiunt: quod ſit cõgregatio & communitas quę- dam hominum uocatorum tranſeuntiumq; in unam quandam communionem externæ confeſſionis, unius fidei, unius doctrinæ, eorundemq; ſacramentorum, ſecundum apoſtolicam & catholicam traditionem, in uno eodemq; indiuiſo uinculo pacis & concordiæ.

Deſcriptio uiſibilis Eccleſiæ.

Ad hæc uſque tempora de Sacramentis, quæ ſunt notæ quædam & ſigna, quibus Eccleſia catholica dinoſcitur, ita traditum fuit:

Primum, q̃ ſacramenta ſint inuiſibilis gratiæ ſigna uiſibilia, quæ a Chriſto, aut apoſtolis ex ipſius mãdato, inſtituta, recepimus, & traditione traditioni ſuccedente, hactenus conſeruamus: quodq; ſint eorum ſeptem præcipua: Baptiſmus, inſtitutus a Chriſto, Matthæi 28. Confirmatio, a Chriſto ante aſcenſionẽ ad cœlos promiſſa, poſtea uero in die Pentecoſtes reddita, Lucæ 24. Act. 1. Sacramentũ corporis & ſanguinis ſui, quod & ipſum ipſe inſtituit, Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22. 1. Corinthi. 11. Sacramentum pœnitentiæ, ſiue abſolutionis, quod inſtituit Matthæi 16. & 18. & Iohannis 20. Sacramentum Ordinationis, quod tradidit, ut Paulus teſtatur ad Epheſios 4. & alibi præterea approbatur, Marci 10. Lucæ 9 & 10: præcipue autem Matthæi 26. Marci 14. & Lucæ 22. Sacramentum Matrimonij, quod ad eum ſtatum quem in paradiſo habebat, rurſus reuocauit & reduxit, Matthæi 19. Et Sacramentum ſacræ unctionis infirmorum: cuius habemus exemplum Marci 6. Inſtitutionem uero expreſſam apud Iacobum apoſtolum capite 5. ſine dubio factam mandato Chriſti: Quum apoſtoli non fuerint auſi aliquid eorũ loqui quæ per eos non efficeret Chriſtus, aut de quo Chriſtus nihil mãdaſſet: ſicut teſtatur apoſtolus Paulus Roman. 15. & 1. Corin. 7.

Septem iſta Sacramenta, ſemper in uſu fuerunt in Eccleſia,

tam Orientalium q̃ Occidentalium Patrum. Id quod etiam Græci in nouissimo Concilio Florentino, sub Eugenio, cõfessi sunt, se a maioribus septem tradita sacramenta suscepisse: ut Acta Cõcilij, & insignis ille atq; eximie doctus Bessarion, Constantinopolitanus Patriarcha, testantur.

Quum autem sacramenta & eorum uniformis usus atq; administratio, certum quoddam signum sint uisibilis Ecclesiæ, sacris Canonibus, atq; etiam magno illo Concilio Lateranensi, in quo Orientales cum Occidentalibus sub Innocentio tertio congregati fuerunt, sancitum fuit & declaratum, eos qui de sacramento corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, de Baptismo, de Confessione, de Matrimonio, aut reliquis alijs sacramentis aliud opinantur, aut non uerentur aliter docere, q̃ sancta apostolica credat & doceat Ecclesia, pro hæreticis habendos, aut uinculo anathematis, perpetuæ scilicet maledictionis, obligatos. Quomodo etiam sanctus pater Augustinus dicit, q̃p contemptus sacramentorum sacrilegos faciat. Item q̃p scismaticorum & desertorum propria fere natura sit, se uento superbiæ & nimia leuitate a catholicæ Ecclesiæ consuetudine separare, & proprios sacramentorum ritus erigere.

Ab Ecclesia esse alienos qui aliter q̃ ecclesia de sacramentis docent.

Ad hæc quatuor signa seu notæ, qbus Ecclesia uera certo cognoscatur, e scriptura colliguntur, & sunt ista: Primum signũ, sana doctrina Christi, secundum uniuersalem apostolicæ & catholicæ traditionis intellectum. Alterum, rectus & uniformis usus sacramentorum. Tertium, uinculum unitatis & pacis. Quartum uero, uniuersitas: quia uidelicet diffusa est Ecclesia, & diffundi atq; ampliari debet, per omnia loca, ad fines usq; orbis terrarum. Iam sicubi forte non inueniantur hæc signa quatuor, aut sint qui de eis aliter doceãt, aduersum tales indubitanter pronunciatur, ipsos ad catholicam illã uisibilem Ecclesiam non pertinere. Quum ut beatus pater Augustinus, de tertio præsertim signo dicit: Si quis a catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se uiuere existimet: hoc solo scelere (quod a Christianitate seiunctus est) nõ habebit uitam, sed ira Dei manet super eum. contra Manichæos, & habetur ca. Si quis a catholica, 23. quæstione 4.

Quatuor signa uisibilis Ecclesiæ.

Sola separatio ab ecclesia peccatũ est

Reformationis liber non est ex parte ulla huic dogmati cõformis. Primum enim definit Ecclesiam uisibilem talibus uerbis: quod sit cõgregatio illorum qui uerbum Dei nobis per Christum & apostolos commẽdatũ ueraciter credunt, & per spiritum sanctum sunt regenerati. Fol. 56. fac. 2.

Quæ descriptio tãtum uiua membra Ecclesiæ complectitur: imo uerius descriptio est inuisibilis illius Ecclesiæ. Et licet in dicto Reformationis libro, sequatur statim eius talis explicatio (*Quod in hac congregatione nihilominus maneant in hac uitâ multi, qui non sunt regenerati, & peccatis contra conscientiam propriam obnoxij,*) Patet tamen hanc explicationem præcedentibus in definitione uerbis plane aduersari. Si enim Ecclesia uisibilis est congregatio illorum tantũ, qui uerbo Dei ueraciter credunt, & per spiritum sanctum sunt regenerati, quomodo possunt in eadem illa cõgregatione esse & manere plurimi, qui & non sunt regenerati, & peccant assidue contra ipsorum conscientiam?

Liber prætensæ Reformationis ponit tria signa, quibus putat Ecclesiam cognoscendam: Cum tamen tertiũ eorum cum primo plane sit idem. Fol. 58. fac. 1.

Primum enim facit ueram doctrinam esse signum. Tertium, eius confessionem: quæ quid est aliud? Eorum uero quæ nos tertio & quarto loco posuimus, & non immerito cẽtrum & cardo in quo res ista uersetur, æstimari possint, prorsus non meminit, scilicet sunt signa quibus Hæretici & distinguantur ab Ecclesia, & plane cognoscantur. Siquidem, ꝙ neq; ueram doctrinam, neq; rectã administrationem sacramentorum habeant, non uidentur sibi conuinci posse: At uero ꝙ uinculum unitatis cum Ecclesia catholica per totum orbem diffusa non seruant, inficiari non possunt.

Præterea liber ille aliter de prioribus duobus signis loquitur q̃ Ecclesia cathol. Hæc em̃ uult scripturã intelligi debere secundũ traditionem & intellectum uniuersalis Ecclesiæ: de quo in libro silẽtiũ est. Similiter Ecclesia Catholica unitatem exigit & concordiam: non in dogmatibus tantum scripturæ, sed etiam in traditionibus, quas nullis scriptis in mysterio ab apostolicis uiris recepimus. Verum liber solam scripturæ literam respicit.

Ad hæc liber concedit nobis duo tantum sacramenta. Folio. 19. facie 2. & in usu necessariorum illorum sacramentorũ, in illis tantũ formis requirit uniformitatẽ, quas Christus ipse & solus instituit. F. 58. fa. 1. & seq.

Qua

Quasi Christus duo tantum instituerit sacramenta: reliqua uero omnia, (unctio prẽsertim infirmorum, quam Reformatio illa penitus abradit) non per Christũ, aut ex mandato ipsius fuerint instituta.

Vniuersalem formam laudabiliter hucusq; in administratione sacramentorum seruatam, mutat ille liber in uniuersum fere: Quod postea distincte suis in locis annotabitur. Requirit tantum ut obedientia pastoribus deferatur, in his rebus quæ expresse à Deo sunt mandata. Fol. 59. *facie* 1. *non uero in his quæ præter Euangelium sunt.*

Cum tamen hucusq; docuerit Ecclesia potestati obediendum, nõ tantum in his quę scriptura expresse mandauit obseruare, uerum in ijs etiam quę scripturę nõ aduersantur. uti iam antea dictũ est nobis.

His annectit liber ordinationem competere Episcopis præcipue. Folio 95. *facie* 2. Quasi & alij prẽter Episcopum possint ordinare in Ecclesia: contra scripturam & regulam apostolicæ Ecclesiæ. Quod ipsum (ut apparet) prẽtensa Reformatio illa etiam alijs permittit.

DE ORATIONE CHRISTIANA.

DOminus noster Iesus Christus permittit nobis liberum ut a deo postulemus res quaslibet, suo uerbo nõ contrarias: nec res omnes in specie nobis præscripsit, pro quibus orandum esset, sed dixit: Omnia quęcũq; petieritis in oratione credentes, accipietis. Matthęi 21. Marci 11. Proponit exemplum aridę ficus, & translationis montium. Et quare obsecro non permittatur mulieri Christianę precari ut Deus concedat ei liberos? Id quod fecit Anna Samuelis mater multis cum lachrymis. 1. Regum 1. Quod tamen Christus nusq; expresse mandauit precari. Ergo adhortatur Christus, & clamat: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Matthęi 11.

Petere possumus in oratione quicquid non aduersatur uerbo Dei.

Verum liber Reform. uult ut pro eis tantum rebus supplicemus, quæ Christus ut precaremur mandauit, ut dicere possimus: Non propria præsumptione uenimus supplicatum tibi pater cœlestis, sed unigenitus tuus filius Iesus Christus, ita præcepit & mandauit, & hæc est uoluntas eius ut &c. Fol. 61. *facie* 1.

Præterea scripturis sacris ostenditur non esse impium precari sicut Ezechias orauit, 4. Regum 20. & Isaię 38. Memẽto domine quę so

so,quomodo ambulauerim coram te,in ueritate & corde perfecto, & quod bonũ est in oculis tuis fecerim. Quomodo & Dauid frequentius orauit,& alij sancti uiri hodierno die pie orare possunt.

Boni possunt in oratione allegare suam erga Deũ pietatem & zelum.

At liber Reformat. uult ut non aliter precemur q̃ hac aut simili forma: Scimus domine, quod nihil præter iram meram, & uindictam promeriti sumus. Immodica est hyperbole. *Fol. 61. fa. 1.*

Est quidem uerũ, q̃ non oporteat in oratione diffidere: ut uero magnum sit peccatum si quispiam dubitet, aut inter spem & metũ hęreat ambiguus, Christus non docet. Monet autem trepidantes & dubitãtes ita, ut oreñt: Domine adauge nobis fidẽ, Lucæ 17. Atq̃ ita Petrus Simonem Magum illum adhortatur: Roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui: nec pollicetur ei ad primam statim petitionem, peccatorũ remissionem. Vnde beatus martyr Cyprianus sermone quinto de lapsis: Eos qui magna & grauia crimina post baptisma inciderunt monet, ne de misericordia domini desperent, nec tamen iam ueniam sibi uendicent. Post pauca addit: Orare oportet impensius & rogare, diem luctu transigere, uigilijs noctes ac fletibus ducere, tempus omne lachrymosis lamentationibus occupare, &cæt. Vide etiam ad hæc, parabolam Lucæ decimooctauo. Enimuero hæc est peculiaris & propria orationis natura, ut qui orat, non statim putet impetratum sibi quod petit, ne uideat sibi imperasse potius quã orasse, sed debet oratio eius esse p̃seuerans, ut Aug. ait. Nec debet Deo tempus, quo misericordiam exhibeat præscribere. Verum permittere illud suæ diuinæ uoluntati. Cuius habemus pulcherrimum textum, Iudit. 8.

Non omnis dubitatio est peccatũ, quædam enim absque præsumptione speratt antum.

Reformationis autem liber docet ingens esse peccatum, si quis trepida quadam dubitatione inter orandum uacillet. Eumq̃ qui utrum statim Deus suas preces exaudiat, dubitauerit, dubitare de hoc quoque, an Deus sit uerax, Folio 61. facie 2.

Tam manifestũ est ut ñegari non possit, Ecclesiam Christi omni tempore docuisse, Deum in rebus omnibus, & in quacũnq̃ necessitate inuocari debere per Christum. Id quod etiam in Ecclesia usitatum uidemus, cum omnes Collectæ ac publicæ precationes hoc modo concludantur: Per dominũ nostrum Iesum Christum &cę. Similiter semper auditum fuit in Ecclesia, non spiritualia modo dona, uerumetiam temporalia apud Deum quærenda & petenda. Oratione dominica, cum dicimus: Panem nostrum quotidianum da nobis, &cæt.

Semp docuit Ecclesia orare p Christũ.

Nihilominus ita traducit nos liber ille, ac si Christianus orãdi modus

penitus apud nos interciderit, iaceatq; extinctus, adeo ut uix ullus amplius in Ecclesia recte & Christiane oret. Folio 59. facie 2.
Imo quasi hucusq; nescierimus discrimen inter inuocationem Christianã & impiam Iudæorum, Turcarum, aut Gentilium. Vide fo. 8. facie 1.

Quamlibet scriptura testetur beatos apostolos certis tẽporibus orasse, ut est uidere Act. 3. ubi dicitur: Petrus & Iohannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Quamuis etiam sancti Patres antiqui, illi præsertim qui Monasticen professi erant, tum & illi quibus præficiebantur, ad Canonicas & ordinarias preces certis temporibus dicendas fuerint astricti. Negligẽtiores etiam deprehensos acriter corripuerint, ut habent Ecclesiastica & Tripartita historiæ. Item Athanasius, Basilius, Chrysostomus, Iohannes Cassianus, Augustinus, Cassiodorus, Benedictus, & alij plures ex patribus testantur. Verum de hoc latius in titulo de modo psallendi, orandi & legendi in Eccles. Item in titulo de reformatione monasteriorum.

Oratione honorari Deus.

Nihilominus liber uult orationem nullis præceptis astringi debere. Fol. 62. Quum dominus Christus doceat nos orare, Sanctificetur nomen tuum, sine omni dubitatione credendum est, talem precationem magnam Dei ueneration em esse. Insuper rationis compos Christianus quilibet, probe satis nouit, orationes Christianorũ esse spiritalia quædam sacrificia, atq; adeo ueneration em quandam Dei.

Liber tamen prætensæ Reform. his non consideratis, uetat orationẽ fieri hoc modo ac si sit opus quo honoretur Deus: sed uult ut huc tantum dirigatur quo in necessitate cũ res poscit aliquid a Deo impetremus. F. 63.

Basilius in Constitution. exercitat. cap. 1. sic habet: Orans ne statim ad petitionem deuenias: id enim si feceris, detegis propositũ tuũ q; a necessitate coactus, Deum adores.

Ad hæc liber ille habet pro abusu, si quis existimet se matrem domini nostri Iesu Christi angelica salutatione honorare, eamq; gaudij aliquid inde accipere.

Pium est & Christianum matrem Dei salutatione Angelica honorare.

Secus Pres sancti nobis testantur, qui tradunt sctos ipsos, ubi dona Dei & uirtutes, quas in ipsis Deus operatus est & ostendit laudãtur & prædicantur, gaudere. Atq; ita etiam ipsa Dei mater ꝓpheta uit: Beatã, inquit, me dicent omnes gñationes. Sctã quoq; Elizabeth, spũi impleta scto, cum audisset uocem mris dñi ipsam uisitãtis, uoce magna exclamauit: Bñdicta tu inter mulieres. &c. Lyturgia Chryso. Erasmo interprete, habet, q; Grecor Episcopus aut sacerdos statim post consecrationem ita salutauerit: Aue gra plena, dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus uentris tui.

Choro interim canente: Vt uere dignum & iustũ est, glorificare te deiparam & semper beatissimam, & penitus incontaminatam matrẽ Dei nostri, honoratiorem Cherubim, & glorioſiorem incomparabiliter Seraphim, quæ citra corruptionem Deum peperit, uere deiparam te magnificamus.

Ita de oratione loquitur hic liber, quasi in satisfactionem peccatorũ non debeat adhiberi, & hoc facientes deridet, ac si fascículos ex orationibus connectant.

Aliter sanctus Cyprianus & reliqui Patrẽs, qui nos adhortantur, ut peccata nostra sedulis & deuotis orationibus purgemus, sermone. 5. de lapſ. Neq; tamen per hoc minuimus Christi meritum, aut quicquã detrahimus satisfactioni, quã obtulit pro peccatis nostris, cui soli tanquã causæ meritorię remissionem peccatorũ in uera fide asscribimus. Simul tamen utimur nostris orationibus tanquã medijs quibusdam, per quæ gratiã talem apud Deum poscamus, & impetremus. *Orationibus purgantur peccata.*

Sanctus Basilius libro quæstionũ diffuse explicatarũ, quęstione 6. ita ait: Sed & maculas ex peccato per sedulam orationem, & uoluntatum Dei meditationẽ perseuerãtem exercere poterimus. Idem pulchre commonstrat sanctus Chrysostomus in lib. 1. de orando Deum, per Niniuitas, Magdalenam, Publicanum & Leprosum. Illud (inquit) demonstrare uolo, q̃ etiã si nos peccatis refertos, precatio depræhenderit, celeriter purgatos reddit. Et iterum post pauca: Iam uero q̃ animam peccatis obnoxiam, precatio facile pacatam reddit, docet nos publicanus ille, &cæt.

DE VENERATIONE sanctorum.

AD percipiendam uniuersalem illã, & Catholicã Christianorum sententiam, de ueneratione & intercessione Sanctorũ, & quomodo eis utendum sit. Primũ nosce oportet illam summe admirandam unionem Christi, cum suis sanctis. Hæc primum percipitur ex oratione Christi, quam post sacram cœnã ante passionem suam pro credentibus dixit, Iohan. 17. his uerbis: Rogo te pater, ut omẽs unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mũdus, quia tu me misisti. Et sequitur: Et ego claritatẽ aut (sicut interpretatur Hylarius) honorem quem dedisti mihi, dedi eis: ut sint unũ, sicut et nos *Mirifica unio Christi cum sanctis suis.* *Hilarius lib. 8. de Trinitate.*

unũ ſumus. Ego in eis, tu in me, ut ſint cõſummati in unum, & cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti. Volo pater, ut ubi ego ſum, & illi quos dediſti mihi ſint mecum, Vt uideant claritatem meam, quam dediſti mihi &c.

Hæc Chriſti uerba eximia quadã conſolatione & delectatione plena, Sanctus pater Hilarius lib. 8. de Trinitate ita intellexit, ut ſancti non uoluntate mentis tantũ unum cum Chriſto, propterea quod unius ſint uoluntatis cum eo, putandi & exiſtimandi ſunt. Verumetiã ut intelligantur eſſe cũ eo naturali quadam, per gratiam tamen ipſis impartita unione, ita nimirum, ut quomodo ipſe uiuit per patrem, ita uiuant ſancti per eum. Quemadmodum & beatus apoſtolus Petrus teſtatur. 2. Petri pri. & per Chriſtum maxima & præcioſa promiſſa credentibus donauerit Deus, ut per ea efficiantur diuinæ conſortes naturæ. Et huc pertinet, quod Chriſtus ait Iohannis decimoquinto: Ego ſum uitis, uos palmites. In quem locum ita beatus Auguſtinus ait: Vnius quippe naturæ ſunt uitis & palmites. Propter quod cum eſſet Deus, factus eſt homo, ut in illo eſſet uitis humana natura, cuius & nos homines palmites eſſe poſſimus.

Summam iſtam & admirandã unionem Apoſtolus Paulus pluribus in locis eximie prædicat. 1. Corinth. 12. ſic habet: Sicut corpus unũ eſt, & membra habet multa, ita & Chriſtus. Quod dictum ſanctus Auguſtinus in libro de Trinitate, Item in pſalmo 130. & 142. diligenter expendit, exponitq; ut quod Apoſtolus non dixerit: Sicut corpus multa habet membra, ita ſunt multi Chriſti: Verũ, ita & Chriſtus. Quo ſignificauit caput cum corpore ſimul & una Chriſtũ appellari. Sicut idem Apoſtolus alibi dicit: Vos eſtis corpus Chriſti & membra eius. Qua in re cognoſcitur excellentiſſima & maxima gratia, quam Chriſtus nobis exhibuit, in eo quod uoluit unum eſſe nobiſcum, qui eſt cum patre unum. Et ſicut ipſe ait: Ego & pater unum ſumus, Ita teſtatur Apoſtolus ad Galat. tertio: In ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in uno, qui eſt Chriſtus. Et ad Epheſios quinto: Membra ſumus corporis eius, de carne eius & oſſibus eius. Ita ad Epheſios ſecundo: Deus conuiuificauit nos Chriſto, & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu, ut oſtenderet in ſeculis ſuperuenientibus, abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu. Non eſt putandum omnia iſta dicta eſſe de ijs tantum ſanctis, qui adhuc in hoc mortali corpore agunt: Quinetiam multoque potius de illis, qui iam morte temporali tranſierunt

rũt in uitam, ſuntque cum eo præſentes. Ita enim Chriſtus ait Iohannis decimoſeptimo: Claritatem quam dediſti mihi, dedi eis, & uolo, ut ubi ego ſum, ſint & illi mecũ. Item Iohannis duodecimo: Vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit, & ſi quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eũ pater meus. Sic Matthæi uiceſimoſecundo: Non legiſtis? Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac & Iacob? Non eſt Deus mortuorum, ſed uiuentium.

Quandoquidem igitur Sancti Dei hoc pacto cum Deo in Chriſto uniti, ſunt nobiſcum, & nos cum ipſis corpus unum in Chriſto, docuit ſancta Eccleſia Catholica a ſui origine, de beatiſſima iſta communione & ſocietate concorditer, & prorſus unanimiter abſq; omni diſcordia, uti etiam ſacræ fidei noſtræ Symbolum continet, quod debeamus credere unam talem communionem ſanctorum. Et eſt iſta communio, cũ capite & membris ſuis, ſpiritualis & uerus quidam cibus, quem in Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti percipimus. Qui etiam nobis in eo ſpiritualiter porrigitur & traditur, & qui ſolus ueraciter præſtat percipientibus ipſum, ut fiant immortales & incorruptibiles, ſicut beatus Auguſtinus tractatu uiceſimoſexto in Iohannem circa finem habet: Omnes quoque uere credentes, & in eadem communione permanẽtes, habent participationem non eorum tantum, quæ Deus nobis per Chriſtum donauit & tradidit. Verumẽtiam eorum omnium bonorum, quę ſancti Dei quotquot fuerunt ab initio mundi, ad nos uſq; unquam habuerunt, aut per miſericordiam eius acceperunt.

Sancti in cœlo pfectiori unione Chriſto ſunt uniti, q̃ nos qui adhuc uiuimus.

Hæc cum ita ſe habeant, Catholica Eccleſia de ueneratione ſanctorũ ita tradit: Initio quod ſanctos, qui ab hoc ſeculo migrauerunt, non debeamus appellare, mortuos aut defunctos: ſicut beatus Hieronymus contra Vigilantium hæreticum teſtatur. Et dominus ipſe de filia lairi dicit: Non eſt mortua, ſed dormit. Et de Lazaro: Lazarus amicus noſter dormit. Vnde Apoſtolus Paulus præcipit Theſſalonicenſibus, ut non contriſtentur de dormientibus. Quo nomine mortuos ſignificat. Atque hac ratione dies illi, in quibus ſancti Apoſtoli & Martyres ab hoc ſeculo feliciter tranſierunt, appellati dies natales, iam inde ab initio naſcentis Eccleſiæ hucuſque, ſic feſta Natalitia dicta ſunt. Eo quod diebus illis ueraciter primũm poſt multas ærumnas in aliud ſeculum ſint nati, ſecundum uerbũ Chriſti, Iohannis decimoſexto. De quo uide Auguſtinum de diſciplina Chriſtiana, cap. 2.

Sancti non debent appellari mortui.

QVARE, ET QVOMODO SANcti ſint uenerandi.

CONsequenter item ratione iam dictæ admirãdæ & beatæ unionis capitis Christi, cum suis sanctis membris, & membrorum eorundem inter se, de uero sanctorum cultu & ueneratione, ita semper traditum est in Ecclesia, quod oporteat nos in ipsis laudare Deum, qui gratiam tam sanctæ & piæ conuersationis eis in hac uita donauit. Quicq excellentia illa, & admiranda ipsorum opera, quibus tã præclare in hoc mundo claruerunt in eis operatus est, Ecclesiast. 44. & ad Hebræos 11. Deinde laudandi sunt & sancti ipsi, propterea, q tali gratiæ uoluntariæ adhęserunt, ipsamq amplexi, tanquam cooperatores Dei & Christi, bene & salubriter eadem sunt usi. Nec ob id solum laudandi nobis sunt sancti, quod per eos confirmamur in fide, tanto firmius sperantes Deum eodem modo nobiscum misericorditer acturum. Nec ob id etiam solum, quod in affectu & in proposito accendimur, ad sanctorum exempla sequenda: Verumetiã propterea, quod meritis eorum associamur, & intercessiõibus adiuuamur. sicut tradit sanctus Augustinus pluribus in locis, & præsertim contra Faustum Manichæũ, capite uicesimo luculenter testatur.

Honorandi sancti, ut meritis eorũ associemur, & intercessionibus adiuuemur

Neq id gratis aut sine causa. Conforme est enim scripturis sacris, semperq creditum fuit in Ecclesia, quod sancti illi apud Deum nostri sint memores, pro nobis soliciti, etiam quasi patroni quidam, & oppitulatione pro nobis intercedant. Ita ut Deus patiatur se misericorditer reconciliari, propter merita & intercessiones eorum, suaque dona nobis propter illos impertiat. Semper tamen per Christum dominum & saluatorem nostrum, qui omnia illa propter quæ Deo placent, & sunt acceptι, sanctis suis promeruit, impetrauit & obtinuit. Quemadmodum testantur nobis tam Orientalis quam Occidentalis Ecclesiæ patres ueteres. Sicut inter alios est uidere apud Origenem homil. tertia in Cant. ubi huic sententiæ probandæ, allegat hoc quod legimus 2. Machabæo. decimoquinto: Hic est Hieremias propheta Dei, qui semper orat pro populo.

Epiphanius Cypri Episcopus, in uita Hieremiæ similiter testat, q Ægyptij sæpe experti sint se pluribus beneficijs per sanctum prophetam Hieremiam adiuuari, & quod eius intercessione a Crocodilis & aspidibus sint non semel liberati. Possent ad hanc rem si necessitas requireret allegari, Eusebius Cæsarien. & historia Tripartita in locis iñ numeris. Magnus quoque Basilius, qui in oratione de quadraginta Martyribus, eos appellat communes generis humani custodes, optimarum curarum socios, precum & uotorum inuicem suffragatores.

Sanctus

Sanctus ille Iohannes Chryſoſtomus, homilia 2. in pſalm 50. mirifice Dei miſericordiam interceſſionum iſtarum gaatia extollit: O (inquit) rem admirandam, o ineffabilem clementiã Dei: Dauid mortuus eſt, & Ezechiæ uiuo patrocinatur. O iuſtorum, etiam poſt conſummationem, inexpugnabilis pugna uirorum. Dauid mortuus eſt, & poſt mortem ſuam inuenitur uiuentibus tam grande præſtitiſſe ſolatium. Certe iam defecerat Dauid, & habebat multos annos reqeſcens: Quid autem dicit ſcriptura? Protegam ciuitatem hanc, propter me, & propter Dauid ſeruum meũ. Dauid mortuus eſt, & merita eius uigent. Atq; hunc locum Eſaiæ 37. & 4. Reg. 9. in eam ſentẽtiam explicat, ſermon. 35. de uicijs & uirtutibus. Item homil. 28. quã habuit poſt reditum, & plane fidem ſuam his uerbis exponit: Credimus nos iuuari ſanctorum meritis. Inde eſt quod ſermon. 26. de Pœnitentia ait: Quicunq; ſanctos uocauerit luminaria mundi, non peccabit: non ſolum dum eſſent in corpore, ſed etiam magis nunc quando de hac uita migrarunt. Gratia enim & merita ſanctorum, morte non minuuntur, non retardantur die. Sequitur: Tunc quidem piſces capiebant ad mortem, nunc autem capiunt homines ad ſalutem: claudos facientes currere, cæcos illuminantes, leproſos mundantes, dæmones effugantes: ut teſtatur multitudo credentium diurna. Appellat eos columnas, fundamenta, portus, gubernatores, paſtores, aratores, uinitores & medicos Eccleſiæ. *Egregia ſanctorũ Epitheta.*

Similia teſtantur Occidentalis Eccleſiæ Doctores, Cyprianus epiſtola prima ad Cornelium Papam, uiuus adhuc fidem quam habuit de his qui ab hac uita migraſſent, indicat his uerbis: Memores (inquit) inuicem noſtri ſimus, concordes atq; unanimes, utrobiq; pro nobis ſemper oremus. Et ſi quis noſtrum hinc prior, diuinæ dignationis celeritate præceſſerit, perſeueret apud Deum noſtra dilectio: pro fratribus & ſororibus noſtris apud miſericordiam patris nõ ceſſet oratio. Sanctus Hieronymus contra Vigilantium, ait: Si apoſtoli & martyres ad huc in corpore cõſtituti, poſſunt orare pro cęteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti: quanto magis poſt coronas, uictorias & triũphos? S. pater Auguſtinus libro 2. quęſt. ſuper Exo. cap. 108. Deus (inquit) propiciatur peccatis populi ſui, orationibus ſanctorum martyrum. Seuerus Sulpitius ad Aurelium diaconum, cum obitum S. Martini deſcripſiſſet, hanc adijcit coronidem: Pãtronum (inquit) præmiſi ad Deum. Incomparabilis poeta Prudentius, libro Periſtephanon, ſæpe nominat ſanctos martyres patronos oribis, præſidia noſtra, auxiliatores, ſuffragantes, potẽtes interceſſores.

Talium teſtimonium poſſet innumerabilis multitudo citari. Iam cum hæc ita ſint, hoc etiam docuerunt ſancti patres non impiũ eſſe, uerum Chriſtianam humilitatem bene decere, ut commiſſorum pctõrum contẽplatione puſillanimes ſimus uereamurq́, ne temere ꝓcedamus in conſpectũ diuinæ maieſtatis, atq́ ita (tãquam qui, q̃d in nobis eſt, fateamur nos acceſſu ad Chriſtũ indignos) oremus, meritis & interceſſione ſanctorum propitium habere Deum. Quemadmodum ſanctus Auguſtinus hoc teſtatur libro ſecundo quæſtionũ ſuper Exodum, capite 149. Per hoc (inquit) quod de Moyſe Exodi 32. ſcriptũ eſt, admonemur, cum merita noſtra nos grauaſſent, ne diligamur a Deo, releuari nos poſſe apud eum illorum meritis, quos ipſe diligit.

Inuocatio ſanctorũ, modeſtia quædam eſt & humilitas piorum hominum.

Sanctus Ambroſius in oratione ſecunda prꝫparan. ad Miſ. orat hoc modo: Et ut efficax ſit hæc mea deprecatio, beatæ Mariæ uirginis ſuffragia peto, Apoſtolorum interceſſionem implere, Martyrũ preces depoſco, confeſſorumque oratiões expoſtulo. Talium domine Deus preces nunquam ſpernis, ſi ut pro me exorent ipſe inſpiraueris. Et illuſtris ille Prudẽtius in hym. diui Laurentij iucũdo ſimul ac pio carmine cecinit:

Indignus agnoſco & ſcio
Quem Chriſtus ipſe exaudiat,
Sed per patronos martyres
Poteſt medelam conſequi.

Qua de cauſa uniuerſa Catholica Chriſti Eccleſia, ante annos plus mille in antiquiſſimis Collectis hoc modo orauit: Omnipotens Deus ſupplices deprecamur, ut qui meritis actionum noſtrarum diffidimus, eius qui tibi placuit meritis & interceſſione liberemur, Per Chriſtum. aut ita: Supplicamus domine, ut quod noſtris meritis nõ meremur accipere, interceſſione S. N. martyris tui conſequamur, Per Chriſtum. Aut ita: Tanto maiori cum fiducia, nomini tuo dñe ſupplicamus, quanto frequentius ſanctorum martyrum tuorum benedictione defendimur.

In Lyturgia Græca beati Iohannis Chryſoſtomi uix quicquam frequentius repetitur, atq́ iſta oratio: Precibus ſanctiſſimę deiparę ſeruator ſerua nos. Item dirige noſtram uiã, confirma nos in timore tuo omnes, cuſtodi uitam noſtram, ſtabili greſſus noſtros, Precibus & ſupplicationibus ſanctę deiparæ & ſemp uirginis Mariæ, & omnium ſanctorum tuorꝫ, qui tibi placuerunt ab initio mundi.

Deſide-

DESIDERIA NOSTRA quomodo sancti percipiant.

EX inscrutabili denicq; unione illa capitis Christi cum suis membris, crediderunt Patres, sanctos ipsos desideria nostra ex orationibus nostris percipere. Ita enim magnus ille Basilius libro de uirginitate ait: Virgo seipsam & conscientiam suam reuerebitur. Et si uel maxime sola fuerit, habet astantem custodem angelum: præ angelis autem reuereatur, ipsum sponsum ubique præsentem. Et quid singula dicam? angelorum innumerabilem multitudinem, & cum his patrum sanctorum spiritus reuereatur. Nullus enim horum est, qui non ubicq; omnia uideat. Ipse quidem corporalibus oculis non cernens, uerum incorporali uisu, uniuersa in cognitionem compræhendens. Idem in sermone de 40. martyribus: Hi sunt (inquit) qui suo templo regionem nostram ornant, quique aduersus inimicos tutelam ut turres quędam munitę suscipiunt. Et Gregorius presbyter in uita Gregorij Nazianzeni, dictis istis adstipulatur, aitque sanctos lętari si quando pro donis Dei ab hominibus laudentur. Beatus Hieronymus audet aduersus Vigilantiū ita argumentari, sequuntur agnū quocunque ierit. Ergo si agnus ubique est, & hi qui cum agno sunt, ubique esse credendi sunt. intellige tamen hoc non localiter, sed celeritate percipiendi ea, quæ eos uult scire Deus.

Vide Tertul. in Apolog. cap. xxij.

De angelis scribit sanctus Augustinus: Quisquis angelorum diligit Deum, certus sum quod etiam me diligit. Quisquis in illo manet, & potest humanas preces sentire in illo, hoc est, in Deo, me exaudit. Quisquis ipsum habet bonū suum, in ipso me adiuuat. Nec mihi eius participationē potest inuidere. Augustinus de uera religione cap. quinquagesimoquinto. De sanctis uero dicit psalmo octogesimooctauo. Attendite ergo charissimi, tenete omnes unanimiter Deum patrem, & matrem Ecclesiam. Natalitia sanctorum cum sobrietate celebrate, ut imitemur eos qui præcesserunt, & gaudeant de uobis, qui orant pro uobis, ut benedictio domini in æternum maneat super uos. In tractatu itē octogesimoquarto in Iohannem circa finem: Ideo ad ipsam mensam nō sic commemoramus sanctos, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiā pro eius oremus: Sed magis ut orent ipsi pro nobis, &c. Ita Sulpitius Seuerus ad Aurelianum diaconum de sancto Martino: Non deerit (inquit) ille nobis (mihi crede) non deerit, intererit de se sermocinantibus, astabit orantibus.

Et ad

Et ad Basſulam de eodē Martino: hiē pauper & modicus, cœlū diues ingreditur. Illinc nos (ut ſpero) cuſtodiens, me hæc ſcribentē reſpicit, te legentem. Et Prudent. ille in paſſionē. S. Martyris Caſſiani ita canit:

Audit crede preces martyr proſperrimus omnes,
Rataſq; reddit quas uidet probabiles.

In ſumma, ueteres illi patres aſſimilant ſpiritus ſanctorū Angelis, quomodo & Chriſtus ipſe facit, qñ ait: Et erunt ſicut angeli Dei in cœlis, Matth 22. Atqui angeli Dei gaudent ſuper unoquoque peccatore pœnitentiā agente, Lucæ 15. Fiet igitur hinc, ut etiā ſpiritus ſanctorum idem quod angeli Dei faciant, cū arctiori neceſſitudinis uinculo, quam angeli nobis deuinciantur. Ac quēadmodum in Apocalypſi, capite 8. Dat̄ angelo incenſa multa, ut daret de oratiōibus ſanctorū oīm ſuper altare aureū, q̄d eſt ante thronū. ubi ſtatim ſequit̄: & aſcēdit fumus incēſorū de oratiōibus ſanctorū, de manu angeli corā Deo. Ita & de uiginti quatuor ſenioribus in eodē illo lib. cap. 5 dicitur: Seniores ceciderunt corā agno habentes ſinguli cytharas, & phiales aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum.

DE INVOCATIONE SANCTORVM ad intercedendum pro nobis.

Sanctos pie inuocari, ut Deū unicum omnis boni autorem pro nobis orent

AD hæc oīa tametſi ſecundū Catholicæ Eccleſiæ uſitatā conſuetudinem, oratio in precibus altaris, quas collectas & Canones Miſſæ appellamus, ad ſolū patrem per Chriſtū ſit dirigenda. Quemadmodum Concilio Carthaginenſi tertio ſancitur, & beatus Auguſtinus libro 22. de ciuitate Dei teſtatur: Ad hoc (inquit) ſacrificiū ſicut homines Dei, qui mundū in eius confeſſione uicerunt, ſuo loco & ordine ſancti nominantur, non tamē a ſacerdote, qui ſacrificat, inuocantur: Deo quippe non ipſis ſacrificat. Interim tamē nihilominus hoc etiā uſu ab initio traditū tenemus, ut extra orationes, quę in altari fiunt, etiā Deo dilectos ſanctos contēplatione unionis, & cōmunionis, quā cum Chriſto, & nobiſcum habent, cū timore & deuotione erga Deū cōpellemus, atq; ut pro nobis intercedant inuocemus.

Vide eundem Origenem in ſermone de Innocentib.

Origenes homilia 3. in Cant. locum illū (ubi ipſe legit) Ordinate in me charitatem, ſic exponit: ut ſit oratio Sponſæ ad angelos, aut certe ad ſanctos. Ait enim: Sed & oīes ſancti, qui de hac uita deceſſerūt, habentes adhuc charitatē erga nos, qui in hoc mundo ſunt. Si dicantur curam gerere ſalutis eorū, & iuuare eos precibus ſuis, atq; interuētu ſuo apud Deū, non erit inconueniens.

Sanctus

Sanctus Basilius in pluribus locis inter alia tamen, in oratione in 40. martyrum ita ait: Sæpe operam dedistis, sæpe laborastis, ut unum aliquem pro uobis orantē inueniretis: Quadraginta sunt hi, unā oration is uotē emittentes. Et sequitur: Qui aliqua præmitur angustia ad hos confugiat, qui rursus lætatur hos oret, hic ut a malis liberetur, ille ut duret in rebus lętis. Post aliquanta alloquitur ita Martyres: O sanctum Chorum, o sacrum ordinem, o cuneum inexpugnabilem, humani generis custodes, optimi cum curarꝝ socij, precum ac uotorum inuicem suffragatores, stellæ terrarum orbis, flores Ecclesiarum. Vos non terra contexit, sed cœlum excepit: apertæ sunt uobis paradisi portæ. Ad hūc modum Gregorius Nazianzenus in Monodia sua, Sanctum Basilium alloquiturꝙ, precatur: Tu obiter e cœlo nos respice, & datam mihi rerū debilitatem, & articulorum dolorem, uel iube discedere, uel adiuua & hortare ita me æquo animo ferre, ut hinc demum discedentem me in æterna tabernacula recipias. Neque debet talis orādi forma, alicui aliena & indigna uideri. Cum Christus in Euangelio ad eundem fere modum dicat: Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. Gregorius presbyter in uita Gregorij Nazianzeni ipsum precatur, ut uelit eius apud Deum esse memor. Theophilactus expresse meminit inuocationis in expositione undecimi capitis ad Hebræos his uerbis: Quo fit ut perfecti tunc (intelłige in resurrectiōe) esse appareant, cum coronas & palmas acceperint. Habent tamen interea honoris & gloriæ certissimum pignus. Quærat aliquis: Si nondum perfectionem sunt adepti, & coronas illas promeritas consecuti, unde hoc illis, opem ut ferant alijs se inuocantibus? Opitulandi tam prompta uirtus unde obuenit? Vnde inquis? Nimirum ex fiducia certiori, quam habent apud Deum intercedendo.

In Latinorum Ecclesia apud sanctū Augustinum lib. meditationum, cap. 24. prolixam orationem reperis ad sanctos, quam ita concludit: Orate omnia agmina sanctorum, & uniuersi cœtus Beatorū, ut uestris precibus, meritisꝙ adiuti, salua naue & integris mercibus peruenire mereamur ad portū perpetuæ salutis, & quietis, & continuæ pacis, & nunquam finiendæ securitatis. Similia habes apud eundem libro de cognitione ueræ uitæ, capite 39.

Quorsum autem attinet, aut quid opus est cæterorum patrum testimonijs demonstrare, ita Catholicam Ecclesiā concorditer perpetuo sensisse? cū in Canonibus sexti illius uniuersalis Constantinopolitani Concilij capite sept. ita constitutū sit, ut unusquisque Christianus sole Deo creatore suo adorato, inuocet sanctos, ut pro se intercedere apud maiesta-

maiestatẽ diuinã dignentur. Quod ipsum in Actis septimi Concilij uniuersalis in Nicæa Bitiniæ celebrati, frequentius repetitur: atq; hoc modo consueuit Catholica Ecclesia in Litanijs, in primis solum inuocare Deum, ac deinde precari sanctos, ut eundem Deũ simul nobiscum pro nobis exorent. Quo peracto rursus soli Deo per Christũ supplicatur, ut ab oĩni malo nos dignetur liberare. Atque ita concluditur Litania.

Experimentũ sensibile post scripturam ualidissima probatio.

Basilius ille magnus in summis moralibus cap. 2. summæ 26. dat ex scripturis hanc normã, quod ad probationem eorũ, quæ geruntur aut asseruntur a nobis, oporteat primũ adferre testimonium scripturæ, deinde etiam experientiæ, quo modo ea quæ per scripturã dicuntur, in natura atq; consuetudine uitæ nota sunt. Sicut Christus ipse ait: Nunquid colligunt de spinis uuas, aut de tribulis ficus? &c. At iam negari non potest re ipsa & opere sæpissimæ compertum nobis esse, inuocationẽ sanctorum ad intercedendũ pro nobis Deo non modo placuisse, uerum etiam eis, qui sanctos (modo tamen pio & absq; superstitione) inuocassent magno & admirando solatio, auxilio & bono cessisse. Vnum tantum eorũ uisum nobis fuit hic recitandũ: Hierosolymitanus patriarcha Iohannes, in conscriptione uitæ beati Iohannis Damasceni (quẽ librum Oecolampadius aliquando, qui nunc Ecclesiã profugus deseruit, trãstulit in linguam Latinam) narrat quomodo Saracẽnorũ princeps quidam in Damasco Iohanni Damasceno secũ agenti in curia, in gratiam Leonis Isaurici Constantinopolitani imperatoris, qui Damascenũ falso se detulerat & accusauerat, manum dexterã iusserit deamputari. Ipsum uero Damascenum manu una mutilatum, statim confugisse ad matrem Christi domini nostri Mariã, feruideque eidẽ supplicasse, atq; hoc pacto detruncatam manum sanitate restituta, mirabiliter denuo recepisse. Refert uirũ illum beatum inter alia, sic orasse: Domina & sanctissima mater, quæ Deũ meũ peperisti, amputata est dextera mea, ob sanctas & diuinas imagines, tu qua de causa Leo sæuiat non ignoras: Proinde quantocius succurre. Dextera eĩm altissimi, quæ de te incarnata est, per tuas intercessiones multas facit uirtutes, sanet oro, hanc meam dexterã tuis precibus &cæt. Actiones uniuersalis Concilij in Nicæa sicut diximus habiti. Sanctus itẽ Bernhardus, & alij sancti patres, infinitas rerũ istarum historias texunt, quas non est operæprecium hic recitare.

Obijci denique iure non potest interpellationis istius sanctorum, in scripturis non extare exemplũ ullum. Quãuis eĩm non dederit Euangelium de hoc mandatum peculiare, satis tamen euidenter ex ipso colligitur, & liquet Deo imprecationem istiusmodi nequaquam improbari. Quinetiã in Iudaismo, quo tẽpore Christus docebat, adeo non reprehende-

hendebatur, ut etiam usus eius pius crederetur: Alioqui non proposuisset nobis Christus, quomodo dives epulo Abrahã invocasset, & precatus fuisset Lucæ 26. Narrat Euangelium Matt. 27. quomodo Christus in cruce magna voce clamavit: Eli eli lammaasabtani. Quod astantes quidam cum audissent, dicebant: Heliam vocat iste. Sine videamus an veniat Helias liberans eum. Vnde certe, aperte satis significatur invocationem prophetarum etiam Iudæis in usu fuisse, nec fuisse tanquam impiam damnatam.

Insuper patres veteres non solum non metuebant, ne tali invocatione qua petitur, ut Sancti pro nobis intercedant, obrueretur vera Dei invocatio, aut maiestas, gloria, vel honor eius ulla ex parte imminueretur: Quin potius, multoq; magis arbitrati sunt honorem Dei per invocationem sanctorum ampliari & magnificari. Dum tamen suprema fiducia nostra in Christum solum unicum datorem omnis boni figeretur, nihilq; quod Deo proprium esset tribueretur sanctis.

Invocatione sanctorum, magnificatur Deus.

QVID OBTENSAE REFORMAtionis liber aduersus hæc doceat.

PRimo liber appellat sanctos pluribus in locis non sine cõtumelia mortuos, & mortuos homines, imo etiam emortuos.

Deinde dicit veram necessariam & salutarem doctrinam atq; invocationem Dei horribiliter obtenebratas per ingentem & formidãdam, ut ait idololatriam, quæ commissa sit in invocatione mortuorum hominum. Folio 9. facie secunda.

Quod item mala sit consuetudo, debeantq; observantes eam prohiberi, quærere auxilium apud emortuos. Folio 13. facie 2.

Dicit præterea Deum secundo suo mandato significare voluisse idololatriam, eam quæ committeretur per hos, qui ab ullis creaturis auxiliũ, & dona Dei poscerent, aut qui solatium ullum, vel auxilium apud sanctos tanquam patronos vel aduocatos quærerent. Folio 32. facie 2.

Item, quod non liceat apud ullam creaturam, aut propositos auxiliatores, sive in cœlis, sive in terris solatium quærere vel auxilium, neq; etiam amplecti oblatum, nisi ad hoc sit à Deo ordinata talis creatura: quod de sanctis abnuit, quos negat ad hoc concessos. Imo ne quidem ab his, tãquam medijs, per quæ Deus eiusmodi operetur amplexanda auxilia huiusmodi. Folio 33. facie prima.

Ad hæc quod idola & opera confinxerimus, qualia Ethnici per hãc invocationem mortuorum. Folio 45. facie 2.

Item Christianum non esse, sed verbo Dei contrarium, quando precatur

tur quis Deum, & orat rèmiſsionem peccatorum, per interceſsionem & meritum ſanctorum concedi. Atque hunc abuſum hiſce temporibus noſtris toto mundo ſubortum, ubi ab initio non fuerit. Folio 62. fa. 2.

Cum tamen Eccleſia ante annos plus mille ita orauerit: Interceſſione beatæ Agnetis martyris tuæ, uincula peccatorum noſtrorũ abſolue, Per Chriſtum &cæt. Item, meritis ſanctorum martyrum tuorum a cunctis malis imminentibus liberemur, Per Chriſtum &cæt.

Liber Reformationis recitat quidem Collectas aliquot, de ſanctis Petro & Paulo, de ſancto Stephano. Folio 53. facie ſecunda.

In quibus nulla expreſſa mentio fiat, interceſſionis aut meritorũ, ſed ita ſupplicetur: Da nobis quæſumus, eorũ in omnibus ſequi prȩcepta aut uitã, &cȩt. Quod recte & bene petitur. Tacet autẽ liber Eccleſiam ĩſdem illis feſtis diebus, illo etiã tempore, quo primum citatæ Collectę in Eccleſia lectæ fuerunt, una cũ iſtis in eodem Miſſæ officio, etiam collectorum uſum habuiſſe, in quibus meritorum & interceſſionum expreſſa mentio habeatur. Fit interdũ forte, ut prior Collecta Miſſæ ita ſonet, ut citat liber Reformationis: at confeſtim reperitur in collectis ſequentibus, Secreta uidelicet & Complenda eodem haud dubium tempore eodemqꝫ autore, in ſingulis officijs, una cũ priori compoſitis, meritorum & interceſſionis ſanctorum, quorum feſta aguntur, expreſſa mentio. In feſtõ Apoſtolorum Petri & Pauli oratione ſecreta ita orat Eccleſia: Hoſtias domine, quas nomini tuo ſacrandas deferimus, apoſtolica proſequatur oratio, per quam nos expiari tribuas, & defendi. Et in Complenda: Quos cœleſti domine alimento ſaciaſti, apoſtolicis interceſſionibus ab omni aduerſitate cuſtodi.

Quomodo Eccleſia ante annos mille in Collectis orauerit.

Item in feſto ſancti Stephani hoc modo oratur in Complenda: Auxilientur nobis domine ſumpta myſteria, & intercedente beato protho martyre tuo Stephano, perpetua defenſione confirma, Per Chriſtum. Atqꝫ ita ſicut beatus Auguſtinus docet: utrũqꝫ decet orare, ut & concedat nobis Deus ſctõs imitari, & eorꝫ meritis aſſociari, Per Chriſtũ &c.

His omnibus adijcit liber, magnum eſſe abuſum, ſi quis ſupplicet, & petat ab eis, quibus ſupplicare non licet: ſicuti fit, quando inuocantur ſancti, ut pro nobis intercedant. Folio 62. facie 2. Imo dicit eſſe peccatum, propterea, q, non habeamus mandatum mortuos ſanctos inuocãdi, & q, in ſcriptura nulla reperiatur oratio, quæ ſanctis aptari poſsit. Quodq; uolẽtes ſecundũ uoluntatẽ Dei orare, nequeant etiã ſi maxime uelint inuocare illos ſanctos, atq; adeo facere ſecundũ humanã inuentionẽ, eos omnes, qui uoluerint inuocare ſanctos, aſſeritque abuſum illũ uiolenter proſterni ex Dei præcepto. Folio 63. facie prima.

Item

Item Prædicantibus diligenter adnitendum, ut ab inuocatione ſanctorum homines auocent. Eodem folio.

DE CVLTV ET VENERATIONE uerarum Reliquiarum.

QVandoquidem ſanctorū corpora domicilia quædam fuerunt inhabitantis gratiæ, & templum Spiritus ſancti hic in terris, ſicut beatus apoſtolus Paulus 1. Corint. 6. & 2. Corint. 6. nobis teſtatur. In quibus & per quos Deus mirabilia opera ſua exercuit & oſtendit. Quemadmodū Acto. 5. inter alia legimus, ꝙ infirmos expoſuerunt in plateis, ut ueniente Petro, ſaltē umbra eius obumbraret eos, ut liberarētur ab omnibus infirmitatibus ſuis. Quando item Deus re ipſa & factis oſtendit nobis, ꝙ eiuſmodi gratia per tranſitum ſanctorum ab hoc ſeculo, non ceſſauerit, aut ſit eis ablata. Vniuerſalis ſeu catholica Chriſti Eccleſia, ſemper in magna & digna ueneratione habuit corpora & oſſa Sanctorum, & ſi qd certarum reliquiarum poſt eos manſerit in terris. Ideo præcipue, ꝙ experientia & rebus ipſis habeat Eccleſia compertum ſibi, Deū ſæpe erga eos qui ſe ad ea loca, ubi Sanctorum reliquiæ ſeruantur, chriſtiana deuotione contulerint aut receperint, ac qui fide ardenti erga Deum accenſi, reliquias illas attigerint, magnas & admirandas uirtutes operatum fuiſſe.

Epiphanius in uita Hieremiæ prophetæ teſtatur, prophetam illū in eo loco iacere ſepultum, quo dudum Pharao rex habitauerat: & ꝙ adhuc ſua ætate loci illius incolæ Ægyptij eum magna deuotione & religione colerent: cum experimento comperiſſent, ſe pluribus beneficijs ab illo adiuuari. Aſpides etiam & undarum beluas, cocodrilos hominibus inſidiari eoſq; interimere ſolitos, ſua interceſſione ex finibus illis profligatos. Et ſequitur in eodem Epiphanio: Quiq; uel hodie fideles adhuc comperiuntur eodem in loco, ſupplicare conſueruunt, & ſumpto puluere, morſiunculis aſpidum medentur: feræ quoque aquatiles hinc fugam dedere.

Veræ Sanctorū reliqæ ſemper in ſumma ueneratione habitæ fuerunt.

Baſilius in pſal. 115. ſuper eo uerſiculo: Prætioſa in conſpectu domini mors ſanctorum eius, ait: Cum pro Chriſto contingit mors, p̄tioſæ ſunt reliquiæ ſanctorum eius. Iccirco qui contingit oſſa Martyris, quandam ſanctificationis ſocietatem aſſumit, ex gratia corpori inſidente. Similia ſcribit in Barlaam martyrem Chryſoſt. de nati-

Quid in reliquijs sanctorum attendere & considerare oporteat.

uitate septem Machabæorum, homilia 7. Non attẽdas (ait) cinerem sanctorum corporum, nec fauillam reliquiarum carnis, omniaq; ossa consumpta temporibus: sed aperi oculos fidei, & uide eos diuina uirtute, & gratia spiritus sancti amictos, & diuini luminis claritate radiantes. Hi ergo ipsi, de superno solis circulo in terram radij Christo emittente iaciuntur, & a corporibus eorum prosilientes, coruscaluce fulgoris, sicut speciem Ecclesiæ gaudentis illustrant, ita faciem diaboli inuidentis obcęcant. Et post aliquanta dicit, Dæmones ubi coronatorum martyrum uiderint corpora posita, longe ilico a conspectu eorum pauidos fugere. Non enim ad naturam eorum intendunt, sed in arcanam dignitatem & gloriã Christi, qui in agone certantium, induta corpora martyrum suorum sicut arma portauit, atque inde trepidant dæmones. Cui subiungit, ideo pretiosa esse corpora martyrum, quoniam plagas pro domino susceperunt, & quia stigmata propter Christum membris suis impressa ferunt: & sicut corona regalis undiq; decorata fulgores uarios emittit, ita & sanctorum martyrnm corpora.

Homilia quoq; 28. & in sermõne de Ascensione Domini, habet plurima in eandem sententiam, & ait, Angelos templa sanctorum martyrum frequenti multitudine sine intermissione uisitare & obsidere: Meminitq; ibidem solennis cuiusdam processionis, quæ eodẽ die Ascensionis Domini quotannis ex Constantinopoli ad templũ sanctorum martyrum, quod extra ciuitatem erat, solebat celebrari. Sermone item 35. de uirtutibus & uicijs, hortatur, ut consideremus quas uirtutes Pauli uestes habuerint: Pauli (inquit) uestes morbos fuderunt, Petri umbræ mortem fugarunt, sanctorum martyrum cinis improbos dæmones expulit. Et in libro contra Gentiles ita ait: Post uiuæ uocis facultatem, ipsa certe sanctorum sepulchra proximum locum obtinent, ad animas hominum in ipsos sanctos intuentium ad uirtutum earundem æmulationem excitandas. Ac scimus, si quis huiusmodi monumentis adstet, suum statim sensum ab hac ui correptum animaduertit. Capsulæ enim aspectus in animam inuadens, ipsam percellit & exuscitat, ac perinde afficit, quasi qui illic mortuus iacet, preces simul fundat, præsensq; adesse cernatur.

Sed & Asterius Amazeæ in Ecphrasi in Euphemiã martyrem, qui in septima Synodo sæpius allegatur, Refert Christicolas eius loci, ubi sancta

ſancta uirgo quieſcit capſulam, in qua ſacrum corpus continetur, ſoliꝫ tos in aſpectum proponere, ipſamqꝫ martyrem laudare, ac feſtum eius annuum frequenti populi conuentu ſolenniter celebrare. Quodqꝫ ſacerdotes populo myſteria indicauerint, & martyris memoriam prædicatione ſua amplifice extulerint, laudauerintqꝫ, & confluentem populum, quo pacto uirgo certamen ſui roboris aggreſſa ſit docuerint.

Hac de re ſentiunt, & ſcribũnt patres Eccleſiæ Latinę. Hieronymus toto libro contra Vigilantiũ. Vbi & inter alia meminit eius, quod Romanus pontifex offerat domino ſua ſacrificia ſuper corporibus ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & tumulos eorũ arbitretur, altaria eſſe Chriſti. Teſtatur quoque ibidem quanta ſigna apud cineres ſanctorum quotidie fiant, &cęt.

Sanctus Auguſtinus huic adſtipulatur multis in locis, preſertim lib. nono Confeſſionum, cap. ſept. ubi translationis ſanctorum martyrum Geruaſij & Protaſij, & miraculorum ibidem eo tempore factorũ meminit. Similiter lib. retractatio. primo, cap. 13. ubi in hæc uerba ſcribit: Ego ipſe quando hunc librum ſcripſi ad Mediolanẽſium corpora martyrum in eadem ciuitate cæcum illuminatum fuiſſe iam nouerã: & alia nonnulla, qualia tam multa etiam iſtis temporibus fiunt, ut nec omnia cognoſcere, nec ea quæ cognoſcimus enumerare poſſumus. Sic libro uigeſimoſecũdo de ciuitate dei, prolixo capitulo, ordine octauo pro dogmatis iſtius aſſertione, non minus uiginti miracula & ſigna admiranda enumerat, quæ apud corpora ſanctorum martyrũ exhibita & oſtenſa Chriſtifidelibus fuerant, & quorum partem magnam preſens ipſe, ut de ſe teſtatur, uiderit. Meminit inter hæc, quomodo eiuſdem loci Epiſcopus Lucillus, memoriam ſancti Stephani populo præcedente atque ſequente portauerit in manu, & fiſtula cuius moleſtia iamdiu laborauerit, nec tamen per medicos poterat curari, illius pie ſarcinæ portatione, ubi ſanctas attigit Reliquias ſit liberatus. Reſtituta ſibi repente ualetudine. Teſtatur præterea Chriſtianos ſuo tempore non uulgari, ſed precipua deuotione ſanctorum Martyrum Eccleſias uiſitare conſueſſe. Sic libro ſexto Confeſſionum. Et libro de Eccleſiaſticis dogmatib. adhortatur: ut ſanctorum præcipue beatorum martyrũ reliquias & corpora honoramus, non aliter quam Chriſti domini noſtri membra, & baſilicas nominibus eorum appellatas affectũ pijſſimo, & fideliſſima deuotione dicit adeundas eſſe.

Solemnibus proceſſionibus ſanctorum reliquiæ circũlatæ ſeu portatæ.

Et si quis contra hanc sententiã uenerit, non hunc Christianum, sed Eunomianum & Vigilantianum esse censet.

QVID OBTENSAE REFORMAtionis liber aduersus hæc doceat.

Liber Reforma. non paucis locis contemptissime loquitur de ossibus sanctorum. Exigit ut prædicantes magno studio arguant & abrogent tanquã abusum, quod quidam credunt Deum citius exaudire in loco uno aliquo, uti apud ossa sanctorũ, quã alibi. Idcirco quod ista sit grauis offensio & imminutio gratiæ Dei, meritiq; Christi. Fol. 64. fa. 1.

Peregrinationes item & uota, quæ ad ea loca fiunt, censet esse superstitiosa. Folio 29. fa. 1. & folio 64. fa. 1.

Superstitiosum quoq; usum hucusq; fuisse, quod homines pro honoratiori conseruatione Reliquiarum dono aliquid cõtribuerunt. Quemadmodũ Vigilantio quoq; doluit martyrũ Reliquias precioso operiri uelamine.

At Hieronymus, Si hoc (inquit) superstitiosum esset, iam oẽs Episcopi, non solum sacrilegi, sed & fatui essent iudicandi, qui cineres dissolutos in serico, & uase aureo portauerunt: stulti quoque omnium Ecclesiarũ populi, qui occurrunt sanctis reliquijs, & tanta lętitia, quasi præsentem uiuentemq; prophetam cernerent, susceperunt.

DE IMAGINIBVS.

Vsus imaginũ fuit in Ecclesia a tempore Christi.

QVod ab Apostolorũ tempore in uniuersa Christi ecclesia fuerit imaginũ usus tam manifestũ est, ut negari nõ possit. Qui uero de eo nõ fuerit sufficiẽter informatus, is poterit legere Actiones septimi uniuersalis Concilij in Nicæa Bitiniæ, cõtra Iconoclastas seu Iconomachos celebrati. In qbus reperiet innumera testimonia ex patribus, qui a tẽpore Apostolorũ usq; in Occidentali & Orientali Ecclesia floruerunt, & successiue claruerunt, fideliter allegata, & in ijsdẽ Actis cumulatim & abũde proposita. Quales inter alios sunt Athanasius ille, Eusebius Pamphili, Basilius Magnus, Gregorius Nizænus, Gregorius Theologus, Isiodorus Pelusiota, Cyrillus, Nilus, Asterius Amasææ, Theodorus Myrorũ, Anastasius, Sophronio, Euagrius, Theodoro Lector, Germanus patriarcha Cõstantinopolytanus. Et ex Latinis, Hieronym. Ambro. Gregorius. Exponiturq; & declarat in eodẽ Cõcilio uenuste & ad unguem. Principio quare ecclesia Christi a sui initio semp permiserit imagines: deinde quomodo imagines pie colendæ sint, & quis earum usus.

Testatur

Teſtatur primum a Manichæis, Martianitis & alijs hæreticis, qui fateri nolebant duplicē in Chriſto naturam, imagines primum uilipēſas & reiectas, uidelicet ne uniuerſali uſu imaginum in Eccleſia conuincerentur, eius quod Chriſtus dominus uerus & ſenſibilis homo, nobis ſecundum carnem & membra ſimilis per oīa fuerit. Demonſtrat quoque idē Concilium perpulchre uſum imaginum nullatenus pugnare, cum mandato illo Dei: Non facies tibi imaginem aut ſimilitudinem, quam adores aut ſeruias & cæt. nec eſſe iſtud huic cōtrarium. Imo fuiſſe & in ueteri Teſtamento a principio multas imagines & ſimilitudines, nō modo extra, uerūetiā intra tabernaculum & templū. Quarū uſus pius fuerit Iudęis talis, & ad eundem modum, quo nos, nimirum admonitionis cauſa, imagines ſeruare debemus.

Quare hæreticis exoſæ imagines.

Vſus Imaginū non pugnat cum mandato Dei.

Exodi 25. 3. Regum 6.

Demonſtrat quoque rem eſſe longe aliam Idola Ethnicorum, & aliam noſtras imagines: cum idola fuerint dæmonibus conſtituta, quibus Ethnici, & aliquoties etiam Iudæi Idololatræ, diuinos honores & cultus exhibuerunt. Noſtræ uero imagines ſint & eſſe debeāt ſigna tantum & memoralia, quibus pręcipue domini noſtri Ieſu Chriſti incarnatiōis, ſalutaris uitæ, paſſionis, mortis, reſurrectionis, aſcenſionis quoq;, & alioꝝ diuinorum operum eius reminiſcamur. Sic ut imago nunquā ſatis laudatę uirginis Marie matris Dei, ſit tanquam ſignum quoddā, quo corde expendamus, quomodo benedicta illa mater (cum fuerit humanæ noſtræ naturæ) inuiſibilem illum & omnipotentem Deum, ſupra captum angelorū & hominum, in ſuo corpore cōceperit, & de ſua carne, carnem ſubminiſtrauerit, genueritq;. Qua propter eam tanquam ueram Dei matrē laudamus, magnificamus, & ſupra oīnes uiſibiles & inuiſibiles creaturas extollimus. Quodq; modo ſimili imagines prophetarum, apoſtolorum, martyrum & aliorū Deo dilectorum ſanctorum ſint quædam ſigna, per quę diuinæ conuerſationis, uitę, paſſionis, & tranſitus eorum, tanquam in ſpeculo quodā admoneamur. Quo ſic animi dilectionem & affectum, quem erga eos gerimus, aſpectu imaginum ipſorum exuſcitemus.

Differentia inter Simulacra gentium & imagines ſanctorum, & quis debeat eſſe imaginū uſus in Eccleſia.

Atq; idcirco honor ille, quē imaginibus impendimus, non imaginibus in ſe conſideratis, ſecundū ſuam materiam, aut etiam artificij formam, ſed prototypo ipſi, cuius memoriæ imago ſtatuitur, impendatur. Ac proinde nos Chriſtianos (quādo corā imagine ſanctæ crucis Chriſti genua curuamus) nō lignū ipſum, ſed eūm, qui in ligno propter pctā noſtra mortuus eſt, adorare. Similiter qñ imagini matris Dei aut alioꝝ ſctōrū exhibemus honorē, nō alligari animū noſtrū, aut hęrere in externa figura imaginis, ſed reſpicere in uiuos illos ſctōs, qui apud Deū ſunt, neque

Veneratio quæ imagini exhibetur, in prototypū tranſit & redundat.

neque tamen ipsos etiam sicut deos adorare, aut eis diuinos cultus impendere: sed potius nos uirgini Mariæ tanquam matri Dei, & alijs sanctis tanquam fidelibus Dei ministris (in quibus Deus gratiã suã abunde operatus est & ostendit, quicq; nunc apud Deum, cui præsentes adsunt, fideliter pro nobis orant) tantum decentem illum honorem, quem Christianum & fraternum requirunt officium exhibere. Quemadmodum etiam nos mortales illos homines, qui præ cæteris, intelligẽtia maiori, aut præclaris uirtutibus ornati sunt, non immerito, honoribus debitis prosequimur. Dant quoq; patres in eodem Concilio similitudinẽ eius talem, quod sicut acceptis a Cæsare literis, osculamur non cerã aut figuram sigilli aut forte plumbum, sed tali osculo, absenti Cæsari honorem deferimus. Ita nostram Christianorum mentem, quando coram signo sanctæ crucis geniculamur, aut osculum figimus, non esse, ut lignũ illud adoremus: Siquidem lignum illud cum uetustate marcessit, aut arroditur, nihili pendimus, sed quia signum illud, quasi sigillum quoddã passionis Christi aspicimus, eius admonitione salutamus, & adoramus ipsum, qui propter nos in eo crucifixus est. Quodq; propterea, id est, propter Christum & eius passionem, signum illud crucis in Ecclesijs, in domibus, in foro, in uijs publicis, & alibi passim, erigat̃, statuaturq; Intexatur etiam uestimentis, quo eius frequenti aspectu, omni tempore, omnibusq; in rebus domini nostri Iesu Christi, & salutiferæ passionis eius sumus memores.

Olim in omnibus locis passim crucis imago describebatur.

Exemplo simili, ut in eodem dicitur Concilio, quando librum Euangeliorum (quo more & Iudæi coram libro legis se inclinant & prosternunt) osculamur, non membranas, non pelles, necq; literas atramento pictas, uerum salutifera & sancta illa uerba, quæ ibi inscripta continentur cordis osculo amplectimur.

Ad eundem modum, quãdo ossa aut imagines sanctorum uneramur, non figuras externas, sed dona ueneramur, quæ in sanctis suis mirabiliter operatus est: Laudamus pietatem uitæ eorum, nosq; ipsos ad imitationem accendimus, & petimus, ut eorum intercessione dignetur nos Deus adiuuare, non autem imagines ipsas, aut sanctos tanquã Deos adoramus. Propterea crucẽ Christi, non ita affamur, necq; etiam sanctorum imagines: Dij nostri estis. Non enim sunt Dij nostri, sed tantũmodo similitudines & imagines Christi & sanctorum eius, ad commemorationem, honorem & decorẽ Ecclesiarũ uenerandæ. Nam qui martyrem colit, Deũ ipsum colit: qui matrem ipsius honorat, ipsi honorem assignat: qui Apostolũ honore prosequitur, ipsum qui Apostolũ misit honorat. Rursus uero in eodẽ Cõcilio dicitur, ex beati Anatasij uerbis:

Qui

Qui in alicuius typum, imaginem aut effigiem ignominiosus est, in illũ cuius est typus, iniuriam factam arbitramur. Sicut & beatus Chrysostomus in re simili dicit: Quisquis iniuriam imagini Cæsaris irrogauerit, eum iam Cæsarem ipsum iniuria affecisse.

Contumelia quæ in imagines exercetur irrogatur ipsi Deo.

Ad hæc, præter illa quæ cõmemorauimus, docet & constituit Concilium ipsum, non esse constituendas in Ecclesia imagines, quam uerarũ & piarum historiarum, ac deinde imagines nullo fastu seculari, nullaq; leuitate esse depingendas, quo sic diuinam Christi saluatoris nostri, religiosamq; & piam sanctorum uitam, martyrũ passionem & transitum, quarum causa formantur apte repræsentent.

Citatur in ijsdem Actionibus inter innumerabiles testes, Basilius loquens in hæc uerba: Quemadmodũ a Deo Christianam & inculpabilem nostram fidem, ueluti hereditario iure accepimus, sic cõfiteor & in eo maneo. Credo autem in unum Deum patrem omnipotentem, Deum patrem, Deum filium, Deum spiritum sanctum. Vnum Deũ hæc tria adoro & glorifico. Confiteor etiam filij incarnatam οἰκονομίαν: deinde sanctam Mariam, quæ secundum carnẽ illum peperit, hanc deiparam uocans. Suspicio etiã sanctos Apostolos, prophetas & martyres, qui pro me apud Deũ supplicant, quo per illorum mediationem, propicius sit Deus noster benignissimus, & remissionem peccatorũ mihi gratis largiatur. Quã ob causam, & historias imaginum illorum honoro, & palam adoro: hoc enim nobis a sanctis Apostolis traditum, non est prohibendum, sed in omnibus Ecclesijs nostris eorũ historias erigimus.

Inter alios plurimos, inducitur illic & sanctus Nilus, ut qui proconsuli Olympidiorũ (qui a beato uiro scisscitatus fuerat quomodo templũ, quod instituerat ædificare, imaginibus ornare deberet) rescripserit. Ita nimirum, sanctæ crucis imaginem locandam ad Orientem (intelige in altari, quod Orientẽ uersus statuebatur) propterea, quod passione domini nostri Iesu Christi, per unicum & salutiferum crucis lignum totum genus humanum liberatum sit. Et idcirco per hanc desperabundis undique spes salutis annuncietur. Verum hinc inde parietes replendas doctissimi pictoris opera noui & ueteris testamenti historijs, quo scilicet hi qui literas non norunt, neque sacram scripturam legere quæunt, contemplatione picturæ in memoriam reducant, quinam fortiter, uero illi Deo, per uirilia facta seruierunt, atque in certamen excitentur, glorioſorum & laudatorum facinorum, per quæ cœlum cũ terra commutarunt.

Introducunt in ijſdem illis Actionibus elegantes tres epiſtolæ: Quarũ prior eſt Gregorij ſecundi. Reliquæ uero duæ Germani patriarchæ Conſtantinopolitani, prolixiores quam ut queant huic loco totæ inſeri. Quanquam o ſi in uernaculam noſtram linguam propter ſimplices quoſq; plebęos transferrerentur. Gregorius ſecundus dicit Eccleſiæ capita & columnas permiſiſſe imagines, quo forma domini Chriſti ſecundum humanitatem omnium oculis proponeretur, per quam humilitatis Dei altitudinem noſceremus, & diſpoſitionem illius incarnationis, ſanctæ conuerſationis, ſanctæ mortis, reſurrectionis quoque & aſcenſionis in cœlum in memoriã reduceremus: Si enim (inquit) res iſtę nondum contigerunt, non per picturam ſignificentur. Si autem cuncta facta ſunt, magnumq; hoc pietatis myſterium eſt: utinam fieri poſſit, ut & cœlum, & terra, & aqua, & quicquid in eis eſt, ſiue per uoces, ſiue per colores, ſiue per picturas, omnibus ea poſſet narrare. Germanus uero in ſecunda epiſtola talem de rebus iſtis præbet informationem. Verum (inquit) non offendat quenquam, quod ante ſanctorum imagines lumina, & ſuaue olentia thimiamata accenduntur. Simbolicos enim iſta fieri, non lignis aut lapidibus ipſis, ſed in honorẽ illorum opinandum eſt, quorũ cum Chriſto requies, quorum honor ad ipſum recurrit: hoc ipſum teſtante ſapiente Baſilio, quod erga cõſeruos bonos honor, erga ipſum dominum commune beneuolentiæ ſignum exhibet. Senſibilia enim lumina, ſymbolum ſunt, immateriales illius & a Deo dati luminis. Aromatũ autem incenſio ſynceram & totũ ſancti ſpiritus afflatum & repletionem ſignificat.

Quare luminaria accendũtur aut thura apud imagines crementur.

Idem ille Germanus teſtatur eadem Epiſtola, Deum ſæpe mirifica deſignaſſe miracula hominibus, qui admonitione imaginum ardenti erga Deum & ſanctos eius affectu commoti fuerunt. Inter plurima quæ illic recenſet, ait reperiri apud Euſebium Pamphili, ſcriptum in Eccleſiaſtica eius hiſtoria, extitiſſe Panneadæ (quam & Cæſaream Philippi Euangelium uocat) prę foribus domus mulieris illius, ſanguinis profluuio laborantis, quæ tactu fimbriæ ſeruatoris fuerat a profluuio liberata, imaginem ex ære fuſam, quæ domini noſtri effigiem repræſentaret. Exaduerſo autem ſtatuam eiuſdem mulieris genibus proluolutæ palmaſque ſuppliciter ad ipſam Chriſti ſaluatoris imaginem tendentis, ad pedes uero imaginis Chriſti, herbam quandam peregrina & ignota ſpecie ſuccreuiſſe, qua omnium morbórum genera fuerint curata. Quod & ipſe Euſebius oculis ſe uidiſſe affirmat. Eundem illũ Euſebium allegat ſcribentem ſe imagines ipſius domini noſtri Ieſu Chriſti, Apoſtolorum item Petri & Pauli, ex coloribus depictas uidiſſe, ad uiuam eorum ſpeciem. Ac tandem ita concludit Germanus ille Epiſtolam

Lib. 7. cap. 14.

Miraculum imaginis Chriſti in Cæſarea Philippi.

lam ſuam. Hęc autem non dicimus, quod arbitremur nobis circa æreas rum ſtatuarum operoſitatem laborandum, ſed tantūmodo ut admonea mus ueterem conſuetudinem non eſſe reiſciendam. Teſtantur quoque Actiones ſeptimi illius Concilij Patres, qui ſexto uniuerſali Concilio in Conſtantinopoli habito interfuerunt, concordi ſententia declaraſſe & definiuiſſe, Chriſtianum & pium eſſe uſum, ut in Eccleſia ſeruetur imago agni Dei, quem Iohannes Baptiſta digito demōſtrauit: quo per eam recordemur Chriſtum Deum noſtrum ſecundū humanitatem fuiſſe uerum illum agnum, & eſſe qui tolleret peccata mundi. Quodque poſthac in imaginibus pro ueteri agno Iudæorum erigi, poſſit & debeat noui agni talis figura, ac nos eiuſmodi imaginibus, ad recordationem ſalutaris illius mortis, quam in carne ſua Chriſtus pertulit, manuducendos.

Verba Canonis ſexti illius generalis Concilij, ſicuti in ſeptimo recitantur ſunt iſta: In quibuſdā uenerandarum imaginum picturis, agnus digito præcurſoris indicatus, qui in typum gratiæ eſt aſſumptus, uerū illum nobis per legem præſignificatum agnum Ieſum Chriſtum indicat. Veteres igitur typos & umbras ueluti ueritatis ſymbola, & præfigurationes Eccleſiæ traditas, amplexantes, gratiam & ueritatem ueneramur, &cæt. *Definitio ſexti Concilij generalis.*

Tandem in ſeptima illa Oecumenica ſynodo in hanc ſententiam concluditur, quod oporteat nos Eccleſiaſticas traditiones, ſiue ſcripto, ſiue conſuetudine in Eccleſia retentas (quarum de numero ſit imaginum effiguratio, quibus in hoc utimur, ut recordemur, & affectu amplectamur res ſignificatas) unanimiter & inuiolabiliter obſeruare, quodque eiuſmodi imaginibus honor debeat exhiberi: non quidem ille, qui Deo debetur, quē latriam appellamus, ſolique ſuo Creatori a creaturis omnibus debet exhiberi: ſed tantū is qui ſit in recordationem. Quemadmodum & typo uenerandæ ac uiuificantis crucis, & ſanctis Euangelijs, & reliquis ſacris oblationibus, ſuffitus facimus, & luminaria reuerenter accendimus, prout ueteribus pie hoc in conſuetudinem adductū fuiſſe, idem Concilium teſtatur. Sic em̄ ſanctorum noſtrorum Patrum obtinere diſciplinam, & traditionem Catholicæ Eccleſiæ, quę a finibus uſque ad fines Euangelium ſuſcepit. Dānat quoque eos omnes, qui auſi fuerint aliud ſentire, aut docere, aut more impiorū hæreticorum Eccleſiaſticas traditiones contamināre, aut nouam quandam uaniloquentiam induxere, aut quicquā de conſecratis in Eccleſia ad cultū aut recordationem Dei, qualia ſunt crux & imagines, & uerę ſanctorū Reliquię, abijcere: deniq; & illos q ſacratis Deo rebus tanquā uilibus & prophanis utun- *Septimi Concilij generalis.*

tur. Cum ampliori istorum explicatione, uti in Decreto ipso & subscriptionibus Episcoporum est uidere. Atq; hanc uniuersalis Concilij definitionem receperunt comprobaueruntq;, omnes illius temporis patriarchæ & Catholici Episcopi, tam Orientalis quam Occidentalis Ecclesiæ, uti in Epistolis Synodicis, quæ in eisdem Actis reperiuntur aperte satis est uidere.

Qui de his plura cognoscere uoluerit, uideat Iohannẽ Damascenũ lib. 4. de fide orthodoxa, cap. 17. & beatũ Gregoriũ in Regest. lib. 6. epistola 53. ad Secundũ Episcopũ, & lib. 9. Epist. 3. ad Serenũ Massilien. Episcopũ, & lib. 9. Epist. 9. ad eundem: ubi breuiter scribit in hanc sententiam, q; oporteat populum sacrę scripturæ testimonijs diligẽter doceri, quod nihil manu factum quauis ratione adorare liceat. Cum scriptum sit: Dñm Deum tuũ adorabis. Imagines uero retineri in Ecclesia ad ædificationẽ imperitorum, & ut nescientes literas, ipsam historiã pictam attendentes, eam memoriæ reconderent. Atq; ubi ad talẽ usum adhiberent, uoluit oñibus modis eas & fieri & haberi in Ecclesijs, &c.

QVID REFORMATIONIS liber istis tradat contrarium.

Liber ille uult esse Idololatriam, si quis imaginibus honorem ullũ impendat, & Deum grauiter illud facere uetuisse. Quodq; palam hac re peccetur contra secundum illud mandatum, quo dominus præcipit: non facias tibi similitudines, non coles eas: eosq; omnes incidere in tam enorme crimen, qui coram imaginibus luminaria accendunt, cantant, thura adolent, geniculantur, aut ornant eas. Folio 64. fa. 2. & fol. 55. & 66.

DE IEIVNIO CHRISTIANO.

INter ista duo, tẽperanter scilicet uti cibo & potu, & q̃d Ecclesia ieiuniũ appellat, facit scriptura nõ paruũ discrimẽ: cũ loquit̃ pluribus in locis de ieiunijs a primoribus certo tẽpore ad obseruandũ cõmuni populo impositis, non tantũ necessitate aliqua ingruente, uerũetiã quæ institutis & certis temporibus obseruantur.

Augustinus libro 2. quæstionum Euangel. capite 18. tradit duplex esse ieiunium: quoddam in tribulatione, alterum uero in gaudio. Et de utroque respondisse dominum, cum interrogaretur, cur discipuli eius non ieiunarent, Lucæ quinto.

Exigit

Exigit etiam ſcriptura ut ad eum modum ieiunium ſeruetur, quo modo primores Eccleſiæ ad obſeruandum impoſuerũt. Et Chriſtus (cum dicit, Cum ieiunatis) haud dubium loquitur de ieiunio ad certa tempora inſtituto. Alioqui in communi docuiſſet ut ſemper temperanter uiuerent homines, abſtinerentq; a ſuperfluo cibo & potu: quemadmodum Lucæ 21. facit. Hic autem dicit: Cum ieiunatis &c. In quo etiam docet Chriſtus, ieiunium eſſe opus bonum, quod deus clementer aſpiciat & remuneret. Ita enim ait Matth. 6. Tu autem cũ ieiunas unge caput tuum, & faciem tuã laua, ne uideariſ hominibus ieiunans, ſed patri tuo, qui eſt in abſconſo: & pater tuus qui in abſcõſo uidet, reddet tibi.

Licet autem ieiuniũ orationis cãuſa in primis indici debeat, pter hoc tamen caſtigatio quædam eſt & mortificatio carnis: quã Deus tanq̃ bonum quoddam opus a nobis exigit. Neque recens pro lege impoſitum eſt ut diebus ieiuniorum abſtineatur a carnibus. Theleſphorus enim pius & ſanctus Pontifex, qui iſtud inſtituit, longe ante mille annos uixit, non contemnendus Romæ Epiſcopus, ſed qui ſanguinem ſuum pro domino Chriſto effuderit. In Concilio Laodicæno præcipitur, ut ieiuniorum tempore aridiori cibo, qui ieiunio conueniat, ueſcamur. ca. 50. Quanq̃ præterea etiam præceptũ ſit, ut in diebus ieiuniorum, ab illorum piſcium eſu, quibus caro inflãmari poſſet, non minus q̃ a carnibus abſtineretur. Sicut teſtatur beatus Gregorius ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum. Concilium Toletanum octauum. cap. 9. dicit, Eſum carnium Quadrageſimali tempore acerrime prohibitum, nec licere cuiq̃ hanc legem tranſgredi: niſi a ſacerdote, hoc eſt, ordinario ſuo Paſtore, propter extremam ſenectutem, aut euidentem aliquem languorem, ſiue neceſſitatem aliã ineuitabilem, ſibi carnibus ueſci permittatur.

Auguſtinus epiſtola 86. ad Caſul. de ieiunijs priſcorum, dat talem regulam, q̃ unuſquiſq; debeat hoc modo & tempore ieiunare, quo in Eccleſijs ad quas forte deuenerit, ieiunatur. Si tamen quod bonũ Chriſtianum decet, iuxta mandatum Domini, non uelit alijs eſſe ſcãdalo, nec quenq̃ ſibi. Facit ibidem mentionem de ieiunijs feriæ Sextæ & Sabbati. *Auguſtini ſententia quando & quomodo ſit ieiunandum.*

Concilium Gangrenſe, damnat tam eos qui eſum carnium omnino ſuperſtitione quadam prohibent, quaſi caro ſit cibus abominabilis, & creatura qua Deus uetuerit uti, q̃ illos qui communia totius Eccleſiæ ieiunia putauerũt contẽnenda. Epipha. dicit Aeriũ ideo cõdẽnatũ hæreſeos, q̃ docuerit non eſſe certis temporibus ieiunandum.

Hæc enim uolunt esse Iudaica, & pertinere ad iugũ seruitutis. Cũ non sit iusto lex posita, &c. ipsumque Aerium ita dixisse, si omnino uolo ieiunare, qualemcunq; eligam diem a me ipso, & ieiunabo propter libertatem. Vnde apud Aerium & suos discipulos, ut idem refert Epiphanius, studium est, ut potius in die dominica ieiunent. Quarta uero & pro sabbato (quæ est sexta, quibus diebus Christiani in humilitate ieiunant) uescantur pro sua libidine. In diebus autem Paschatis, quando apud nos fiunt humi dormitiones, castitates, afflictiones, aridorũ esus, preces, uigiliæ, ac ieiunia, & omnes animarũ salutes, per sanctas afflictiones: Ipsi a summo mane obsonantur, carneq; ac uino uenas suas explentes cachinnantur, ridentes ac subsannantes eos, qui sanctum hunc cultũ hebdomadæ Paschatis perficiunt, lib. 3. Tom. 1. hæres. 75.

Significat hebdomodam quæ festũ Paschæ præcedit.

Quanta disciplina in hebdomada sancta olim.

QVID OBTENSAE REFORMAtionis liber aduersus hæc doceat.

LIber Reformat. dicit ieiunium non esse opus per se bonum, aut pium cultum Dei. Folio 67. facie prima.

Item, quod ieiunium nemini possit mandato imponi. Patrés item uetéres nullum præcepisse ieiuniũ, sed tãtum cõsuesse admonere, ac propterea clementissimum principem nostrum, ut qui noui testamenti spiritus, non literæ debeat esse minister, nescire cuiquam præceptum de ieiunio esse imponendum, aut cuiusquam conscientiam eo obstringendam. Folio 67. fa. 1. & folio 125. facie prima.

Item, delectum ciborum tanquam rem inutilem nihili ducit. Folio 29. facie pri. & folio 126. Ea de causa clementissimum principem nostrum nescire quicquam præcipiendum esse de delectu ciborum.

Dicit rem esse superstitiosam ueræq; puritati uiolationem, uelle ieiunare, castigare corpus ad satisfaciendum pro peccatis, aut promerendũ aliquid à Deo. Folio 69. facie 1.

Cum tamen antea dixerit, ieiunium orationi pèculiariter conuenire, propter remissionem peccatorũ, gratiam, auxilium, & dona Dei impetranda. Folio 66. facie 2.

Vult item liber consuetudinem illam, qua preces uespertinæ per Quadragesimam ante meridiem dicuntur esse blasphemiam quandam & irrisionem diuinæ maiestatis. Folio 69. facie prima.

At immodica est hyperbole ista, etiam si concedamus abusum aliquem esse.

Ieiu-

Ieiunium Pauli apoſtoli proponit in exemplum liberi ieiunij.

Quaſi Apoſtolus liberum ieiunium ſibi ſeruãdum elegiſſet, triduo illo cum poſt deiectionem in terram, in Damaſco iacens, neq; biberet neq; comederet. Fol. 66. facie 2. & folio ſequenti, facie ſecunda. Cum tamen ſcriptura inediam iſtam non pro tali ieiunio deſcribat, & utiq; acciderit potius ex debilitate & timore, quo fuerat conſternatus, q̃ tali propoſito.

DE CATHOLICA ADMINIſtratione Sacramentorum.

VErbum Dei exigit ut in ſacramentorum adminiſtratione, eandem regulam, modumq; & formam ſeruemus. 1. Corint. 1. ubi S. Apoſt. Corinth. acriter corripit diſſentionis & ſciſmatũ quæ tum inter eos uertebantur, propterea quod unus ab hoc, alius ab alio fuerat baptizatus, & his uerbis eos alloquitur: Obſecro uos fratres, per nomen domini noſtri Ieſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in uobis ſciſmata: Sitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia. Conſimili modo facit in eadem epiſtola cap. 11. Quibus ex locis, Synodus Toletana quarta, decernit ut nihil diuerſum aut diſſonum in Eccleſia ſticis ſacramẽtis agamus, ne quælibet noſtra diuerſitas, apud ignotos ſeu carnales, ſciſmatis errorem uideatur oſtendere, & multis extet ſcandalum uarietas eccleſiarum.

Sacramenta debent uniformiter ubiq; adminiſtrari.

Quo uero malo tanto occurratur, antiquis Canonibus ſancitum eſt, ut in Occidentalibus Eccleſijs, quæ utiq; a ſancto Petro eiusq; ſucceſſoribus inſtitutæ ſunt, norma illa in adminiſtratione ſacramẽtorum obſeruaretur, quæ in Romana & apoſtolica Eccleſia ſemper fuit, & ad nos uſq; delata eſt. A qua cæteræ eccleſiæ initium ſuũ acceperunt: quodq; cõtra hanc nulla nouitas temerarie introducatur, quæ aliunde autoritatem ſuam aut exemplum petat. Vide c. quis neſciat, 11. diſt. In quo Papa Innocentius, q uixit ſeculo S. pris Aug. teſtatur, Decentiũ epiſcopũ ſæpe ad urbẽ Romã ueniſſe, ac ſecũ in eccleſia uerſatũ fuiſſe, ibiq; inqſiuiſſe, didiciſſe & intellexiſſe, quẽ morem uel in cõſecrandis myſterijs, uel in cæteris agẽdis arcanis, teneat eccleſia Romana. Præcipitq; cõſequent in eodẽ c. Decẽtio iſti, ut populum ſuum doceat mores eiuſcemodi: & ſi qui reperiãtur huic apoſtolicæ inſtitutioni non acquieſcere, ut tales adhortetur, commoneſciatq;, ut deſiſtant, aut ſibi eos indicare nõ differat: quo ſcire ualeat, qui aut nouitates introducant, aut alterius eccleſię q̃ Apoſtolicæ, in adminiſtratione ſacramentorũ cõſuetudinẽ exiſtimant eſſe ſeruãdã.

Eccleſia Occidentalis debet in ſacramẽtorum adminiſtratione ſequi Romanæ eccleſiæ conſuetudinem.

Longe ante Innocentium hunc tempore, ab omni partium ſuſpitiõe remotus martyr ille Cyprianus, epiſt. 8. libro 4. ſic ait: Scimus nos ſingulis nauigantibus ne cum ſcandalo ullo nauigarent rationem reddidiſſe, & hortatos eſſe, ut Eccleſiæ catholicæ matricem & radicem (ſignificat uero eccleſiam Romanam) agnoſcerent ac tenerent.

Cypriano quoq; ſenior Calixtus, ad omnes Epiſcopos 12. diſtin. c. non decet, ſcribit: Non decet (inquit) a capite membra diſcedere, ſed iuxta ſcripturę teſtimonium, omnia membra caput ſequãtur &c. Et Papa Iulius, ille qui ſanctum Athanaſium reſtituit eccleſiæ Alexandrinæ, ita ait: Nolite errare fratres mei, doctrinis uarijs & extraneis nolite abduci: Satis enim indignum foret, quenq̃, uel Pontificũ uel ordinum ſubſequentium hanc regulam refutare, quam beati Petri ſedem & ſequi uiderit & docere. c. nolite errare, 11. diſtinctione.

Cui conſonat Hieronymus aduerſus Luciferianos: Eccleſiæ em̃ ſalus (ait) in ſummi ſacerdotis dignitate conſiſtit: Cui ſi non exors q̃dam & omnibus præeminens detur poteſtas, tot in Eccleſijs efficientur ſciſmtaa, quot ſacerdotes. Quemadmodum etiam antiquior Cyprianus pulcherrime docuit, Tract. 3. de ſimp. Præl. & epiſt. 6. lib. 1.

Beatus Ambroſius in quartum caput ad Epheſi. dicit, quondam talem ordinem in eccleſia fuiſſe conſtitutum, ut nullus auderet, qui ordinatus non eſſet, præſumere officium, quod ſciret ſibi non creditum uel conceſſum. Eodem modo beatus Auguſtinus uult ut inferiores Epiſcopi authoritati maiorum ſe ſubmittant, ut ſeruetur concordia. de baptiſ. cont. Donatiſt. lib. 2. cap. 3. & in lib. de Eccle. dog. cap. 30. dicit: Obſecrationũ quoq; ſacerdotalium ſacramenta reſpiciamus, quæ ab apoſtolis tradita, in toto mundo, atq; in omni catholica Eccleſia, uniformiter celebrantur: ut legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi.

Leo Magnus ille, ſanctus atq; excellenter doctus, epiſt. 82. ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicen̄. ca. ult. ſcribit in hanc ſentẽtiã: q; connexio totius corporis unanimitatẽ requirat, ſed præcipue exigat cõcordiam ſacerdotum. Quibus cum dignitas ſit communis, nõ eſt tamen ordo generalis: Quoniam & inter beatiſſimos apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis: & cum omnium par eſſet electio, uni tamen datum eſt ut cæteris præmineret. De qua forma, Epiſcoporum quoq; orta eſt diſtinctio: & magna diſpoſitione prouiſum eſt, ne omnes ſibi omnia uendicarent, ſed eſſent in ſingulis Prouincijs ſinguli, quorũ inter fratres haberetur prima ſen-

sententia. Et rursus quidam in maioribus urbibus constituti solicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem uniuersalis Ecclesię cura conflueret, & nihil unq̃ a suo capite dissideret. Qui ergo quibusdam scit se esse præpositum, non moleste ferat aliquem sibi esse prælatum: Sed obedientiam quam exigit, etiam ipse dependat, & c. Et in eandem sententiam docet idem ille Leo, epistola. sua tertia, & quarta ad Flauianum.

Celestinus, qui statim sanctum Augustinum sequutus est, in Decretis ad omnes Galliarum Episcopos, c. 11. testatur, in omni catholica Ecclesia obsecrationum sacerdotalium sacramenta uniformiter celebrari. Atq; hac uniformitate, præcipue quæ in uniuerso mundo circa baptizandos obseruatur, oppugnat Pelagianos, & affirmat cõmunem legem apud sacramenta orandi, ab apostolis cõstitutam, & inde conformiter unanimiterq; obseruatam: ut legem credendi (sicut & Augustinus habet) lex statuat supplicandi.

Magnus etiam Basilius, tali fundamento oppugnat Eunomianos, in libro de spiritu sancto.

Et beatus Iohannes Chrysostomus, uerum intellectum uerborũ Pauli 1. Corinth. 15. (Alioqui quid faciunt qui pro mortuis baptizantur) inuestigat ex uniuersali forma & usu catholicæ Ecclesiæ in sacramento baptismatis.

Item homilia prima de Adam & Eua, ad demonstrandum nos in originali peccato nasci, citat usum uniuersalem in tota Ecclesia catholica receptũ: quo ubiq; docet, paruulos recẽs natos debere baptizari: & post aliquanta demonstraturus, q̃ quicquid habemus boni, non ex nostris esse uiribus, sed a Deo: Citat solennem orationem, q̃ in Ecclesia Græcorum sæpius, apud Latinos autem in die sancto parasceues, in officio diuino solet recitari: Cum enim (inquit) sanctæ sedis sacerdotes, per mandata sibi data, legatione funguntur apud diuinam clementiam, humani generis agunt causam, totamq; secum Ecclesiam aggregantes, atq; congemiscentes, postulant & precantur, ut infidelibus donetur fides, ut ab idololatria & impijs erroribus liberentur: ut Iudæis ablato cordis uelamine lux ueritatis appareat: ut hæretici catholicæ fidei perceptione resipiscant: ut schismatici spiritũ rediuiuæ charitatis accipiant: ut lapsis pœnitentiæ remedia conferantur: cathecumenis ad regenerationis sacramenta perductis, cęlestis misericordiæ aula reseretur. Hæc non inaniter dicit a Domino peti, non obscure significans quanti debeat uniuersalis Ecclesiæ ritus & usus in sacramentorum administratione communiumq; orati

onum lex æstimari, & quantum ad Christianæ doctrinæ confirmationem, & intellectum scripturæ, adferant momenti.

Eusebius libro nono Eccles. hist. cap. 10. orationum talium canonicarum meminit: Licinius (inquit) nostros odio prosequi parat, q̃d non ita pro se sicut pro Constantino, Christiani in solennibus & ex præcepto sibi traditis orationibus, excubarent.

Et imperator Iustinianus in nouel. de Eccles. diuersis capitulis, cõstitut. 123. similiter meminit istiuscemodi canonicarum orationum apud Baptisma & altaris Sacramentum: condemnat quosdam Episcopos apud se delatos, q̃ secundum sacros Canones uitam non instituerent, ac ne ipsas quidem sacræ oblationis, & sacri Baptismatis preces scire, dicerentur. Iubet uero ut exin eligendus in Episcopum, pronunciet sacram oblationem (hoc est, Canonicam precem) ad sacrificium quæ in sancta fit Synaxi, cum cæteris precibus, quæ in sacro proferuntur baptismate. Quarum iterum post plerosq̃ Parag. mentionem facit. Item precum solennium, quas sacerdotes peragũt in publicis supplicationibus, hoc est in Litanijs.

Quem iuuat uidere plura de authoritate & dignitate Catholicæ traditionis, ac usu Ecclesiæ, præcipue in administratione sacramentorum, legat elegantem illum Tertulliani librum de coron. milit. & Cypria. in sermon. de ablutione pedum, ubi dicit, Non minus ratum esse, q̃ dictante spiritu sancto Apostoli tradiderunt, in administratione potissimum sacramẽtorum, q̃ quod ipse tradidit Christus, & in sui commemorationem fieri præcepit. Augustinus autem, putat boni & Christiani uiri officium esse, omnem potius sustinere persequutionem in patientia, quam ut transeat in ullam scismaticam nouitatem. de uera Relig. cap. 6. Imo Eusebius lib. 6. Eccles. historiæ, capite 34. in hæc uerba scribit: Non inferior erat gloria sustinere martyrium, ne Ecclesia scindatur, q̃ est illa ne idolis immoletur: Imo secundum meam sententiam, maius hoc puto esse martyrium. Ibi nanq̃ unusquisq̃ pro sua tantum anima, in hoc uero pro omni Ecclesia martyrium sustinet.

Omnia Potius sustinenda q̃ ut se conferat aliquis adschismaticos.

Cum hæc ita se habeant, nõ profecto licet in Archiepiscopali hac Diœcesi nouam regulã aut morem alium, in administratione sacramentorum potissimum, q̃ catholica & apostolica Ecclesia hucusque seruauit, (sine præcedente consultatione, catholica eiusq̃ conclusione) erigere & introducere.

At uero toto propemodũ libro Refor. prorsus contenditur in contrarium: quod infra in singulis sacramentis diffusius indicabitur.

De

DE ADMINISTRATIONE SACRAmenti Baptismi.

CAtholica Christi Ecclesia tradidit ab apostolorum tempore pulcherrimam religiosissimamq; formam & ordinem baptizandi, continentẽ inter alia duo præcipua quędam: Exorcismum, id est, coniurationem maligni spiritus: & Cathechismum, hoc est institutionem & informationem in his quæ ad fidem pertinent. Multas præterea pias cęremonias, & Canonicas siue regulares preces institutas ad baptismum. De quibus Chrysostomus magnifice sentit: appellat enim arcana & metuenda uerba: horribiles item canones dogmatum de cęlo transmissorum. in 15. cap. ad Corinthios. Augustinus uocat antiquitus traditum & firmum Ecclesiæ ritum, in baptismate paruulorum retentum. ad Sixtum Roman. presbyterum.

Exorcismus. Catechismus.

Iam ut cæremoniarum istarum quas liber Reform. repudiat aliquas recitemus: Hoc in primis semper obseruatum fuit in Ecclesia, ut paruulo ante fores Ecclesiæ allato, sacerdos primum roget paruuli nomen, incipiatq; Exorcismum, & ter exuflat in faciem eius dicẽs: Exi spiritus immunde ab hac creatura Dei, & da locum aduenienti sancto spiritui paracleto. Quod autem ad inquisitionem nominis attinet, habemus eius testimonium apud Dionysium Areopagitã: qui dicit, Sacerdotem non sciscitari modo nomen, uerumetiam inscribere ipsum qui petijsset baptizari. Et quarto Concilio Carthaginen. cui beatus Augustinus interfuit, decernitur 85. cap. q̃ uolentes baptizari debeant dare nomina sua. Neq; id sine ulla ratione: quippe q̃ debeant qui baptizantur, cum abrenunciatione prioris dominationis, Deo dare nomen suum, & catalogo militię eius inscribi.

Cæremoniæ in baptismo obseruatæ.

I. Datio nominis.

Exuflatio similiter ab apostolor̃ tpe fuit in Ecclesia ad hunc usq; diem: nisi q̃ initio quondam qui baptizabatur, mandante Episcopo ipse exuflabat. Quemadmodũ & S. Diony. in Eccles. Hierarch. testatur, ita inquiens: Deinde Occidentem uersus illum statuit, intendentem manusq; impingentem ad eandem regionem conuersas, ac insuflare illum ter sathanã iubet, & præterea abrenunciationem profiteri. Quomodo uero hæc in Ecclesia Græcor̃ sint obseruata, Chrys. in prædicta homilia de Adam & Eua, his uerbis describit: Illud etiã quod circa baptizandos in uniuerso mundo sancta Ecclesia, siue sint paruuli siue iuuenes, uniformiter agit, non ocioso cõtemplemur in-

II. Exuflatio a tpe apostolorum fuit in Ecclesia.

tuitu,quod cum ad regenerationis ueniunt ſacramentum,non prius fontem uitæ ingrediuntur,quã exorciſmis ac exuflationibus clericorum,ſpiritus ab eis immundus abigatur.Et deinceps uaſa eius(diabolum putat) eripiuntur,in poſſeſſionem translata illius uictoris, (intellige Chriſtum)qui captiuam duxit captiuitatem,dedit dona hominibus. Eiſdem prope uerbis leguntur hæc in Auguſtino, libro de Eccleſ.dogmat.cap.31.Et ſubiungit Chryſoſt:His ergo Eccleſiaſticis regulis,& diuina ſumptis authoritate documentis, ita adiuuante domino confirmati ſumus, ut omnium bonorum effectuum atque operum,& omnium ſtudiorum,omniumq; uirtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur,Deum profiteamur autorem,& non dubitemus ab ipſius gratia omnia hominis merita prouenire: per quẽ item fit,ut aliquid boni & uelle inueniamur & facere.&c.Ecce quantam uim probandæ doctrinæ tribuat ſanctus iſte uir catholicæ Eccleſiæ conſuetudini.

Auguſtinus eundem ritum dicit eſſe in Eccleſia Latinorũ,loco ſupra allegato,& epiſt.105.lib.item 4.de ſymbo.ad cathecu.ubi ita ait: Omnia ſacramenta quæ acta ſunt & aguntur in uobis,per miniſteri um ſeruorum Dei,exorciſmis,orationibus,cantícis ſpiritualibus,inſuflationibus,&c.eſcæ ſunt,quæ uos reficiunt in utero,ut renatos ex baptiſmo,hilares uos mater exhibeat Chriſto.Non adiuratur nec exuflatur natura:ſed ille ſub quo cõſtituti ſunt, q in peccato naſcũtur, qui propterea adiurant ur,ut expellatur ab eis hoſtilis potentia,quæ hominem decepit,ut hominem poſſideret. Et alibi libro 2 de gratia Chriſti & peccatorum origine,ca.40.ita ait:Ipſa Eccleſiæ ſacramenta,quæ tam priſcæ traditionis autoritate concelebrat, ſatis indicant paruulos a partu etiam recentiſſimos,per gratiam Chriſti,de Diaboli ſeruitio liberari.Excepto enim q in peccatorum remiſſionem, nõ fallaci,ſed fideli myſterio baptizantur,etiam prius exorcizatur in eis & exuflatur poteſtas contraria.Celeſtinus quoq;,qui Auguſtini tẽpora proxime ſequutus eſt,in epiſt.ad omnes Galliæ Epiſcopos, ca. 12.conteſtatur,hunc uſum tanq; apoſtolicum per uniuerſam Chriſti Eccleſiam uniformiter obſeruari.

III. Exorciſmus ſalis in ueteri Eccleſia.

Secundo exorcizat & benedicit Eccleſia ſal grauibus minimeq; uanis uerbis. Nec debet cuiq; uideri,exorcizationem aut adiurationẽ huiuſcemodi ſalis aut aliarũ creaturarũ,eſſe nouitiũ quoddã inuẽtũ hominum.Fuit enim uſus eius etiam in naſcentis Eccleſiæ primordijs,credebaturq; creaturam benedictione purificari,& recipere uirtutem deſeruiendi nobis,per fidem ad ſalutem.

Ad-

ADIVRATIO ET BENEDICTIO creaturarum non est recens inuentio.

Libro 9. Historiæ Tripart. cap. 34. legitur fuisse Apamię templũ Iouis ualde insigne & robustum, quod cum Episcopus Marcellus cum Præfecto orientis igne iniecto iussissent euertere, apparuit illic deterrimus quidam dæmon, qui flammas ardentes prohiberet operari. Quod cum Episcopus audisset repente ad Ecclesiam concurrit, & aquam in uasculo apportari præcepit, qua subter altari locata in pauimento stratus domino supplicauit, ne amplius tyrannidem dęmoni ullam permitteret: factoq; postea crucis signaculo in aqua, tradidit eam Equitio diacono suo fide & zelo munito, pręcipiẽs, ut uelociter curreret, supponeretq; ignem, & cum fide aspergeret. Quod cum fecisset diaconus, dæmon non ferens aquæ uirtutẽ, aufugit. Aqua uero illa tanquam in olei naturam uersa fuisset arsit, compræhensaq; ligna & templum illud firmissimum solo deiecit. Recitatur præterea ibidem, q̃d & alia Idolorũ templa sacratissimus ille põtifex sit demolitus. Quodq; uictoribus scripserit martyribus frequenter, & rescripta uicissim ab eis receperit, & nouissimo etiam ipse martyrio sit coronatus.

Eusebius in Ecclesiastica historia libro 6. capite septimo, de Narcisso Hierosolymorum Episcopo talem narrat historiam: Narcissus fide (inquit) fidens, ministris imperat haurire aquam, sibiq; deferri, cũq; detulissent, orauit & benedixit aquam, & infundi lampadibus præcepit. Tum repente natura aquæ in olei pinguedinem uersa, splendorem luminum etiam solito reddidit clariorem. Refert autẽ istud in die solenni uigiliarum Paschę, cum oleum deesset luminaribus, accidisse.

Epiphanius Cypri Episcopus libro primo, tomo secundo, contra hæreses, narrat de potenti quodam Iudæo ad Christianismum mirabiliter conuerso, Iosepho nomine, historiam talem: Iosephus (inquit) acceptis a Constantino literis & potestate, in Tiberiadem uenit, habens etiam Epistolas, ut de regijs expensis sumptum faceret: incipit itaque in Tiberiade ædificare. Erat autem opus calce & alia materia. Caminos itaque extra urbem multos facere iussit. At uero callidi Iudæi incantationibus quibusdam ignem ligare, ac disperdere aggressi sunt. Qua propter commotus Iosephus, & zelo erga dominum correptus

extra ciuitatem currit,& ubi aquam in uaſe afferri iuſſiſſet, accepto uaſe aquæ coram omnibus(multitūdo enim ingens Iudæorum confluxerat ad ſpectaculum)magna uoce crucis ſignaculum digito ſuo uaſi impoſuit, & inuocato nomine Ieſu, ſic dixit: In nomine Ieſu Nazareni fiat uirtus in hac aqua ad reprobationem omnis incantatiōis ac magię, quam hi fecerunt, & ad efficaciam potentiæ ignis,ad perficiendam domum domini:& ſic accepit aquam in manum, & de aqua ſingulos fornaces reſperſit,& diſſoluta ſunt incantamēta, & ignis coram omnibus emerſit,&c.Poſſent multa huiuſcemodi teſtimonia ex fide dignis autoribus hoc loco allegari, ſi operæprecium eſſet.

Scripturas ſacras non abhorrere a benedictione & ſanctificatione creaturarum.

Chriſtianis autem hominibus nō debet a fide alienūm uideri,ut creaturæ adiurantur & benedicantur.Non enim(ut Auguſtinus ait)coniuratur natura,ſed ille qui pro ſuo arbitrio creaturam uult poſſidere,eaq; abuti.

Siquidem nouimus propter peccatum Adæ Deum dixiſſe ad Adā: maledicta terra in opere tuo, Geneſis tertio. Nouimus item ex Iob & alijs pleriſq; ſacræ ſcripturæ dictis, denique & quotidiana experientia rerum compertum habemus,huc ſemper adniti diabolum, ut pro mala ſua uolūtate,creatura Dei abutatur. E regione uero ſcimus,& Apoſtolum dicere,pri.Timoth.quarto: Omnem creaturam ſanctificari per uerbum Dei & orationem.Et teſtatur Tobias, diabolum fugere etiam creaturas quaſdam inſenſibiles & incorporeas, ſanctificatas uerbo,Tobiæ ſexto.

Signi crucis operatio & potentia.

Athanaſius libro ſecundo de incarnatiōe uerbi dicit,ſigno crucis pelli oīem artem Magicam,omneq; ueneficium tolli,ſi pie & in fide utamur.In libro item quæſtionum,quæſtione 38.ſic ait: Legem Moyſi uidentes dæmones non tremunt neq; timent, quod ea non ſit operata ſalutem:Crucē autem uidentes, ſępe tremunt,fugiunt,euaneſcunt.Et Chryſoſtomus teſtatur, dæmones ubicunq; uiderint ſignum crucis, fugere, & ad conſpectum uirgæ qua cæſi ſunt,ſemper tremiſcere.

Tantū rebus benedictis uſa eſt uetus Eccle. in myſterijs.

Atque hinc eſt quod uetus Eccleſia,neque cibum ſumpſit,neque potum,neque creaturis ullis uſa eſt in myſterijs,niſi præcedente benedictione.Imo infirmis res ſacratas in cibum & medicinam dederunt. Vide Hieronymum in uita Hilario. quod pani & oleo benedixerit. Similia & de Pachomio legis. Et poſſent ſi liberet innumera ſanctorū Patrū teſtimonia ad probationē iſtius allegari. Sed iſta ſufficiant nobis ad probandū,quod uetus eccleſia creaturas Dei olim ſicut nūc, exorcizauerit & bene-

& benedixerit. In sequentibus speciatim describemus exorcismos aquæ baptismi.

Salis usus in Baptismo apud ueteres.

Ita semper in usu habuit Ecclesia, ût Sacerdos paruulis ad baptizandum oblatis, salem exorcizatum & benedictum in os mitteret. Quod etiam ex uetustissimo Origine in Ezechielem homilia 6. patere potest. Vbi Catechumenos alloquitur, hortaturq; ut se præparent ad hoc, ut fiant sal domini, & non baptizentur, quemadmodum Simon ille magus. Neq; in aquis terrenæ Hierusalem, quę non fuerat sale soluta, neq; digna sale Dei. Quo etiam satis innuat, salem habere spiritualem significationem. Beda quoque in eandem sententiam salem exponit, & dicit, Catechumenos initiari sale sapientiæ cœlestis. Ac propterea nobis præceptum esse, ut in omni sacrificio operum nostrorum salem offeramus. Pius ille Rabanus qui ordinem & ritus ueteris Ecclesiæ ad sua tempora usque usitatos, pulchre conscripsit, uadit in eandem sententiam, & dicit: Datur ei (puta qui baptizatur) sal benedictum in os, ut per sal typicum, sapientiæ sale conditus, fœtore careat iniquitatis, & nec a uermibus peccatorum ultra putrefiat, sed magis illęsus seruetur ad maiorem gratiam percipiendam.

Tertius Exorcismus.

Tertio post dationem salis, & post orationum completionem, quæ dato sale fiũt, incipit Sacerdos ueros exorcismos, de quibus patres tam frequenter loquuntur, quorum pars bona in præcedentibus citantur. Et præterea Augustinus libro de fide & operibus, cap. 6. uerbis utitur istis: Exorcismis (inquit) purgantur. Et paulopost: Exorcizantur, scrutantur, &c. Et in sermone de Sacramẽtis fidel. feria secunda Paschę, ita ait: Vos frumentum estis, quod primum in area domini Euangelica prædicatione collectum & trituratum est. Postea, quandiu seruabamini ad baptismũ, in horreo custodiebamini. Dedistis nomina uestra, & moli cœpistis Exorcismis & coniurationibus: ad fontem deinde uenistis, & conspersi facti estis panis domini, &c. Fiebant exorcismi isti, grauibus & efficacibus uerbis, ac multis signis: qualia sunt impressio signi crucis, impositio manuum super caput baptizandi. De qua impositione etiam sacer ille Dionysius dat testimonium.

Ecclesia ante baptismum semp consueuit diabolum exorcizare.

Quartus Catechismus.

Quarto, Semper in Ecclesia Catholica Catechismus exorcismum sequutus est. Et olim aliquando cum adhuc scrutinia solennia in Ecclesia exercerentur, a dominica tertia Quadragesimæ usque ad festum Paschæ.

Quo tempore, & quo ueteres catechismum tradiderint baptizandis.

In Pascha

In Pascha uero & Penthecoste tantum daretur (secundum placita Canonum ueterum, Baptismus) seruabatur feria quarta aut sabbato post dñcam Lætare, uocabāturq; dies illi apud ueteres apertiōis auriū. Quo etiā die solebat Ecclesia legere multas lectiones sacræ scripturæ, & precipue quatuor Euangeliorum initia, cum informatione de eo quid sit Euangelium, unde uenerit, quid in eo contineatur, & qui scripserint: postea Acoliti recitabant symbolum & orationem dominicā, quam presbyter grata breuitate exponebat. De quo Augustinus libro quarto de Symbolo ad Catechu. post exorcismos, orationes, insufflationes, & cę. accepistis & symbolū, protectionem parturientis contra uenena serpentis. Adulti uero antequam baptizarentur solebāt in uigilia Paschæ, symbolum & orationem dominicā, ipsi recitare & orare. Quem ritum ante aliquot annorum hecatosta elegantibus literis conscriptum reperimus, in uetustissima Collegij nostri bibliotheca.

Apertio aurium.

Postquam uero scrutiniorum illa solennitas, quæ in multos dies plerumq; protrahebatur, succedente baptismo paruulorū cœpisset omitti, summa catechisationis eiuscemodi in præsentem baptismi paruulorum formā, quæ etiam nūc in usu retinetur, contracta est. Primū enim legitur Euangelium Marci decimo: In illo tēpore offerebant Iesu paruulos, ut tāgeret illos. Deinde iubet sacerdos, ut patrini manus suas imponant capiti baptizāndi paruuli, ac nomine eiusdem profiteantur symbolum, orentque dominicā orationem. Quo facto, mandat presbyter susceptoribus patrinis, ut paruulum ubi ad intelligentiæ usum peruenerit, doceant symbolum & dominicam orationem.

Ordo Catechizandi apud Catholicos.

Postea sacerdos denuo execratur diabolum, dicens: Nec te lateat satha na imminere tibi pœnas, &c. Quo facto dextro pollice sumit de saliua sua, eaque tingens aurē dexteram baptizandi, dicit: Epheta, quod est adaperire. Deinde nares tingens, dicit: In odorem suauitatis. & ad aurem sinistram: Tu autem effugare diabole, appropinquat enim iudicium Dei.

Marci 7. Apertionis aurium apud baptisma uetus traditio.

Ceremonia ista Apostolica est, & in uetustissimis Ecclesijs usitata, & ritus ille antiquissimus, obseruatus in Ecclesia cum adhuc baptizarentur adulti, testatur. Et Ambrosius libro de his qui initiantur mysteri. capri. & libro primo de Sacramētis cap. 1. ubi ita dicit: Quid egimus Sabbato? nempe apertionē. Quæ mysteria celebrata sunt apertionis, quando tibi aures tetigit Sacerdos & nares? Quod dominus noster Iesus cū ei oblatus esset surdus & mutus, tetigit aures eius, & os eius, & ait: ephe ta. Rabanus in libro de institutione Clericorū, similiter dat huic usui ue

tusto testimonium cũm explicatione mysterij, ut quod per saliuam typicam sacerdotis,& attactum eius significentur, ista Ecclesię mysteria. Scilicet aperiri baptizando nares ad percipiendum odorẽ notitiæ Dei, quodq; aperiantur illi & aures ad audiendum mandata Dei, ut ea sensu cordis intimo reponat ad respondendum sacerdoti de fide Christiana interroganti.

Quinto, post cõpletum exorcismũ & catechismum, defertur paruulus primo in Ecclesiam,& requirente presbytero, baptizandus per patrinos suos tribus iterum testimonijs abrenunciat diabolo, interrogatq; paruulum sacerdos. N. abrenuncias Sathanę? Et respondent susceptores paruuli nomine: abrenuntio, &c. ut ad longum & clare in libello Catholicarum Agendarum reperitur. Quod uero abrenunciatio ista sit Apostolica & Catholica, testantur, Sanctus Dionysius Areopagita. Hieronymus item in cap. 6. Amos prope finem. Et Ambrosius in epistola ad Colossenses, & libro de Sacramentis. Augustinus quoq; libro secũdo de Symbolo. Denicq; & ueteres Patres omnes fere, qui preterea contestantur patrinos non suo nomine abrenũnciare, sed nomine paruuli. Ita uidelicet, ut paruuli (quando exorcismo pellitur, & exufflatur contraria potestas) uerbis offerentium & tenentium ad baptisma polliceant abrenũciationem. Sicut beatus Augustinus libro secundo de gratia Christi & peccatorum origine docet.

V. Abrenunciatio.

Abrenũciatio diaboli in baptismo est traditio apostolica.

Sexto, postquam fuerit hoc pacto Diabolo abrenunciatum, debet presbyter secũdum Apostolicam & Catholicam traditionem, ungere baptisandum oleo catechumenorum,& signare signo crucis bis, semel in pectore. Deinde intra scapulas,& dicere. N. Ego te linio oleo salutis in Christo Iesu domino nostro.

VI. Unctio.

Trina Christianorũ unctio, traditio est Apostolica.

Quod autem cõsuetudo ista sit Apostolica semperq; in Ecclesia retenta, testatur in primis sacer ille Dionysius, qui aperte satis exponit, quod baptisandi modum ab Apostolis ipsis, & uiris Apostolicis acceperit: hunc nimirum ut Episcopus ter ungat baptizandum. Huic consonat sanctus Clemẽs Petri apostoli proximus successor, lib. Recognitionũ. 3. Baptizat̃ (inquit) unusquisq; uestrũ in aquis perennibus: noĩe trinæ beatitudinis inuocato super se, perunctus primo oleo per orationem sanctificato. Et q̃ hic ritus ita permãserit in Ecclesia, indicat Origines in Ezechielẽ homil. 7. Et Ambro. lib. 1. de Sacramentis, cap. 2. ubi ita ait: Venimus ad fontem, ingressus es: considera quid uideris, quid loquutus sis considera, repete diligenter. Occurrit tibi Leuita, occurrit tibi Presbyter, unctus es quasi athleta Christi, quasi luctantem huius se-

culi luctaturus. Vnde perspicitur, quare ungatur baptizandus in pectore, nempe ut uera fides cor eius possideat. Qua contra diabolum & mundum decertet assidue: addit etiam rationem, quare ungantur lacerti, nempe ut acer fiat & fortis ad certandum, & iugum domini ferendum. Oportet enim fidem, quæ mente concipitur, operibus impleri: alioqui fides illa mortua est. Sicut beatus Augustinus hac de re Christiane prorsus docet, libro de fide & operibus: ubi & demonstrat catechumenos hisce de rebus ante baptisma edoceri debere. At de tertia unctione, quæ fit post baptisma in uertice, dat beatus Dionysius Areopagita testimonium libro de Ecclesiastica Hierarchia. & Ambrosius libro de his qui initiantur mysteriis, capite sexto. Quorum uerba paulo post subijciemus.

Adstipulatur similiter patribus de his tribus unctionibus sanctus Augustinus ca. Ecclesiasticarum. 11. distinctione. & Rabanus, qui ueterũ Catholicæ Ecclesiæ Patrum ordinationes bona fide conscripsit.

VII. Columna cærea apud baptisterium.

Septimo, Quondam cum Baptisma tantum in Pascha & Pentecoste conferretur, benedicebatur in omni Apostolica Ecclesia, post dictarum Cæremoniarum impletionem columna cereæ candelæ. Deinde legebantur selectæ quædam e ueteri testamento lectiones. Quibus Prophetæ de Baptismo uaticinati sunt: canebanturque dulces melodiæ, & orationes recitabantur. Post hæc omnia Clerus & uniuersus populus Christianus cum baptizandis procedebant ad fontẽ baptismi, Litaniam interim cantantes. Episcopus uero aut presbyter baptismum solenniter consecrabat. Duratq; etiamnum is mos consecrandi fontis Paschali tẽpore, quemadmodum olim. Nisi quod raro admodum diebus illis paruuli ad baptizandum offerantur. At nihilominus consecratur aqua baptismi, ut sit habilis & sanctificata ad baptizandum in totum annum reliquum.

Quod item columna cerea, ut hodie, ita olim fuerit consecrata, & deinde ad fontem baptismi delata, consecratiõiq; baptismatis pro magno & insigni mysterio significando adhibita, eius habetur pulchrum testimonium in excellentissimo, iuxta ac Christiano poeta Prudentio, qui concinnum & iucundum hymnum composuit, ad incensum cerei Paschalis, ita incipientem: Inuentor rutuli dux boni luminis. Quem Ecclesia deinde ob pietatis eius elegantiam in usum recepit. In quem etiam, doctiloquus Erasmus commentarios scripsit. Habentur in hymno illo hæc tetrametra.

O res

O res digna Deus, quam tibi roscidę
Noctis principio grex tuus offerat,
Lucem, qua tribuis nil pretiosius
Lucem, qua reliqua præmia cernimus.

Tu lux uera oculis, lux quoq; sensibus
Intus tu speculum, tu speculum foris.
Lumen quod famulans offero, suscipe
Tinctum pacifici Chrismatis unguine.

Quid autem columna illa significet, & quomodo ad Sacramenti huius mysteria pertineat, carmen illud Prudentij, & hymnus laudationis eius abunde satis explicant. Similiter, quod Catholica Ecclesia ab Apostolorum tempore baptismi fontem consecrauerit, quodque debeat (inuitabili tamen necessitate excepta) fons ille consecrari, complures ex patribus testantur. In primis Dionysius ille Areopagita Apostolorum synchronos, libro de Ecclesiastica Hierarchia, capite secundo, parte 2. Pontifex (inquit) aquas sancta prece ac inuocatione sanctificat, terq; in eas ad crucis effigiem sanctissimum fundit oleum.

Aqua baptismi debet consecrari, nisi urgeat necessitas in qualibet aqua baptizare.

Item Basilius libro de spiritu sancto, capite 27. Benedicimus aquam baptismatis. Ex qua autem scriptura? Nonne a tacita & archana traditione? Et Cyprianus: Oportet (inquit) mundari & sanctificari aquã prius a sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere, libro pri. Epistola 12. In Concilio Carthaginensi (quod tanquã Africæ primas Cyprianus idem celebrauit) legis: quod illo tempore etiam hæretici exorcizauerint, adiurauerintq; aquam baptismi, in sentẽtia Cyrilli a Biltha. Vbi (inquit) exorcizat dæmoniacus Sacramentũ.

Item Ambrosius libro de his qui initiantur mysterijs, capite tertio, hoc loquitur modo: Quid uidisti? Aquas utiq;: & non solas. Leuitas uidisti illic ministrantes, summum sacerdotem interrogantem & consecrantem. Et post aliquanta in eodem capite: Aqua sine prædicatione dominicæ crucis, ad nullas usus futuræ salutis est. Cum uero fuerit salutari crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritualis lauacri, & salutaris poculi temperatur. Et in alio loco libro primo de Sacramẽtis, capite quinto, dicit: Formã baptismatis, & usum eius hæc requirere, ut ante fons consecretur: & deinde presbyter super creaturam aquæ faciat inuocationẽ & precem, ut sanctificetur fons, & adsit præsentia Trinitatis æternæ.

Augustinus libro sexto de baptismo contra Donatistas, dicit aquã

in Ecclesiâ precibus sacerdotis sanctificari. Et in Iohãne tractatu octogesimo: Hoc est (inquit) uerbum fidei, quod prædicamus, quo sine dubio, ut mundare possit, consecratur & baptismus. Ita ad Ianuarium epistola 118. Sicuti (inquit) est baptismus Trinitatis nomine consecratus, Atque hoc modo ab Ecclesiæ primordijs semper obseruatum fuit, excepta tamen imminente necessitate, aut subitaneo periculo. Quemadmodum in Decretis Victoris, antiqui illius Papæ, qui sancto Irenæo conuixit, est uidere. Mysterium autem Baptismi celebriter in Baptismatis consecratione proponit. Præcessit autem consecrationis forma, longe Ambrosij tempora. Cum scribat in eam, quasi commẽtarium quendam, libro de his qui initiantur mysterijs, capite tertio.

VIII. Confessio.

Octauo, semper pro more seruauit Ecclesia, ut accedentes ad baptismum propius, si sint adulti, Apostolicum Symbolum ore proprio, & palam ipsi recitent, confiteanturq;. Si uero sint infantes, qui ad baptismum deportantur, ut scisciteur sacerdos a paruulo, interrogetque: N. Credis in Deum patrem omnipotentem, &c. Quod latius in Catholica Agenda exprimitur. Patrini uero respondeant nomine pueri: Credo. Semper fuisse obseruationem istam in Ecclesia testatur sacer Dionysius in fine Ecclesiasticæ suæ Hierarchiæ, ubi cum sponsor loquitur, paruulus baptizatur: dicit hoc fieri, non ut aliũ pro alio (sicuti irridentes hæretici aiunt) sacris imbuat Pontifex. Neque enim hoc sponsor ait: Ego pro puero abrenunciationes facio, aut fidei Sacramẽta profiteor: sed ita: puer renunciat & profitetur, id est, spondeo puerum inductorum, cum ad sanam intelligẽtiam uenerit, sedulis adhortatiõibus meis, ut abrenunciet contrarijs omnino, profiteaturque & peraget domino quæ pollicetur.

Susceptores in baptismo responderunt a tempore Apostolorum, non suo, sed paruuli infantis nomine.

Sic & Augustinus dicit: Nihil esse aliũd credere, quam fidem habere. Ac per hoc, cum respondetur paruulus credere, qui fidei nondum habet affectum, Respondetur fidem habere, propter fidei Sacramẽtum, & conuertere se ad Deũ, propter conuersionis Sacramentũ, &c. Sequitur, Itaque paruulum, & si nondum fides illa, quæ in credentium uoluntate consistit, iam tamen ipsius fidei Sacramentum fidelem facit: nam sicut credere respondetur, ita etiam fidelis uocatur, non rem ipsam mente annuendo, sed ipsius rei sacramentum percipiendo.

Epistol. 23. qua respondet Bonifacio de baptismo paruulorum.

Sic idem ille Augustinus libro quarto de Baptismo contra Donatistas, capite uigesimoquarto:

Cum

Cum ex ætatis indigentia pueri nec corde credere ad iusticiam possint, nec ore confiteri ad salutem, ideo alij pro eis respondent, ut impleatur erga eos celebratio sacramenti, quòd ualet ad eorum consecrationem: quia ipsi respondere non possunt. At si pro illo qui respondere potest alius respondeat, non itidem ualeat.

Nono, Mox cum paruulus fuerit baptizatus, debet a Presbytero sacro chrismate in uertice forma crucis inungi. Cui attestatur sacer Dionysius, scribens quomodo sponsores baptizatum rursus ad ducant ad Pontificem: qui ipsum consignet diuino & deifico prorsus unguento. Et consonat Tertullianus aduersus Martionem libro primo. In hoc quod Creator, id est Deus, aqua suos abluat ac oleo ungat. Sic enim ait: Ille quidem usque nunc nec aquam reprobauit Creatoris, quo suos abluit, nec oleum quo suos ungit.

IX. *Chrisma.*

Mos ungendi paruulos apud baptisma, fuit a tpe apostolorum.

Sed & Ambrosius ille libro de his qui initiantur mysterijs, capite sexto, ad baptizatos in hæc uerba loquitur: Post hæc utique ascendisti ad sacerdotem, considera quid sequutum sit: non illud quod ait Dauid: Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Hoc est unguentum de quo & Salomon loquitur: Vnguentum effusum nomen tuum. &c. Et paulo post: Ideo in barbam defluit, ut fias electum, prætiosum & sacerdotale genus. Omnes enim in regnum Dei ungimur, & in sacerdotium, gratia spiritali.

Item libro secundo de sacramentis, Cum de triplici intinctione baptizati in sacrum baptismi fontem scripsisset, subiungit: Venisti ad sacerdotem: Quid dixit tibi? Deus (inquit) pater omnipotens, qui te regenerauit ex aqua & spiritu sancto, concessitq; tibi peccata tua, ipse te ungat in uitam æternam. Vide ad quid unctus es. In uitam æternam. Noli hanc uitam illi uitæ anteferre. Si exurgat inimicus, alicuis tuus, si uelit tibi uitam tuam auferre, si minatur tibi mortem, ut præuariceris: uide quid eligas. Noli eligere illud in quo non es unctus: sed elige in quo unctus es, ut uitam æternam uitæ præferas temporali. Per Christum dominum nostrum.

De significatione præterea istius unctionis tractat capite primo, libro quarto. His contestatur & Concilium Laodicen. Et dicit Rabanus ordinationem hanc semper in Ecclesia Catholica extitisse.

Forsan cogitabit quispiam secum, quare ungat presbyter baptizatum Chrismate: quum postea in Confirmatione illiniat Episcopus chrisma fronti? Responsio: Apostolicorum Episcoporum gesta referunt, beatum Siluestrum constituisse, ut Presbyter baptizatũ chrismate liniret subleuatũ de aqua: ꝓpter occasionẽ trãsitus mortis inexpectatæ, ne baptizati (propter absentiam Episcopi, quem forte cõquirere difficile esset) sine manuum impositione de hac uita migrarent. Idcirco Siluester quantum in se erat uolens præuenire talem casum, ordinauit, ut absente Episcopo, baptizati a Presbytero ungerẽtur: Si autem præsens esset Episcopus, ungerentur ab ipso & cõmunicarentur, &c. Voluit tamen nihilominus beatus ille Siluester, ut post unctionem quam Presbyter facit in uertice, præueniendi discriminis causa, confirmaretur baptizatus etiam postmodum ab Episcopo chrismate: sed in fronte. Quod autem de Communione commemoratur hoc loco, durauit etiam Augustini temporibus. Postmodũ tamen talis communio paruulorum per Ecclesiam (non sine magnis causis) sublata est. &c.

X. Vestes albæ. Albarum indumentum a tempore apostolorum post baptisma dabatur. Ambrosius lib. 1. de his q̃ mysterijs inicia ant. cap. 7.

Decimo, Ecclesia catholica semper hunc morem seruauit, ut baptizatum alba ueste indueret, & Presbyter mitram imponeret. Quod nobis testatur sacer ille Dionysius in Hierarchia Eccles. (qui dicit) Assumentes baptizatum sacerdotes, induunt eum ueste mundiciæ congrua. Quod autem ab apostolorum temporibus durauerit hic mos in Ecclesia, est uidere ex illo Ambrosij: Accepisti (inquit) post hæc uestimenta candida, ut esset indicium quod exueris inuolucrũ peccatorum, indueris innocentiæ casta uelamina. Historia quoq; Tripartita, libro 11. cap. 14. meminit uestis huius candidæ. Et induebantur ea baptizati usq; ad octauum diem, uocabanturq; Albati. Deponebãt autem in Ecclesia Sabbato festum sequente: quod hinc Sabbatum in albis appellabatur.

Qui ueteres Patres inspexerit, comperiet nõ esse mysteria ista Ecclesiæ pro ociosis signis usurpata: sed ꝙ Episcopi & Ecclesiarum pastores populum Dei frequentius in prædicationibus suis, cęremoniarum istarum (quibus in Baptismo Christo initiati & Ecclesiæ incorporati fuerunt) diligentissime & grauissime admonuerunt: Non in hoc tantum ut inde cognoscerent q̃ magna quamq; ineffabilia Dei dona perceperint in Baptismo: sed uel maxime ut significatiuis istis rebus, initiati & Ecclesiæ dedicati, quid deinde tota uita sua exercere, meditari, seruare, & operibus implere debeant, cogitent semper.

Sũt

Sunt autem cæremoniæ istæ in baptizatis aliud fere nihil, q̃ adhibita quædã uisibilia signa, quibus uotorꝫ in baptismo factorum, & cõuersationis Christianæ, quam tota uita obseruare debeant, admoneantur assidue.

QVID REFORMATIONIS liber istis tradat contrarium.

Christianas, Apostolicas & Catholicas Ecclesiæ formas, ordinationes & consuetudines, una cum memoratis cæremonijs omnibus, in uniuersum fere liber ille abrogat: Exorcismum, quo diabolus adiuratur: multiplicem salutiferæ crucis impressionem: impositionem manuum, & omnes deniq; orationes, quas ab apostolorum tempore obseruauit Ecclesia uniformiter, omittit. Hic neq; exuflatio diaboli est, neq; salis benedictæ datio: hic nulla apertio aurium, nulla saliuæ intinctio, nullaq; omnino unctio, neq; ante neq; post Baptismum: hic nulla fit consecratio aut benedictio fontis baptismi: tantum abest ut de columna cærei luminis fiat mentio ulla. Hic abrenunciant Patrini nõ pro paruulo solo, sed potius ac præcipue pro seipsis. Hic seruatur Catechismus non erga paruulos, sed erga parentes & sponsores: quinetiam præcipitur, ut ad hos dirigat Presbyter sermonem suum. Folio 79. Atque ita respondent patrini pro se, suoque nomine, ad omnes symboli Apostolici articulos, ac si ipsi rebaptizãdi essent. Folio 82. & 73. Ac tandem nulla fit hic mentio uestis albæ.

In summa, Catholica forma & ordinatio, tota fere hic penitus repudiatur, & nouum commentum loco eius substituitur.

Nec statur eodem in loco, ut eadem retineatur forma: sed multijugæ formæ instituuntur. Permittitur tamen unicuilibet Pastori potestas, pro arbitrio suo formas illas prolongandi & breuiandi. Folio 79. facie 2. & folio 88. facie prima & secunda.

Comminiscitur præterea liber nouum quoddam & inauditum dogma: nempe renatos paruulos quemadmodum & nos uenenatos esse & maculatos. Expenda uerba: Quemadmodum & nos. *Folio 80. facie 1.*

Quod item omnia facta nostra ac uita tota quæ ex naturali natiuitate deriuatur, sit damnata, maledicta, mera mors, peccatum, & æterna damnatione digna.

Quod certe durum est censere de multis præclaris & per uirtutẽ egregie gestis operibus Gentilium: nec quadrat cum Paulo apostolo ad Romanos primo. Et eo tendit, ac si peccato Adæ imago & similitudo Dei, ad quã creatus est homo, prsus & penitus sit extincta.

Quod

Quod ſacræ ſcripturæ,& patribus omnibus eſt contrarium. Vide folio octauo.

Item quod illi qui indigne forte aſtiterint ubi cõfertur bapti mus, pec cent æque atq; illi qui corpus & ſanguinem Domini indigne tractant & ſumunt. Quæ comparatio nusq̃ reperitur in ſcripturis.

Ad hæc oratur in libro non hoc tantum, ne Deus imputet paruulo aut baptizato peccatum & iniuſtitiam Adæ: uerumetiam ne parentum ſuorum, totiusq; populi peccata ei imputentur. Quæ inaudita, & a Catholica fide aliena eſt precatio. *Fol. 86. facie 2.*

Formam quoq; & conſuetudinem baptizandi paruulos, de quibus orta dubitatio eſſet, pro certitudine habenda, in hæc uerba: Si es baptizatus, non te rebaptizo, ſed ſi non es baptizatus, ego te baptizo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Nihili facit ille liber. Folio 86. fa. 1.

Qua lingua debeat miniſtrari baptiſmus, quove tempore, & an debeant pueri bis deportari in eccleſiam (de quibus prætenſa Reformatio illa leges quaſdam præſcribit) hoc tantũ in præſens dicimus, fore mutationem huiuſmodi (hoc præſertim tempore, & in hac prouincia) intempeſtiuam nouationem. Si autem quicq̃ nouare oporteat, quod uideretur utiliter & pie mutari poſſe: Optimum fore putamus, ut illud ipſum aut uniuerſaliter (ſeruata Eccleſiæ forma) aut cum præſcientia ſaltem eorum, qui in ſpiritualibus Clementiſſ. domino noſtro præpoſiti ſunt, fiat: atq; ut ita primum reſtaurentur omnia ſecundum apoſtolicam & catholicam Eccleſiæ formam. Nullo uero pacto ſecundum iſta libri illius præſcripta.

Et hæc quoq; nouatio quædam eſt, *ut puer priuſquam exorcizetur aut cathechizetur, deferatur in Eccleſiam.* Cum ſit inſtituto & conſuetudini Eccleſiæ contraria.

DE SACRAMENTO CONfirmationis.

Sanctus

SAnctus martyr Cyprianus teſtatur in uniuerſa Catholica Eccleſia, ſanctum Chriſma cum cæteris unctionibus ad ſanctificandum populum electum, populũ acquiſitionis, ſemper ab Epiſcopis, in die cœnę dominicæ conſecratum & benedictum fuiſſe. Et licet circunciſio cum alijs omnibus ſacrificijs & cęremonijs ueteris teſtamenti per Chriſtum ceſſauerint: non contempſit tamẽ, ut idem ille dicit, Chriſtiana religio, unctionis myſterium. Sed cæteris generali ſanctorum conſenſu dãnatis, unctionis honor permanſit, & in omnem populum catholicũ effuſa eſt gratiæ huius plenitudo. In ſermone de unctione Chriſmatis & alijs Sacramentis. Atq; hoc ita ſe habere, ſacer etiam Dionyſius affirmat, libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, capite ſecundo, parte. 2. & tertia. Cui conſonant Clemens libro Recognitionum 3. & Epiſtola ſecunda. Item Fabianus papa & martyr epiſtola ſecunda ad Orientales, Concilium Carthaginenſe 3. & Carthaginenſe quartum. Concilium itẽ Toletanum primum, ca. 20. & Concilium Bracacenſe 1. ca. 37. Innocentius in ca. illud 95. diſtinctiõe. Et beatus Gregorius in Cant. cap. 1. qui dicit, Chriſma Pontificali benedictione effici, & de hac re habes in præcedentibus plura teſtimonia.

Secundo, Confirmatio baptizatorum (que impoſitione manuum Epiſcopalium, & impreſſione ſigni crucis cum ſacro Chriſmate fit in frõte baptizati) a tempore Apoſtolorum in Catholica Eccleſia pro magno Sacramento celebrata eſt. Hoc teſtatur ſacer Dionyſius, qui nominat eam perficientem unctionem. Sanctus Clemens item Epiſtola quarta, & Epiſtolę Vrbani & Melchiadis pontificum Romanorum. Magnus quoque Baſilius libro de ſpiritu ſancto, Chriſmatis & impreſſionis crucis ſimul commeminit, tanquam Apoſtolicę cuiuſdam traditionis. Concilium Laodiceñ. capite 48. ita decernit: Oportet baptizatos poſt baptiſmum, ſacratiſſimum Chriſma percipere, & cœleſtis regni participes fieri. Sic Cyprianus libro primo, epiſtola 12. in eandem ſententiam: Quos (inquit) baptiſma habere cõtendunt, ungi quoq; neceſſe eſt, ut accepto Chriſmate, id eſt, unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe Chriſti gratiam poſſit. Sanctus Auguſtinus libro ſecundo contra literas Petilia. capite 104. dicit, Chriſmatis Sacramentum in genere uiſibilium Sacramentorum, ſacroſanctum eſſe, ſicut ipſe Baptiſmus eſt. Item libro decimoquinto de Trinitate, capite 26. Vnxit (inquit) enim Deus ſpiritus ſanctus, non uticq; oleo uiſibili, ſed dono gratiæ, quod uiſibili ſignificatur unguento, quo baptizatos ungit Eccleſia. Proſper in ſententijs Auguſtini numero. 342. dicit, Chriſti nomen a Chriſmate eſt, & ideo omnis Chriſtianus ſanctificatur; ut intelligat ſe non ſolum ſa-

Epiſcopalem confirmationem ſemp in eccleſia pro magno ſacramento celebratam.

cerdotalis & regiæ dignitatis esse consortem, sed etiam contra diabolum fieri luctatorem. Eusebius libro sexto Ecclesiasticæ Historiæ, capite 33. refert annotatione dignam historiã, de Nouato hæretico, quod ea quæ baptismum subsequi soleant, non sint solenniter in eo adimpleta, nec signaculo Chrismatis consummatus sit. Quodq; ob id spiritum sanctum nunquam potuerit promereri.

Nouatus ob neglectas baptismi & confirmationis cæremonias permissus a Deo est labi in errores.

Tertio concorditer semper in Ecclesia Catholica obseruatũm fuit, administrationem huius Sacramẽti ad solum Episcopum peculiariter pertinere. Ad cuius probationem pñs quibusq; Christianis, sufficiet q̃d legitur Actorum octauo. Sed & plurima Concilia idipsum testantur. In quibus Aurelianense ca. 3. & Meldẽ. cap. 6. de eo expresse statuunt. Sanctus item Melchiades, qui Sacramentum istud ample describit, & allegatur de cõsecratione, distinct. 5. c. spiritus sanctus. Item ca. De his, & ca. manus. Ibidem est etiam hac de re Canon, ut Episcopi ex Concilio Meldẽ. In casu tamen necessitatis, ubi Episcopus haberi non poterat, permissum fuit aliquando Presbyteris Sacramentum istud administrare, ut habetur ca. peruenit, 95. distinctione. Non est tamen in potestate clementissimi domini nostri modo hoc alijs permittere, ut patet ca. quanto, de consuetudine

Ad solum Episcopũ pertinet confirmationis sacramentum dare.

In quo liber istis aduersetur.

Liber ille, ne parũ contrarietur Ecclesiasticis traditionibus: aufert prorsus consecrationem & usum Chrismatis. Folio 94. facie prima.

Negat confirmationem esse Sacramentum diuinum. Exigit tantũ confessionem fidei publicam coram Ecclesia. Dicit cõfirmationem nõ esse opus, quod ad Episcopum peculiariter pertineat. Ignotis aliquot uisitatoribus, & in commune pastoribus reliquis, dat potestatem confirmandi: nõ tamen secundum formam, & morem ueterem traditum ab Ecclesia Catholica.

Non solum autem Chrisma tanquam inutile signum traducitur, quasi quod cesserit in grauem superstitionem, uerumetiã impressio sanctæ crucis ad frontem hic plane negligitur: atq; ut apparet mos iste Catholicus æstimatur mutilis traditio. Cum uelit liber, omnes quantumlibet ueteres ordinatiões, cedere Reformationi, quæ hic instituitur. Fo. 90. fa. 1. & 2.

Ad hæc plurimæ quæstiones coaceruantur in libro. At quid intendant istiusmodi quæstionibus, qui eas commenti sunt, prudens lector probe satis intelligit: Vna tamen quę ita sonat:

Placet ne tibi, & uis persistere in eo, quod Patrini tui apud sanctum baptisma pro te abrenunciarunt diabolo & mundo? quam reperis folio 92. facie prima.

Non

Non est Catholica, & hucusq; in Ecclesia Catholica nunquam audita. Prohibeat Deus, ut Christianis semel baptizatis liberā faciamus optionem, utrū uelint in eo, quod in baptismo ipsorū nomine Patrini professi sunt, permanere. Enimuero pluris debet æstimari, & ualere apud Christianos baptismus, quam circuncisio apud Iudæos. Iam an in Iudaismo ante aduentum Christi Iudæis postquā discretiouis annos attigerūt, permissum sit, uelint ne permanere in fœdere Dei, in circuncisione pacto an non? nouit unusquilibet, qui uel parum in scriptura exercitatus est. Talis interrogatio taliscq; libertas (ut probabilis metus est) istis potissimum periculosis temporibus, magnā occasionem dare possent, rebaptizationi, & alijs hæresibus amplectendis. Quapropter qui librū istum clemētissimo domino nostro, & Principi electori, singulari probitate prædito, cum informatione praua proposuerunt, aut imprudenter rem expenderunt, aut perfidum aliquid machinati sunt.

DE SACRAMENTO CORPORIS & sanguinis Christi & eius administratione.

CAtholica Ecclesia docuit diuinissimum istud Sacramentum omnipotenti uerbo Christi confici & consecrari. In quo inuisibilis sacerdos sacro ministerio, uisibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui conuertit & transfert. Vide Eusebium Emissenum de consecratione, distinct. 2. ca. quia corpus. Propterea sanctus Irenæus dicit, ꝙ calix mixtus, & panis fractus percipiens inuocationem Dei, non sit amplius communis panis: sed Eucharistia corporis & sanguinis Christi. Quod tamen sanctus Ambrosius apertius libro de Sacramentis manifestat, ubi sic ait: Antequam consecratur, panis est: ubi autē uerba Christi accesserint, corpus est Christi, & panis supersubstantialis uitæ æternæ. Chrysostomus de consecrata Eucharistia, in qua species adhuc panis & uini apparent, ita dicit: Num uides panem? num uinum? num sicut reliqui cibi in secessum uadunt? Absit: ne sic cogites. Quemadmodū (inquit) si cera igni adhibita, illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit, sic & hic puta, mysteria consumi corporis substantia: In sermone admonitorio de Eucharistia in Encæniis, Et in alio loco de ꝓditione Iudæ, in hæc uerba erumpit: Nunc ille præsto est Christus, qui illam (de cœna loquitur) ornauit mensam, istam quoque consecrat. Nō enim homo est qui proposita de consecratione mensæ domini, corpus Christi facit, & sanguinē, sed ille qui crucifixus pro nobis est Christus. Sacerdotis ore uerba proferuntur, & Dei uirtute consecrantur & gratia.

Quod panis & uinum mixtū diuina uirtute transmutentur in corpus & sanguinem Christi. Irenæus li. 4. ca. 3 +

tia,hoc est,ait,corpus meum, hoc uerbo proposita consecrantur. Et sicut illa uox quæ dicit:Crescite & multiplicamini & replete terram, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura:ita & uox illa semel quidem dicta est,sed per omnes mensas Ecclesiæ usq; ad hodiernam diem,& usq; ad eius aduentum præstat sacrificio firmitatem. Quod ipsum latius, diffusiusq; per Damascenū explicatur libro quarto de fide orthodoxa,cap. decimoquarto. Augustinus libro de uerbis domini secundum Lucam, sermone 28. ait: Ante uerba Christi quod offertur panis dicitur: ubi Christi uerba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus domini appellatur. Item in libro Sententiarum Prosperi, ut habetur de consecratione, distinctione 2.ca. Nos autem. Nec similiter compræhendimus has duas species,panis & uini,quemadmodum ante consecrationem comprehendebamus: cum fideliter fateamur ante consecrationem panem esse & uinum,quod natura formauit: Post consecrationem uero carnem Christi & sanguinem,quod benedictio consecrauit. Fideli Christiano nullo alio ad hanc rem credendam testimonio opus, quam nudis & expressis uerbis omnipotētis Dei,& domini nostri Iesu Christi: Accipite & manducate,hoc est corpus meum. Item hic est sanguis meus,&c.

QVID OBTENSAE REFORMA-tionis liber aduersus hæc doceat.

AT liber Reformat. exigit à confirmando, ut confiteatur, cum pane & uino dari communicationem corporis & sanguinis Christi. & alibi dicit: Cum uisibilibus signis panis & uini una ministrari nobis corpus & sanguinē Christi, nō dicit sub speciebus panis & uini. Folio 102. facie secunda.

Itaque uult liber tradi nobis in Sacramento, generum diuersorum res duas, mempe panem & uinum, & cū eisdem corpus & sanguinē Christi.

Cum tamen Christus uerbis omnino simplicibus, claris & expressis diserte dixerit: Hoc est corpus meum,& hic est sanguis meus,non autem, hic est panis aut uinum,aut cum istis, uel sub istis est corpus & sanguis meus. Et negari non potest, ita ab omnibus Catholicis Patribus uerba illa intellecta,ut post consecrationem,non sit amplius illic (quemadmodum ante consecrationem fuerunt) panis & uinum.

DE CONSERVANDO SA-cramento Eucharistiæ, pro infirmis præcipue.

Secundo

SEcundo, Cum ſacramentum Euchariſtiæ ad hoc ſemper conſecretur ut tandem ſumatur, docuit hactenus Eccleſia catholica, in ſacramento facta conſecratione ſub ſpeciebus panis & uini, uerum corpus, uerumq; ſanguinem Chriſti cõtineri, uere eſſe & manere uſq; ad eius ſumptionem. Euſeb. Eccleſ. hiſt. libro 5. cap. 24. excerpta quędam ex Irenæi epiſt. ad Victorem papam citat: in quibus cernitur quomodo Romani pontifices (haud dubium ex Apoſtolica traditione & conſuetudine) peregrinis catholicis Epiſcopis, qui Romam ueniſſent, Euchariſtiam ſolenniter tranſmittere ſolebant. Beatus Hieronym. ad Ruſticum monachum, ſcribit, Exuperium Epiſcopum Toloſanum, corpus Domini caniſtro uimineo incluſum, & ſanguinem in uitro portaſſe. Beatus Ambroſius in oratione funebri de obitu fratris ſui Satyri, commendaturus & prædicaturus ſingularem eius erga Deum pietatem ac deuotionem, refert talem de eo hiſtoriam: Quod conſtitutus in naufragio, non mortem metuens, ſed ne uacuus myſterij exiret e uita, ab his quos initiatos eſſe cognouerat, diuinum illud fidelium ſacramentum ſibi dari popoſcerit: nõ ut curioſos oculos inſereret archanis, ſed ut fidei ſuæ tali ſacramento conſequeretur auxilium: quodq; datum ſibi ſacramentum ligari fecerit in Orario, & Orarium in collo inuoluerit, atq; ita ſe deiecerit in mare: non requirens de nauis compage reſolutam tabulam cui ſupernatans iuuaretur, quoniam fidei ſolius arma quæſierat. Atq; ita his ſe tutum ac munitum ſatis credens, alia auxilia nõ deſiderauerit. Et addit Ambroſius, ꝙ non deſeruerit eum ſpes, nec fefellerit opinio: denicq; primus ſeruatus ſit ex undis, & in portum terrenæ ſtationis euectus: Ac propterea protectorem ſuum cui ſe crediderat, recognouiſſe. Item in Nouel. Iuſtiniani conſt. 123. de Eccleſ. diuerſis cap. inuenis cõſtitutione imperiali conceſſum, ut monaſteria uirginum poſſint eligere ſibi ſacerdotem, qui ad ipſas Communionem ſacram deportet.

Poſt conſecrationẽ manere corpus & ſanguinem Chriſti, & pro infirmis ſeruari debere.

Cum primis uero apud ſanctos patres, & in antiquis Concilijs reperitur, quod ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum poſſit & debeat cuſtodiri & ſeruari: quo neceſſitate ingruente, ſine ulla dilatione ſacræ Communionis fiant participes. Quod & pluribus exemplis ueteris Eccleſiæ monſtrari poteſt. Vide Euſebium Eccleſ. hiſt. libro ſexto, capite triceſimo quarto: ubi legis de ſacerdote, qui cum per corporis infirmitatem non potuiſſet ipſe infirmum accedere, miſit parum Euchariſtiæ ad domum infirmi.

Et quid opus est pluribus exemplis onerare Lectorem? Ecclesiæ usus ostendi potest hoc obseruasse ad annos plus mille trecentos. Ad hæc omnibus notum est quid in Concilio Vuormatien̄ante mul tos annorum centenarios concluſum ſit & ſancitum. Et habetur ca. Presbyter, de consecrat. dist. 2: Presbyter (inquit) canon) Eucharistiam semper habeat paratam, ut si quis infirmatus fuerit, statim eum communicet: ne sine communione moriatur. Canon Peruenit, eadē distinct. excerptus ex Concilio Remensi, strenue prohibet, ne sacerdos ulli Laico, uiro aut mulieri, corpus domini tradere pręsumat deferendum ad infirmum: sed mandat, ut omnino presbyter per semet ipsum infirmum communicet.

In magno illo Concilio Lateranen̄. cui interfuerunt Patriarchæ quatuor omnes, & ingens Episcoporum multitudo, e toto orbe christiano conuocata, constitutum est, ut sacra Eucharistia cum chrisma te, sub fideli custodia, clauibus & seris adhibitis, conseruetur: ne possit ad illa temeraria manus extendi. c. statuimus, de cust. Eucha. chris. & aliorum sacramentorum. Honorius tertius præcipit, ut Eucharistia in loco aliquo ad hoc destinato & mūdo, honorifice reponatur, ac per fideles & pios custodes custodiatur. Sacerdos uero frequenter doceat plebem, ut cum in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris, se reuerenter inclinet, atq; idem faciat, cum eadem defertur ad infirmum. Voluit quoq; luminaria semper Eucharistiæ præferri, ad significandam præsentiam lucis æternæ, c. sane de celebratione Missæ.

QVID OBTENSAE REFORMA-tionis liber aduersus hæc doceat.

PRætensæ Reformationis istius liber præcipit, ut pastores quoties uoluerint cœnam domini peragere numerent populum, quem ad communicandum admiserunt, & pro numero eorum accipiant particulas. Quicquid uero fuerit residuum, statim ipsi sumant, nec quicquā eius reseruent, reponant, aut deferant aliquo, quum hoc non sit uerbo Dei conforme. Et propterea contrarium facientes, uerbo Dei iudicari & perpetuo damnari debere. Folio 111. facie 2.

At lōge āliter constituitur. c. presbyter. de conſ. dist. 2. Presbyter Eucharistiā sp̄ habeat paratā, ut qn̄ quis infirmatus fuerit, statim eū cōmunicet: ne sine coīne moriatur. Iam nō admittit catholica nostra fides, ut credamus Deū Ecclesiæ suæ p̄positos & Ep̄os, q̄ toties in eius causa & noīe cōgregati de hac re diffinierūt, tam fœde & enormiter, q̄ putāt libri autores, plabi & errare siniſſe. Quod aūt p̄cepti sui adferūt causam talē, nimirꝝ ad auferēdos & cauendos uarios scrupulos & inutiles quęstiones, unicuilibet in prōptu est secum dijudicare quo spectet.

VBI SACRAMENTVM EVCHARISTIÆ debeat consecrari.

TErtio, Ab apostolorum temporibus semper uetitum fuit in Ecclesia Christiana, ne Sacramentum extra sacrificium, id est Missæ officium, aut extra loca ad sacrificandum ordinata, uel alibi q̃ in altari Domini, aut ab alijs q̃ ieiunis sacerdotibus, & sacramentum ipsum sumentibus, consecretur. Sicut testatur beatus Clemens, & habetur c. hic ergo, de cons. distinct. 1. Item Canõ apostolorum 30. qui condemnat seorsum altare erigentem, & conuenticula facientem. Item S. Felix. c. sicut non alij. Beatus Siluester. c. nullus, eadem distinctione. Isichius quoq; super Leuiticum, capit. 8. & 24. Item Basilius in quæst. compen. explicatis. quæst. 310. Item Concilium Tribur. & allegatur c. Missarum, de consecratione, dist. 1. Et Aurelianẽ. Concilium, quod uetat in domibus celebrare missas. Vide Chrysostomum in illud Pauli: Nunquid domos non habetis ad mãducandum? 1. Corinth. 11.

Corpus Christi extra Missam non debet confici seu consecrari.

Sic & beatus Augustinus ad Ianuarium, epist. 117. ait: Placuit spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti, in os Christiani hominis, prius Dominicum corpus intraret q̃ exteri cibi: Nam per uniuersum orbem mos iste seruatur. Et ideo non præcepit Christus quo deinceps ordine sumeretur: ut apostolis, per qnos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum. Ipsa quoq; sacramenti seu sacrificij huius natura exposcit, ut qui consecrat, etiam sumat. c. relatum. de consecrat. dist. 1. desumpto ex Concilio Toletano 12.

Verba Concilij sunt Nam quale erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dinoscitur.

Porro Christum ita fecisse Hieronymus ad Hedibiam scribit: & Augustinus de Doctrina Christiana dicit, Christum prægustasse sacramentum corporis sui. Quapropter sacramentum istud non quolibet tempore, nec quibuslibet in locis sine discrimine debet consecrari. Vide Rupertum Tuitiẽsem in Leuiticum. cap. 32. super illud: Sacerdos qui offert, comedet eam in loco sancto. &c.

QVID REFORMATIONIS prætensæ liber contra hæc tradat.

Reformationis liber uult, ut Pastor uisitans infirmos in domibus extra Missam, uerba tantum institutionis huius sacramenti, nempe: In qua nocte Dominus tradebatur. &c. una cum oratione dominica, super panẽ & uinũ debeat pronunciari, atq; ita porrigere infirmo sacramẽtũ. F. 114

Iam nemini est ignotũ uisitationes istas ante & post prandia, secundũ infirmi cõmoditatẽ fieri debere; cõederit licet pastor aut ieiunet.

Atq; ita facile est uidere q; liber permittat Pastori etiam a prandio extra omnem Missam & sacrificium, & absque gratiarum actione præcedente, conficere sacramentum apud infirmos in domibus, eo quo diximus more. Et uult præterea liber ille, ut si plures fuerint præsentes simul communicent. Ipsi autem sacerdoti non imponit hanc legem simul communicãdi. Vide folio 114. facie 1. Porro nobilibus & qui remotius ab Ecclesia habitant, facit idem ille liber potestatem, cœnam Domini conuenienti tempore in proprijs domibus & habitationibus seruandi. De quo in libro proprius quidam Titulus est: De Communione in priuatis domibus sanorum. Folio 114. facie 1.

Secus Aurelianeñ. Conc. decernit: Vnicuiq; fideliũ in domo sua oratorium habere licet: Missas autem ibi celebrare nõ licet. Vide Augustinum de Altari contra altare erecto. epist. 162. & epist. 171.

DE VENERATIONE DIGNISSIMI Sacramenti Eucharistiæ.

QVarto, Cum Christus seipsum in Sacramento præsentẽ exhibeat, semper fuit in Ecclesia obseruatum, ut ipse tanq; uere præsens, cum genuflexione, reuerentissime summaq; attẽtione, in spiritu & ueritate ibidem adoretur. Beatus Augustinus de hoc in psalm. 98. ubi dicitur, Adorate scabellum pedum eius, quoniã sanctum est. ita ait: Cõuerto me ad Christum. quia ipsum quæro hic, & inuenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram: quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit. inuentum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedũ domini: & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Similiter in psalm 21. ubi dicitur: Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ. sic ait: Manducauerunt corpus humilitatis Domini sui, etiã diuites terræ: nec sicut pauperes saturati sunt, ad imitationem: sed tamen adorauerunt &c.

Et est quidem in hac parte similitudo quædam inter consecratam baptismi aquam, & sacramentum istud Eucharistiæ quod utrunque seruetur. Aqua enim baptismi consecrata ad baptizandum, toto anno reseruatur pro paruulis baptizandis, nec amittit uirtutem benedictionis usq; ad sacramenti eius administrationem: in qua ueritas sacramen

crameti & uirtus cõsistit. Sicut beatus Augustinus docet, libro. 19. de Ciuitate Dei, cap. 3. At uero non adoratur: cum non sit ibi corpus Christi re ipsa præsens, nec fiat ibi ulla transmutatio aquæ in corpus & sanguinem Christi, sicut in Sacramento altaris panis & uinum transmutantur. Quanquam tamen & apud baptisma tota Trinitas, quæ illic inuocatur, & præsens operatur, debeat in spiritu adorari.

QVID REFORMATIONIS *prætensæ liber contra hæc tradat.*

AT Reformationis istius liber contendit eos omnes sacramento hoc abuti, qui præsentes astiterint, nisi sacramentaliter simul communicent. Atq; etiã eos, qui corã sacramẽto hocin genua prociderint. Fo. 99.

Quo spectent, libri istius artifices, facile prudens Christianus percipere potest, & ex hoc dijudicare.

Item, ille liber dãnat uniuersam Ecclesiam, propter expositionem & deportationem Sacramenti Eucharistiæ. Et uult non esse leuem abusum Sacramenti, si exponatur, aut in auro, argento, aut alio ornatu, cum luminibus, corporalibusq; seruitijs circũferatur: præcipitq;, ut pastores ab expositione eius, & circũlatione deinceps prorsus abstineãt. Fol. 99. fa. 2.

An uero istud sit cõforme doctrinæ Catholicæ, dictum nobis est in Articulo de consecratione & custodia Sacramenti corporis & sanguinis Christi. Omnium maximè horrendũ est, quod liber Reformatiõis in his omnibus uniuersam Christi Ecclesiam condemnat. Fol. 98. fa. 2. Sanctum papam Victorẽ, Ecclesias aliquot particulares, propter obseruantias quasdam externas, Euangelio non contrarias damnantem. Beatus martyr Irenæus acriter redarguit, quod non recte fecerit, damnando tot & tantas Ecclesias Dei, quæ morem sibi antiquitus traditũ, custodirent. Vide Eusebium in Ecclesiastica historia, libro 5. capite 24. Quanto uero intolerabilius est, quod faciunt libri illius cõmẽtatores, tam fœde totius Ecclesiæ consuetudinem dãnantes. Vetus Ecclesia magnum illũ & Christianissmum Imperatorem Constantinum, ob insignẽ eius munificentiam in Ecclesiam, ut qui Christiana pietate permotus, præter tot præstantissimarum Ecclesiarum sumptuosam ædificationẽ contulerit, etiam ad dignissimi Sacramenti istius honorem, tam multos calices & patenas ex auro & argẽto fabrefactas. Dequo uide Pontificale Damas. in Syluestro. Palam est quid de hac re constituant Canones, ca. uasa, & ca. calix, de consecratione, distinctione prima.

Cæterum, quicquid in Dei honorem ad honorificam & dignam cõsecrationem Sacramentorum, deuotione Christiana impenditur, nequit profecto esse malum.

DE COMMVNIONE SVB utraque, vel altera specie tantum.

QVinto, Quanquam uerum sit Christum Apostolis suis Sacramentum istud sub utraque specie porrexisse. Quem morem etiam multopost tempore seruauit Ecclesia, possetq; rursus restitui ordinatione uniuersalis Concilij: extra quod sine Ecclesiæ dissipatione, & horribili schismate (cuius euitãdi maior debet haberi ratio, quam ut externas species tantopere urgamus) mos ille repeti non potest. Non debet tamen ipsa damnari, propterea, quod unam tantum speciem, totum Christum, corpus scilicet & sanguinem continentem, in sua fide & deuotione, cum gratiarum actione erga Deum, contenta sit porrigere. Est enim uerissimum, Sacramentum istud institutum potius ad hoc, ut spiritualiter ipsum percipiamus, quam secundum externam speciem: quanquam & ita interdum sumere oporteat. Cum Christus ipse, ubi de manducatione sui corporis, & potatione sanguinis sui loquitur, ita dixerit: Spiritus est qui uiuificat, caro nõ prodest quicquã. Verba quæ ego loquor uobis, spiritus & uita sunt. Vnde dicit beatus pater Augustinus: Credere in eum, est panem & uinum eius manducare, qui credit in eum manducat eum. Vt quid paras dentem & uentrẽ? crede & manducasti. de consecrat. distinctione 2. ca. ut quid, & ca. quid est. Quam ob rem non oportet in hoc Sacramento nos nimium de speciebus esse sollicitos, multæ sint an paucæ, paruæ an magnæ, sed respiciendum est potius in uirtutem mysterij. Præsertim cum in unaquaque specie panis & uini, sit totum Christi corpus & sanguis, can. singuli autem, & ca. ubi pars. de consecratione, distinct. 2. Iam cum Sacramentũ istud sit mysterium, & Sacramentum unitatis: unitatis ipsius conseruatio potius quærenda & cogitanda nobis est, tanquam scopus ac finis huius Sacramenti, quã species externa. Qui accipit, ait Augustinus, mysterium unitatis, & non seruat uinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se.

Male quidam Ecclesiam propter unius speciei administrationem damnant.

Sub altera tantum specie, totus Christus, tam corpus q̃ sanguis accipitur.

Singuli totũ accipiunt Christũ dominũ, & in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed integrũ se in singulis præbet. Verba sunt canonis ex Hieronymo. Can. qui manducat, de consecr. distinct. 2.

Propterea idem ille sanctus pater libro 2. contra literas Petiliani, ca. 55. & 108. Et libro tertio, capit. quadragesimo, dicit, pluris ualere apud Deum, communionem spiritualem habere cum tota Ecclesia, quæ per uniuersum orbem diffusa est, quam paucorum Sacramentorum communionem.

Eos

Eos quoque qui mẽbra corporis Christi toto orbe diffusa nolunt agnoscere,& nihilominus interim gloriantur,se mãducare corpus & sanguinem domini in Sacramento,audituros ab eodem domino: Non noui uos,non noui uos,qui corpus meum & sanguinẽ in Sacramẽto manducatis & bibitis, membra autem mea toto orbe diffusa, in Euangelio nõ agnoscitis.Ibidem dicit:Si quærimus ubi sit Ecclesia Christi, ipsum qui eam suo sanguine redemit audiamus, dicentem:Eritis(inquit) mihi testes in Hierusalem,& in totam Iudæam & Samariam, & usq; in totã terram.Huic Ecclesiæ,quæ per totam terram diffunditur, quisquis nõ communicat, cui non communicet, uides, si cuius uerba ista sunt audis.Quid est autẽ dementius? Et quod Augustinus scribit contra Vrbicum Casulanum, Epistola 86.competit in eos, qui omnes Ecclesias propter unius tantum speciei communionẽ hac tempestate temere condemnant. Siquidem & Vrbicus non uerebatur totam Ecclesiam Christi,contumelioßissime,propter externos quosdam ritus uilipendere.Ni mirũ censet,grauiter repræhendẽdos & cohibendos omnes, quotquot ad hoc inquirunt,aut affirmant aliquid, ut possint Ecclesiam toto orbe terrarum diffusam damnare.

Præstat unius speciei communione contentũ esse, & in Ecclesiæ unitate manere,q̃ ob species externas ipsam discindere.

Et quis ferat(inquit)de tanto populo Dei ab isto dici,quod in carne sint,& Deo placere non possint,& quod de eis sit scriptum: Recedant iniqui a me, uiam eorum nosse nolo. Quæ si de uno quopiam Dei famulo diceret Vrbicus: quis eum audire,quis non deuitare deberet? Et uult Augustinus,ut Vrbicus sua blasphemia totam molestans Ecclesiã compescatur.

Quod autem illa Christi uerba:Bibite ex hoc omnes, non sint tã stricte & coacte intelligenda,ut Ecclesia, quæ credit, non solum laico, uerumetiam sacerdoti, non celebranti, sufficere unam speciem,propterea debeat damnari.Hoc uel inde colligitur, quod dominus Christus, uix quicquam externorum ita præceperit,ut non reliquerit Ecclesiæ suæ facultatem, sicut pro temporis rationem uiderit expedire idipsum moderandi & ordinandi, ad communem utilitatem & ædificationem Ecclesiæ. Dum tamen non erretur in scopo,& eo,quod per externa impetrandum est,quis non fraudetur.Potissimum uero,quando hæretici, ut fit,externam speciem nimiũ urgent & torquent ad sensum suum,ut per hoc uniuersalem Ecclesiam more suo calumnientur aut damnent,quod multipliciter demonstrari potest.

Quicquid de rebus externis præceptũ est, moderationem Ecclesiæ admittit.si tamen internis non officiat.

Initio constat dominũ Christũ,sanctũ baptisma disertis uerbis instituisse,& ita obseruare mandasse: Ite, docete omnes gentes, baptizantes

eos, hoc est, mergentes eos in aquã, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Quorũ uerborũ occasione inoleuit aliquando in Ecclesia usus, ut non properaretur cũ paruulis statim ad baptisma, nisi magna urgeret necessitas. Idcirco nimirũ, ut doctrina fidei aliquatenus saltem baptisma præcederet. Id quod uerba Christi secundum literã uidentur exigere. Quemad modum Gregorius Nazianzenus testatur in sermone in sanctum Lauachrũ, ubi consulit, ut paruuli, quibus nullum immineret periculum, triennium, aut paulo minus, seu plus seruentur, quo & mysticum quid audire & respondere possint, & si non perfecte, saltem figuraliter ea intelligant, ac ita sanctificent animas & corpora, magno illi sanctificationis mysterio. Postquam uero sequentes hæretici uexarent paruulos, quamuis ingrueret nececessitas baptizare, ordinauit Ecclesia, ut statim (licet nulla impenderet necessitas) baptizarẽtur, cum tamẽ illud mandato domini propius accedat.

Quod Christus mandarit primũ docere, eoq; sit de externis, quo ad paruulos Ecclesia moderata est.

Ad hęc propter eadem illa uerba institutionis baptismi, baptizabantur initio homines, prorsus eo modo, sicut uerba Christi sonãt cum immersione totius corporis in aquam. At cum istud interdum non admodum bene cederet infirmis pleriscq;. Beatus martyr Cyprianus declarauit epistola 7. libro 4. eos etiam recte baptizari, qui nõ toto corpore immergerentur aut lauarẽtur, sed perfunderentur tantum aqua baptismi. Et quamuis forte externum elementum non adeo perfecte alicui in hoc Sacramento administretur, existimat non propterea mutilari aut debilitari posse beneficia diuina, sed asserit non minus aspersione aquæ illic impetrari, quam si tota fiat immersio, si tamen plena, & tota fide, & dantis & sumentis accipitur. In summa, tota epistola hęc, agit Cyprianus, ut exponat hanc suã sententiã, Sacramẽta non ad extremã illã & rigidã obseruationẽ, seu administrationẽ totius elementi externi, sed potius ad integritatẽ fidei tam dantis q̃ accipientis æstimari debere & obtineri, diuina uero compendia credentibus totum conferre.

Ecclesia non cogit ad mandatum immersionis.

Propterea eadẽ illa uerba instituti baptismi intingebant aliqñ baptismo initiãdi tribus distinctis uicibus subter aquã. Quẽadmodũ sonant uerba Christi. Imo, qũo (ut apparet) uerba Chri requirũt, & in Canonibus Apostolor; intellecta fuerũt & exposita. can. 50. Aliter tamen postea in Ecclesia obseruatũ fuit. Et B. Greg. epist. 31. lib. 1. dicit nõ male ita baptizari, nec officere quicq̃ baptizato, si semel tm̃ immersus fuerit; cuius dat hãc rationẽ, q; in una fide S. Ecclesiæ nihil officiat cõsuetudo diuersa. & subiũgit: Sed qa nunc hucusq; ab hæreticis infans in baptismate tertio mergebat, faciendũ apud nos esse non censeo, nedũ mersiões numerãt, diuinitatẽ diuidant, dũq; q; faciebant faciũt, se morẽ nostrũ uicisse glorientur. Hæc Gregorius.

Ecclesia non requirit trinam immersionem.

Rursus licet mandauerit Christus hac essentiali uerborum forma baptizare, nempe: In nomine patris, & filij, & spirituſſancti. Apostoli tamen nihilominus ipsi, alia quadam externa uerborum forma tempore aliquanto sunt usi, baptizantes tantum in nomine Domini Iesu: haud dubium propterea, quo sic nomen illud celebre fieret.

Apostoli non semper usi sunt forma uerborum baptismi in Euangelio tradita.

Porro si tantum externo scripturæ uerbo sit prorsus innitendū, nemo rerum intelligens aliud censebit q̄ reiectam illam Cypriani opinionem, de baptizandis ijs quos hæretici baptizassent, externis uerbis uiciniorem magisq; conformem, q̄ sit contraria sententia. Vide Can. apostolorum 46. & 67. in uersione Gregorij Aloandri. Et tamen contrariam istam sententiam Ecclesia uniuersaliter tanq̄ Christianam acceptauit: Cum ut Donatistas retunderet, tum etiam q; Cypriani opinio uehementer officeret unioni & paci Ecclesiæ resarciendæ. Idcirco dicit beatus Augustinus: Omne illud quod uideretur baptismo hęreticorum deesse, totum pace & unione compensari & sanari, epistola 50. ad Bonifacium, & de baptis. contra Donatistas.

Iam ut ad Sacramentum corporis & sanguinis Domini, de quo agitur reuertamur, pro euidentiori demonstratione eorum quæ diximus, animaduerte, quod negari non potest, Christum statim a cœna, ac simul cum sacramentum istud institueret, apostolis suis pedes lauisse, dedisseq; mandatum expressum & clarum, Iohannis 13. his uerbis compræhensum: Si ego Magister & dominus laui pedes uestros, & uos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi uobis, ut quemadmodum ego feci uobis, ita & uos faciatis. Quod Christi mandatum, secundum externam profecto literam, non minus cogit, q̄ hæc uerba Domini: Bibite ex hoc omnes. Et tamen Catholica Ecclesia non utitur externo illo opere apud sacramētum corporis & sanguinis Christi, cum Christus sit eo usus, & ut uerba sonant, mandauerit deinceps, eo quo ipse fecerat modo obseruare. Quinetiam laudatissimum istud & pijssimum opus prorsus fere exoleuit: Etsi beatus Bernardus in sermone de cœna Domini appellitet magnum sacramentum. & beatus martyr Cyprianus, ante ipsum testatus sit in sermone de unctione Chrismatis, Christum non lauisse modo apostolis pedes, uerumetiam solenni deuotione præcepisse & instituisse, ut idem facerent deinceps Apostoli.

Mandatum de externa pedum lotione, quod non minus q̄ uerbum illud Bibite &c. urget, non exigitur modo in Ecclesia.

Quare autem interciderit Christianissimum istud opus externū, quæ est causa alia, q̄ ut ex beato Augustino colligitur, ne putetur esse rebaptizatio.

Et ex hac ratione multi lotionem illam in cõsuetudinem recipere no luerunt. Sicut idem ille Augustinus libro de ritibus Ecclesiæ ad Ianuarium, capite 18. testatur. Vitabatur autem talis error, omissione externæ istius cæremoniæ, commodius utiliusq; q̃ ut eius pertinaci retentione errori tanto datus fuisset locus.

Multæ circunstantiæ cœnæ dominicæ non obseruantur modo in ecclesia.

Ad eundem modum apostolus Paulus, sicut a domino accepit, ita dicit se tradidisse Corinthijs seruandæ cœnæ ritum. quem ita describit: Quoniã dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit &c. Similiter & postquam cœnauit. At hunc ritum non seruamus in Ecclesia modo: Non enim post cœnam, aut uesperi, sed mane & ieiuni seruamus: Nec frangimus hostiam consecratam populo porrigendam: neq; sedemus ad mensam, quomodo tamen Christus ipse fecit. Et plurima adhuc in Euangelio recitantur a Christo facta apud sacramentum istud: quæ tamen nos eodem modo non peragimus. Et unde ista instituti Christi mutatio accidit? Augusti. assignat eius talem rationem: Placuit (inquit) Spiritui sancto, qui semper Ecclesię suæ præsens adest, ut in honorem tanti sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, q̃ exteri cibi. Possunt & alia plurima Dei mandata de rebus externis recenseri & in medium adferri, quę tamen ab Ecclesia paulatim omissa sunt. Quale est istud: Deus non solum Iudęis, sed omnium nationum patri, Noe, post diluuium ita præcepit: Oẽne quod mouetur & uiuit erit uobis in cibum, excepto quod carnẽ cum sanguine non comedetis. Et ne quis putaret hanc legem Euangelio sublatam, decreuit S. Iacobus apostolus in primo illo Hierosolymitano Concilio, ut ad conuersos ex Gentibus scriberetur, ut abstinerent se a contaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocatis & sanguine. Imo Decretum & literæ Concilij ad conuersos ex Gentibus ita sonant: Visum est spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere uobis oneris, q̃ hæc necessaria: ut abstineatis ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato. Et tamen quod ad postrema duo attinet, mandatum istud (quum res concernat externas) tacita dissimulatione sensim in Ecclesia antiquatum est. Tametsi in Canonibus Apostolorum & plerisq; Synodis constitutũ sit, ut ad mandatum istud Apostolorum conformiter uiueretur: multoq; tẽpore ita in Ecclesia fuerit obseruatum. Vide de hoc Tertullianũ in Apologetico cap. 9.

epist. 118 ad Ianuarium.

Genes. 9.

Actuum 15

Ecclesia mandatum de suffocato & sanguine non comedendo, relaxauit.

Præceptum de obseruatione sabbati, cedit Charitati Christianæ.

Sic sabbatum illud Iudęorum, cuius loco nunc dies Dominicus apud Chrianos sanctificatur, fuit proculdubio & etiam num est Dei mandatum: nihilominus uero docet Christus sabbatum debere cedere charitati. Matthæi 12.

Quo significat externas ferias & cæremonias charitati non esse præponendas.

Item Paulus 1. Corin. 11. præcipit, ne uir orans uelet caput suum: uult autem ut mulier uelamen gestet capite operto. Atq; idipsum dicit nos natura doceri. Et institutum istud tali præiudicio munit: Si quis (inquit) uidetur contentiosus esse, nos talem consuetudinem nõ habemus, neq; Ecclesia Dei. Neq; tamen Apostolicum illud mandatum tam rigide modo apud Christianos seruatur.

Institutum Apostoli, de mulieribus in Ecclesia uelandis non usq; adeo obtinet hodie.

Quæ omnia eo retulimus, ut concludamus, necessario & euidenter omnia illa mandata, quæ externa uel signa uel opera concernunt, non esse censenda ac si plane & prorsus forent irremissibilia, & absq; ulla dispensatione aut moderatione ad literam obseruanda. Atque hoc ideo, ne putet priuatus unusquisq; sibi licere, ut secundum externæ literæ rigorem & tanq; ad salutem necessarium statim exigat omne quod forte inuenerit in Ecclesia Christi, absq; fidei & charitatis offensione moderatum, aut sua sponte mutatum uel antiquatum: Cum permissum sit Ecclesiæ in externis illis ordinare, omniaq; moderari, sicuti iam diximus: Si tamen prospiciatur, ut idem illud ad q̃d externæ cæremoniæ institutæ sunt, nihilominus adipiscamur, & in ueritate consequamur. Consequitur ex eodem, Ecclesiam catholicam non esse propterea quod una specie sacramenti in recta & uera fide contenta, non communicet sub utraq; specie suos omnes, condemnandam, quodq; uinculum charitatis & pacis quo in eadem Ecclesia sumus inuicem colligati, non debeat propter externas istas species solui & dissipari. Quum externum omne unitati Ecclesiæ Christi, & charitati, cedere oporteat.

Si autem arbitrentur quidam fore melius ut Sacramento sub duabus speciebus denuo communicemus utamurq; (quomodo non paucis hoc tempore uisum est) Debitum in Ecclesiam officium requirit, ut primum hac de re cum cæteris Ecclesijs conueniatur, & communi consensu in Christo de hoc constituatur: quo schismati & conuulsioni corporis Christi, quæ est Ecclesia, nulla detur occasio: Quum hæc quæuis sacrilegia longe exuperent.

Neq; item canon Gelasij Comperimus, & epistola Cypriani tantum afferunt ad hanc rem momenti, quantum pleriq; existimant. Gelasius enim loquitur de illis qui superstitionis causa a calice sanguinis abstinebant. Similiter Cyprianus de hæreticis loquitur: qui postea aquarij uocati sunt, & superstitiosa abstinentia a uino calicem sola aqua præparabant.

Adeo-

Adeoq; neceſſe fuit tempore illo, ut redarguerentur tales, qui priua to ſuo conſilio in rebus externis aliud conſtituebãt q̃ catholica Chri ſti Eccleſia obſeruaret. Quod ſemper in catholica Eccleſia damnatũ fuit: ſicuti in præcedentibus inter demonſtrandum hanc regulam la tius explicuimus. Quod autem Laici longo iam tẽpore alteram ſpe ciem, uini inquam, non perceperint, non eſt paucorum ſuperſtitioſa opinione introductum: Verum tota Eccleſia Occidentalis (Bohœ mis tantum exceptis, qui huius articuli cauſa ſe non ita lõge ante hac ab Eccleſia ſeparárunt) conſuetudinem illam Chriſtiana & unanimi concordia multis annorum centenarĩs obſeruauit. Nec fuit quisq̃ una ſola ſpecie non contentus: quouſq; homines nouis factionibus concitarentur. Et eſt credibile, imo plane apparet, q; quicquid in Cõ cilio Conſtantienſi de hoc articulo conſtitutum eſt, factum ideo eſ ſe, quod quidam propter externam tantum ſpeciem uolebant Eccle ſiam totam damnare, & aſſerere, minus in una ſola q̃ in utraque ſpe cie contineri. Ac proinde Concilium illud facti ſui non paruam aut contemnendam habuit rationem: conſiderato q; ſimilia quandoq; ſi milibus de cauſis ante hac ab Eccleſia conſtituta ſint, & uti iam di ximus ordinata.

Communio ſub una tantum ſpecie tam uetus eſt, ut de eius origine non conſtet.

QVÆ MOLIATVR REFORMATIONIS *Liber aduerſus hæc.*

Liber ille damnat uniuerſam Chriſti Eccleſiam, quæ Laicis ſacra mentum illud longe iam tempore una tantum ſpecie porrexit: Dicit hunc abuſum tacite irrepſiſſe, ut ſolus panis Domini diſpenſaretur: idq; nouiſſi mis temporibus, illic, ubi eccleſiarum præpoſiti officium ſuum negligenti us procurarunt. fol. 100. Quodq; Chriſtus utrũq; ſacramentũ æque tam calicis q; panis, oĩhus Chriſtianis inſtituerit ad percipiendũ. F. 109. fa. 2.

Obſerua librum Reform. ſacramentum iſtud duo ſacramenta, eadem que panem & uinum appellare, & alias de hoc ita loqui, ac ſi ſub altera ſola ſpecie non contineantur ſimul corpus & ſanguis Domini: debeantq; neceſſario exigente mandato & inſtitutione Chriſti, utraq; hæc populo adminiſtrari. Quemadmodum & præcipit liber, ut infirmis totum ſacra mentum porrigatur. Quaſi ſub altera ſpecie totum ſacramẽtum ef ficaciter non adminiſtretur. Folio 114. facie 1.

Item liber docet quod oporteat nos apud ſacramentum iſtud omnia & ſingula neceſſario facere, quæ Chriſtus in cœna ſua peregit, nec ab eo ul lis modis cedere: licet etiam Angelus de cœlo, aut apoſtolus aliquis aliud doceat uel præcipiat. Fol. 94. fa. 2. Nec curandum eſſe quid nomine cœ næ aut Miſſæ antehac toto mundo obſeruatum ſit, aut modo obſeruetur:

Et

& quod hucusque ignoranter in hac sacratissima actione actum sit aliter quàm dominus ordinauerit.

Torquet sanctum Cyprianum aduersus Catholicam Ecclesiã, quasi præsides Ecclesiarum in eo, quod Sacramẽtum sub altera specie hucusq; porrexerunt, ministerio & uice Christi non sint perfuncti. Quin potius mandatum eius obiecerint, propter traditiones hominum. Fol. 95. fa. 1.

Atque ita se constituerint reos corporis & sanguinis Christi. Folio 98. facie secunda.

Quantum uerò a beato illo martyre Cypriano abfuit, ut uoluerit, aut cogitauerit Catholicam Ecclesiam, propter externas istas cæremonias condemnare, iam supra satis demonstratum est.

AN DEBEANT OMNES PRÆsentes huic Sacramento communicare.

SExto, quanquam Christus suam sacram cœnam, & unicũ Sacramentum, cum duodecim suis discipulis seruauerit, quanquam insuper uerum sit, pium fore & Christianum, si exemplo tali probi Christiani in Missa præsentes omnes communicent. Quam ob rẽ merito deberent admoneri diligenter, ut se frequentius ad Sacramenti huius perceptionẽ præpararent. Id quod sancti Patres, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, & cæteri fecerunt: non tamen coegit Ecclesia, unquam suos ad hanc legem, ut omnibus Missis tota communitas interesset, aut ut nulla celebraretur, nisi tota communitate præsente & cõmunicante. Nam & Christus ipse non obseruauit hunc morum, quãdo ad sacram suã cœnam duodecim tantũ Apostolos uocauit. Cũ adhuc præter illos plures sibi delectos discipulos, qui se totos doctrinæ eius tradiderant haberet, quos tamen ad cœnam illam non acciuit.

Frequenter admonendi homines, ut sæpe communicent.

Ad celebrandũ Missam non exigi, ut totius communitatis conuentus expectetur.

Christus certe Sacramentũ istud propterea instituit, ut quotquot uerà fide & deuotione peterent, quoties eis uideretur, aut necessitas requireret, ipso frui possent. Sicut in Apostolo dicit: Hoc facite in meã commemorationem: quotiescunq; em̃ manducabitis panem hunc, & calicẽ bibetis, mortem domini annunciabitis, donec ueniat.

Atquẽ ita Christus dominus Sacramentum istud, quemadmodũ & cætera, neque multitudini, neque paucitati personarum, aut loco ubi reciperentur, alligauit. neque item quenquam spiritualiter appetentem ita astrinxit, ut propter alium quemcunque, qui forte nõ admodum de Sacramento solicitus est, ipse quoque eo se fraudet: præsertim quum

taliter affectus cupiat, quotquot sunt præsentes aut circũastantes communicare secum.

Communio quæ fit in missa, non ad præsentes tantũ extenditur, sed habetur cũ omnibus ubilibet constitutis.

Ad hæc negari non potest, cõmunionem Sacramenti istius non consistere in externa sola sumptione sacerdotis & circumstantium, quorũ quidam nonnunquam proditori Iudæ, quã ueris Christi discipulis magis assimilantur: sed præcipue in spirituali & externa illa cõmunione, qua Presbyter, & quotquot cum eo in Sacramento cõmunicant, se omnibus fidelibus toto orbe per fidem Sacramentũ istud similiter percipientibus in spiritu associat. Ita enim docuit Apostolus Christi: Omnes unus panis sumus & unum corpus, quotquot de uno pane participamus. Nec loquitur de his solis, qui eo tempore Corinthi conueniebant, & Sacramentũ ab unius Sacerdotis manu recipiebant, uerum potius de se ipso, tum procul Corintho agente, & Corinthijs ipsis omnibusq; in Christum credentibus, ubi tandem constituti essent, quos omnes significat unum esse corpus, qui toto orbe de uno pane communicantes participarent.

Communionis ueritas magis in spirituali, q̃ externa sacramentali consistit

Quod autẽ communio non sit in externa potissimum societate sita, idem ipse Paulus in principio capitis illius in patribus ueteris testamenti docet, & testatur: Omnes (inquit) eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt, sed nõ in pluribus eorum beneplacitum erat Deo. (In his uidelicet, qui tãtummodo extrinsecus in societate uisibili uescebant.) Nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura nobis acciderunt, &c. Hoc modo locum hunc Apostoli intellexerunt Sancti Patres. Ignatius Apostolicus episcopus & martyr Christi, ad Philadelphienses ait: Vna est caro domini Iesu, & unus est eius sanguis, qui pro nobis effusus est, unus etiam panis, pro omnibus confractus, & unus calix totius Ecclesiæ. Chrysostomus in prædicta Apostoli Pauli uerba, ita scribit: Si ex eodem pane, idem corpus omnes efficimur, quare non eandem præ nobis ferimus dilectionẽ, ut secundum hanc fiamus hoc unum? Etenim progenitorum nostrorũ temporibus hoc erat, multitudinis credentiũ, inquit scriptura, erat cor unum & anima una. Et iterum in eadem homilia: Quid autẽ fiunt, qui accipiunt corpus Christi, non multa, sed unum corpus. Nam quemadmodum panis ex multis granis unitur, ut minime grana appareãt, sed tamen grana sint: uerum incerta discretione coniuncta, ita & nos inuicem Christo coniungimur. Non enim ex altero corpore tu, ex altero ille educatur, sed ex eodem omnes, &c.

In primam epist. ad Corint. homil. 24.

Actorum. 4.

Similia docet S. pater Augustinus in 6. cap. Iohannis, tractatu 26. Man-

Manducauerunt (inquit) manna, Moyſes, Aaron, & Phinees, & alij multi, qui domino placuerunt, & mortui non ſunt. Cæterorum multi ſunt mortui: ſicut & hodie multi moriuntur, qui Sacramentum ſolum, & non Sacramenti uirtutem de altari accipiunt. Et ſequitur: Norunt fideles corpus Chriſti, quod exponens nobis Paulus Apoſtolus: Vnũ (inquit) corpus multi ſumus. O ſacramentum pietatis, o ſignum unitatis, o uinculum charitatis. Qui uult uiuere, habet ubi uiuat, habet unde uiuat. Accedat, credat, incorporetur, & uiuificetur: nõ abhorreat a compage membrorum, & cęt. Et paulo ante, qui manducat intus, non foris, qui manducat in corde, non qui præmat dente. Idem ille Auguſtinus libro Confeſſionum nono, capite decimotertio, de matre ſua Monica refert, quomodo animam ſuam ad Sacramentum precij noſtri uinculo fidei alligauerit, & ita in fide deſiderauerit, ſui memoriam ad altare fieri, unde ſciret diſpenſari uictimam ſanctam. Ecce pia illa & ſancta mulier, noluit, ne poſt mortẽ quidem, a ſpirituali illa cõmunione ſeparari.

Communio corporis Chriſti, eſt communicare cum omnibus Chriſti membris.

Ex quibus omnibus conſequitur, quod omnis cõmunicaturus animum ſuum huc dirigere debeat, quo tali ſumptione Chriſto domino ſuo incorporetur, & ad hoc cõmunicet cum omnibus fidelibus toto orbe diffuſis potius, quã cum ſolis præſentibus, quorum fides fortaſſe ſibi ignota eſt. Cõſequitur deinde etiam ſacerdotem non malefacere (ſi tamen non omittat admonere populum, ut ad communionem frequentius ſe præparet) quãdo celebrat Miſſam, præſentibus aliquibus, qui ſpirituali oblationi ſuæ conſenſum præbeant. Licet ĩdem interdum per fidem, ſpiritualiter tantum in oratione in laude Dei, in gratiarum actione cum eo communicẽt. Quum ſacerdos ipſe nihilominus præterea, cũ oĩbus illis, qui ubilibet locorum in Sacramento communicant, communicet ſacramẽtaliter. Ad quod etiã refert uerba Canonis. Quemadmodũ uetus ille & doctus Cameracẽ. Epiſcopus Odo pulchre tradit.

Quo debeat ſacerdos uerba ſua referre cũ deſunt communicantes.

Nec uero, quæ diximus Chriſtianũ & bene affectũ hominem magnopere ſolicitare, debẽt, tãtum ſi animaduertat ſacerdotẽ altari adſtare, nõ tãtum pro præſentibus, uerumetiam pro toto mũdo, pro abſentibus & præſentibus, prõ prẽteritis ante nos, & futuris poſt nos, pro quibus oĩbus iubet per ſacrificium iſtud agere gratias, qñ exclamat: Gratias agamus domino Deo noſtro. Quæ eſt ſancti Iohãnis Chryſoſtomi ſententia, homilia 26. in Matthæum.

Plane ad eũdem modũ loquitur, & alibi lib. 6. de Sacerdotio, ubi cũ dixiſſet: Sacerdotẽ pro ciuitate tota aſtare, ſubdit: Quid dico ciuitate? imo uero p̃ uniuerſo terrarũ orbe Legatus intercedit, deprecatorq; eſt

apud Deum, ut omnium non uiuentium modo, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat. Similia reperis apud eundem homil. 5. de uerbis Esaię.

Nunq̃ fuit in Ecclesiis usus, ut præsentes omnes cogerentur ad communicandum.

Iam neq; in Orientali, neq; in Occidentali Ecclesia, unquam fuisse usum illum, ut præsentes omnes officio Missæ, aut cogerentur ad communicandũ, aut ab auscultanda Missa iuberentur abstinere, siue etiã, ut sine cõmunicantibus nulla celebraretur Missa, nemo melius absq; ulla contradictione, nemoq; certius & ad oculum demonstrauerit aut testetur quã Patres ipsi, qui eo seculo uixerunt, omniumq; Ecclesiarum mores habebant exploratos. Inuidiose nimiũ affingitur hac tẽpestate Occidentali Ecclesiæ, quasi in ea primum quotidianæ cõmunicationis usus defecerit. Quod certe non est. Cũ ex Patribus luculenter ostendi queat, assiduam cõmunicationem durasse longius in Ecclesia Occidentali q̃s in Orientali. Beatus Ambrosius testatur Græcorũ laicos sua ætate semel tantum in anno consuesse cõmunicare, lib. 6. de Sacramentis, cap. 4. Quod imitari uolentes increpat his uerbis: Si (inquit) quotidianus est cibus, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueuerunt? Huic consonat Augustinus lib. 2. de sermone domini in monte, ubi testat Orientales non quotidie cœnæ dominicę communicare. Volunt ambo doctores dicere, aliter sua ætate in eorum Ecclesijs, aliter apud Orientales, de cõmunione frequẽti obseruatum fuisse. Quod consequenter explicabimus.

In Ecclesia Occidentali usus frequenter communicandi, diutius q̃ apud Orientales durauit, quanq̃ non cogerentur communicare.

Atq; hoc uerum esse testatur Chrysostomus ipse homilia 11. ad populum circa finẽ, ubi Constantinopolitanos suos ciues increpat, quod in Quadragesima iudicarẽt, litigarent, iuramẽta & periuria (ut in rebus illis fieri solet) committerẽt. Et sequitur: Quomodo sacrum uidebimus Pascha? Quomodo sacrum suscipiemus sacrificium? Quomodo mirabilibus cõmunicabimus mysterijs, lingua illa, qua Dei legẽ conculcauerimus? &c. Ad populum ista loquitur, quem exhortabatur, ut saltem se præpararent ad communicandum pro consuetudine in Pascha. Quod ipsum tame expressius facit in 10. cap. Epistolę ad Hebręos, homil. 17. his uerbis: Plurimi ex hoc sacrificio semel accipiũt in toto anno, alij bis, alij sępius. Ad oẽs ergo nobis sermo est. Nõ ad eos qui hic sunt tm̃, sed etiã ad eos q̃ in heremo sedẽt. Illi em̃ semel in anno participant, fortassis & postduos annos. Quid ergo est? q̃s magis acceptamus? Eos ne q̃ semel, an eos q̃ sæpius, an illos q̃ raro accipiũt? Neq; illos q̃ semel, neq; q̃ sępius, neq; qui raro, sed eos qui cũ munda cõscientia, qui cũ mũdo corde, cum uita irreprehensibili; isti semper accedunt. Qui uero tales nõ sunt,

sunt, neque semel. Quid ita? Quia iudicium sibi accipiunt & damnationem, & supplicium.

Licet autem plebis Constantinopolitanæ pars maxima non quotidie communicaret, interdum fortasse nemo non tamen: propterea Chrysostomus ille, aut Presbyteri Constantinopolitani censuerunt causam esse, quo minus ipsi puotidie sacrificarent, Missasque celebrarent. Quod eodem in loco ipse testatur, ubi dicit: Nonne per singulos dies offerimus? offerimus sane, &cet. Similiter in Epistola ad Ephesios capite primo, sermone tertio meminit quotidianæ oblationis. Quanquam uerum est, quod populum suũ ibidem (sicut & Episcopos nostros, ac pastores facere conueniebat) uehementer redarguit, quod ubi quotidie offerreretur, quotidie astaretur altari, nemo qui cõmunicaret accederet. Frustra (inquit) habetur quotidiana oblatio. Frustra stamus ad altare, nemo est qui simul participet. Quãuis autem non accederent illi: Ipse tamen quotidianam suam Missam iusto tempore quotidie perficere non destitit. Quod autem hęc sit mens eius, nec uelit expostulatorijs illis uerbis, (Frustra stamus ad Altare) legem præscribere, sed arguere tantum: nec item uoluerit prohibere Missas, in quibus præsentes non communicarent, manifestant ipsius uerba eodem in loco ad Hebræos decimo. Hæc (inquit) dicens, Non ab una in anno perceptione uos ueto, sed uolo semper uos accedere, sanctis hæc concessa sunt. Hęc etiam diaconus insonat in illa hora sanctos uocans, per hanc uocem ueluti maculas inspiciens. Hæc Chrysostomus, qui Orientalis Ecclesiæ consuetudinem istiusmode uerbis satis indicat.

Chrysost. celebrauit absq; communicantibus.

Quo sint Chrysost. uerba in Epistolam ad Ephe. intelligenda.

Iam ut ad Occidentalem Ecclesiam reuertamur, ueteres sancti Episcopi referunt se quotidie, aut saltem aliquot in hebdomada diebus, Missam aut sacrificium altaris celebrasse: ut est uidere apud Cyprianum libro quarto, Epistola nona ad Florentium Pupianũ, & in Ambrosio in cap. 3. Epistola prima ad Timotheum. In Augustino item, Epistola uigesimatertia ad Bonifacium. & in Psalmo 175. & de fide ad Petrum capite decimonono. In quibus locis sufficienter demõstratur Occidentalem Ecclesiam in assiduæ & frequenti communicationis usu longius quam Orientales perseuerasse. Id quod etiam ex Epistola Hieronymi ad Lucinium manifeste patet, ubi dicit Romanas & Hispanas Ecclesias quotidie communicare. Similiter in Epistola ad Damasum, & ad Hedibiam quæstione secunda.

Occidentales quotidie Missas celebrarunt.

Quanquam autem quotidie ſancti patres celebrarent, noluerunt tamen præſentes laicos ad cõmunicationẽ cõpellere. Admonuerũt quidem eos, interim tamen quid ſentirent, ſimul aperiebant: Se neque laudare, neq; uituperare quotidianam Euchariſtiæ communionem: hortabantur tamen, ut ſaltem Dominicis præcipue diebus communicarent, ſi tamen mens ſine affectu peccandi eſſet: Nam habentem adhuc uoluntatem peccandi, grauari magis Euchariſtiæ perceptione q̃ purificari. Sicut in Auguſtino legitur de Eccleſ. dogma. cap. 53. Quinetiam epiſtola 118. ad Ianuarium. cap. 2. & 3. non conuenit huic ſancto uiro cum illis qui putabant quoties miſſa celebratur, totum populum communicare debere. Verum in hanc ſententiam concludit, ut unuſquiſq; pro ſuo arbitrio facere poſſit & debeat, q̃ ſecundum fidem ſuam crediderit ſibi pie faciendum eſſe. Aliquis dixerit (inquit) non quotidie accipiendam Euchariſtiam: quoniam eligendi ſunt dies quibus purius homo continentiusq; uiuit quo ad tantum ſacramentum dignus accedat. Qui enim manducauerit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit. Alius uero contra: Imo (inquit) ſi tanta eſt plaga peccati atq; impetus morbi, ut medicamenta talia differenda ſint, authoritate antiſtitis, debet quiſq; ab altari remoueri ad agendam pœnitentiam, & eadem autoritate reconciliari. Cæterum, ſi peccata tanta non ſunt, ut excommunicandus quiſquã homo iudicetur, non ſe debet a quotidiana medicina Dominici corporis ſeparare. Verum neutrius ſententia Auguſtino probatur: Vnde media uia incedens, hanc promit de eis cenſuram: Rectius (inquit) inter eos quiſquã dirimit litem, qui monet ut præcipue in Chriſti pace permaneant: Faciat autem unuſquiſq; quod ſecundum fidẽ ſuam pie credit eſſe faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus & ſanguinem Domini, ſi ſaluberrimum ſacramentum certatim honorare contendunt. Neq; enim litigauerunt inter ſe, aut quiſquã eorum ſe alteri præpoſuit, Zachæus & ille Centurio: cum alter eorũ gaudens in ſuam domum ſuſceperit Dominum: Alter dixit: Non ſum dignus ut intres ſub tectum meum. Ambo Saluatorem honorificantes, diuerſo & quaſi contrario modo: ambo peccatis miſeri, ambo miſericordiã conſequuti. Atq; hic dicit beatus Auguſtinus: Valere ſimilitudinem illam in manna quod in illo populo unicuiq; ſecundum propriam uoluntatem ſapiebat: ſic & in honore cuiuſque Chriſtiani ſacramentum illud quomodo ſumatur, æſtimandum eſt. Nam & ille honorando non audet quotidie ſumere: & ille honorando non audet ullo die prætermittere. Contemptum ſolum non uult cibus ille, ſicut nec manna faſtidium. Hucuſq; Auguſtinus.

Cogno

Cognoſce autem an non hoc ſit quod uoluit apoſtolus Paulus 1. Corint. 11. ubi ait: Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat & de calice bibat &c.

Hinc apparet, quod licet uetus Latinorum Eccleſia, quotidie ſacrificauerit, Miſſasq; celebrauerit: quibus haud dubium populus, illi præſertim qui nullis publicis criminibus infames erant, præſentes fuerunt. Non adegit tamen præſentem populum ad quotidianam ſacramenti communicationem, ſed idipſum uniuſcuiuſq; conſcientiæ liberum permiſit. Quemadmodum & ſanctus pater Auguſtinus fecit: Quotidie (inquit) Euchariſtiæ communionem percipere nec laudo nec reprehendo: omnibus tamen Dominicis diebus communicãdum ſuadeo & hortor, ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit. Atq; ita factum uetuſtiſſimi quoq; canones atteſtantur. In primis ueteris illius Sotheris. c. hoc quoq; ſtatutum eſt. de conſ. diſtinct. 1. Qui hoc tantum exigit, ut nullus ſacerdos Miſſarum ſolennia celebrare præſumat, niſi duobus ad minimum præſentibus, ſibiq; reſpondẽtibus cum dicit, Dominus uobiſcum, aut in Secretis, Orate pro me &c. Non exigit autem ut totus adſit populus neceſſario præſens: multo minus ut omnes ſemper communicent: quod ne ab his quidem duobus quos uult eſſe præſentes uidetur exigere. Præterea teſtatur idem ille Soter, ærate ſua quoſdam etiam in die dominicæ cœnæ perceptionem Euchariſtiæ neglexiſſe: Quo die æquum certe erat omnes Chriſtiani nominis communicare. c, in cœna Domini. de conſecrat. diſt. 2: Hinc conijcere licet quid alijs diebus communibus ea tempeſtate fecerit populus.

Olim ter in anno omnis populus communicabat.

In canonibus Fabiani ita legitur: Etſi non frequentius, ſaltem in anno ter homines communicent: niſi forte quis maioribus quibusliber criminibus impediatur: in Paſcha uidelicet, & Pentecoſte, & Natali Domini. Et habetur de conſecratione diſtinctione ſecunda, can. Etſi non frequentius.

Ne uero putetur Canon hic nouicium eſſe quoddam commentum, renouatur Conſtitutio iſta, tanquam uetus, in Agatenſi Concilio. capite decimo octauo, ubi præterea nihil a laicis exigitur amplius, q̃ ut Miſſas die Dominico totas audiant, nec ante benedictionem ſacerdotis egredi præſumant, capite quadrageſimo ſeptimo. & habetur de conſecratione diſtinctione prima, can. Miſſas die dominico.

Idem illud mandatur in Concilio Aurelianenſi. can. 28. & habe de conſecratione diſt. prima. cum ad celebrandas Miſſas.

Quine-

Olim etiam priuatæ Missæ in Oratorijs seu sacellis celebratæ.

Quinetiam Concilium Agateñ.c.21. Similiter sexta uniuersalis Synodus,allegata in c.Clericos, de conſ.diſt.1. Permittunt ſacerdotibus ut conſentiẽte Epiſcopo loci,celebrare poſſint in oratorijs,quæ inter priuatas domus ſunt. Quod & factum expreſſe legitur in Conſtantinopoli a beato Gregorio Nazianzeno:qui illic in paruo oratorio,cum multorum Epiſcoporum communi decreto,fuiſſet in Epiſcopum ſurrogatus,ſacra celebrare non dubitauit. Vide Tripartitã hiſtoriam libro 9.cap.8.Iohannes ille Eleemoſynarius, Alexandrinus patriarcha,cum poſt lectum Euangelium, ocioſis ſermonibus quidam extra Eccleſiam orationis tempore uacarent,exijt & ipſe, & ſedit cum turba.Omnibus uero obſtupeſcentibus,dixit ad eos ſenior:Filij,ubi oues illic & paſtor:aut intrate intro, & ingrediar, aut manete hic & manebo.Ego propter uos deſcendi in ſanctam Eccleſiam:nam poteram mihi facere met Miſſas in epiſcopio. Similia reperis apud Auguſtinum lib.22.de Ciuitate dei,cap.8.& Gregorium in Regeſtis,ubi frequentius priuatarum Miſſarum meminit.

Leontius Neapoleos Cyprorum Epiſcopus in uitam ſancti Iohanis Alexandri.

Ex quibus omnibus perſpicuum fit & clariſſimum, non poſſe a ueteris Eccleſiæ conſuetudine deduci & tradi, non eſſe celebrandã Miſſam,niſi præſente toto populo & communicante.

Et quare obſecro probi & pij Chriſtiani,nullis deliberato animo commiſſis criminibus obnoxij,arcentur a Miſſa? Quare non liceat talibus manere in ſacro officio, ut corpore & ſanguine Chriſti præſente,tanto attentius Dominicæ paſſionis habeant memoriam,ad agendum Deo gratias,ad orandum,& pro ſua totiuſq; mundi ſalute ſupplicandum,ad audiendum item lectiones ſacras, in ædificationẽ fidei & charitatis ſuæ? Licet etiam tales non ſemper tremenda illa myſteria(ut inquit Chryſoſtomus) conſcientiæ metu conterriti, auſint recipere.Cur enim intereſſe nequeant, ut dicant cum Centurione:Domine nõ ſum dignus ut intres ſub tectum meum,Matthęi.8. & cum Petro:Recede a me Domine,quia homo peccator ſum.Luc. 5.& cum publicano ſtare a longe,tondere pectus, & dicere: Deus, propicius eſto mihi peccatori.Lucæ 18. Dicit Apoſtolus 1.Corint. 14.Cum conuenitis, unuſquiſq; ueſtrum pſalmum habet, doctrinã habet,Apocalypſim habet,linguam habet,interpretationem habet: & tandem perorans,Omnia(inquit)ad ædificationem fiant. Et beatus Auguſtinus epiſt. de moderate coercendis hæreticis,ad Bonifacium Comitem,dicit:Chriſtianos pacis tempore uario & multiplici prout unicuique donauit Deus pietatis ſtudio alacriter conuenire. Quorum(inquit)o ſi uideas in Chriſti pace lætitias.frequentes alacri

critates,& ad hymnos audiendos & canendos,& ad uerbum Dei percipiendum,celebres, hylaresq; conuentus, multorumq; in eis cum dolore magno recordationem præteriti erroris,& c. Et hinc est,quod uetes Canones tam frequenter de audiendis Missis meminerũt,ca.si quis, & ca.Missas,qui sunt ex Concil.Agatẽ.de consecrat.distinct.1.

Aduersus hæc, non adeo,ut plerisq; uisum fuit,facit ca. peracta,distinctione 2.Excerptus est enim ex Epistola Anacleti:quæ si diligenter inspiciatur,nõ efficies ex ea, Laicos in Missa præsentes debuisse omnes communicare.Ita enim habet Anacletus: Episcopi quãdo domino sacrificant,non soli hoc agere debent,sed testes secum adhibeant,ut domino perfecte in sacratis Deo locis sacrificare probẽtur. Deinde Episcopus domino sacrificans,testes ut præfixum est,secũ habeat,& plures q; alius sacerdos.In solennioribus quippe diebus,aut septem,aut quinq;, aut tres Diaconos,qui eius oculi dicuntur,& Subdiaconos ac reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti uestimentis,in fronte & a tergo,& Presbyteri e regione dextra leuaq;, contrito corde & humiliato spiritu,ac prono stent uultu, custodientes eum a maleuolis hominibus, & consensum præbeant eius sacrificio. Et statim sequitur, quod est in Canone:Peracta autem consecratione omnes communicent,qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus,& c.Quod profecto nõ ad alios, q; ad Sacerdotes,Diaconos,Subdiaconos, & alios Ecclesiæ ministros iam dictos,qui apud sacrificium solennibus diebus debeant esse præsentes,necessario referri debet.Nulla enim fit expressa laicorum ibidem mentio.

Verus sensus Canonis Peracta.

Aduerum Canonis huius intellectum,non parũ confert nonus Apostolorum Canon, qui ita habet: Si quis Episcopus,aut Presbyter, aut Diaconus,uel quilibet ex sacerdotali catalogo,facta oblatione nõ communicauerit:aut causam dicat, ut si rationabilis fuerit, ueniam consequatur,aut si non dixerit,communione priuetur. Cuius instituti datur in eodem Canone talis ratio, ne uidelicet Clerici a communioe abstinentes,populo sint offensioni, generentq; suspicionem de eo qui sacrificauit,quasi non recte obtulerit. Ad eundem modũ decimus Apostolorũ Canõ intelligẽdus est.Qui in Concilio Anthiocheno cap.2. exponitur, de his qui ingrediuntur Ecclesiam Dei,& sacras scripturas audiunt, nõ autem cum populo in oratione communicant, auersantur autem sancti dominici Sacramenti sumptionẽ,secundum propriam aliquam disciplinam:quos ab Ecclesia oportet abiici,donec confitentes, fructum pœnitentiæ demonstrent, &c. Ita profecto æquum est,& hoc tempore, ut excommunicentur, qui uniuersalem Christianorum communionem in hoc Sacramento auersantur.Quum autem uniuscuiusque sermonis aut

Quare ministri altaris olim debuerint communicare cũ celebrante.

Excommunicandos qui aliter q; reliqua Catholica Ecclesia faciat, uoluerint communicare.

sententiæ uerus intellectus, ut uult Hilarius, ex causis & rationibus dictorum sit accipiendus. Atq; ut dicunt Iurisperiti, inciuile sit de lege iudicare, nisi ea fuerit tota perspecta, quilibet facile prospicit, quousq; ca. Peracta, & ca. omnes se extẽdant: & præsertim Canonibus illis non efficiat hoc, ad quod per uim contra germanum eorum sensum a quibusdã infeliciter satis torquentur. Fit itaq;, ut Canonibus illis inoffensis, ueritas maneat inconcussa, nunquam fuisse in Ecclesia strictam istam consuetudinem, ut in omni Missa tota cõmunitas fuerit præsens, omnesq; præsentes coacti fuerint ad communicandum. Alioqui profecto non paulo rarius Sacramentum illud permissu plebis obtulissent. Quod tamen legimus quotidie ab ipsis oblatum.

QVID OBTENSAE REFORMAtionis liber aduersus hæc doceat.

IN primis liber Reformat. ex hac propositione, quod dominus noster Iesus Christus cum omnibus discipulis suis, eo tempore præsentibus, qui se totos eius doctrinæ dederant, Sacramentum istud tractauit. Folio 95. facie prima.

Infert plurima, primum quod idcirco ueteribus Ecclesijs fuerit talis consuetudo, ut in una qualibet communitate seu congregatione, una tantũ cœna cum omnibus communiter seruaretur. In qua omnes de uno pane, & de uno calice perceperint. Folio 95. fa. 1.

Infert inde & hanc doctrinam, eos, qui in communitate una plures quã unam cœnam seruarent, hoc ipso indicare & comprobare, se non esse panem unum & corpus Christi, nec uere recipere, nec item habere communionem sui corporis & sanguinis, præ se ferre quoq; schisma seu dissipationem corporis Christi & Ecclesiæ. Insuper ad hæc quod quicũq; præsentes fuerint huic Sacramento, & Sacramẽtum (ubi fuerint de libri istius ordinatione sufficienter edocti) non simul uoluerint cũ cæteris percipere, hoc ipso satis demonstrare se non esse membra reliquorum Christianorum, nec uelle esse panis unus & corpus unum. Fol. 95. fa. 2. & fol. seq.

Item, quod in una communitate aut congregatione populi, non plures q̃ cœna una obseruari debeat, & hoc eo tẽpore, quãdo tota cõmunitas simul congregatur. Sicut diebus dominicis, & alijs festis, quibus haberi poterunt communicantes. Folio 96. facie 1.

Imo uult, ut cœna tantũ dominicis aut festiuis diebus, aut quibus cõmunitas orationis causa, alioqui tota fuerit cõgregata, obseruetur. Sanctos item Patres arbitrari Sacramentũ istud non uere confici aut obseruari, nisi corã tota fraternitate celebretur. Fol. 101. fa. 2. Et addit in maioribus & populosis ciuitatibus olim solitum ita seruari.

Simili-

Similiteu quod ueteres Ecclesiæ excommunicauerint eos omnes, qui cœnæ interfuissent, & nõ communicassent. Huc torquet & ca. Peracta, & beatum Chrysostomum. Folio 100. facie pri. & seq.

Item, quod Sacramentum istud non debeat exhiberi pro spectaculo, sed in solam communionem omnium membrorũ Christi, quã debeat unaquæq; communitas de uno Sacramento sumere & percipere. Folio 101. facie secunda.

Vnde apparet, quod liber ille uelit eleuationem Sacramenti huius dignissimi, quæ fit in Missa prohibitam, quæ tamen est de ratione sacrificij, quam & ratio nominis Missæ requirit, uti postea demonstrabitur. Ad hæc hostiæ eleuatio, usitata fuit semper, tam in Latinorum, quam Græcorum Ecclesia, ut testatur Basilius libro de spiritusancto, cap. 27. Quod etiam in Canone Missæ Iohannis Chrysostomi clarissime patet, ubi sic habet: Sacerdos autem eleuans sanctum panem: dicit sancta sanctis. Et Choro respondente: Vnus sanctus, unus dominus Iesus Christus in gloria Dei patris. Sacerdos rursus eleuat panem, dicens: Super cœlos Deus, & super omnem terram gloria eius effusa est.

Propterea, qui Græcæ Ecclesiæ consuetudinem explôratã & compertam habent, probe norunt, quomodo Presbyter post consecrationẽ Sacramenti, tradat Diacono patenam deauratam, continentem consecratum & sanctificatum panem cum magna religione, ut populo ostendat, qui deinde per populum in genua procumbentem circũfert calicem cũ Sacramẽto. Nihilominus tamẽ nemo plerunq; ex populo cũ sacerdote communicat, præter Diaconum & Subdiaconũ, quibus de sacrato pane & calice datur. Cæteris uero datur panis reliquus non consecratus, e quo sacerdos sibi delegerat panem consecrandum. Et participat unusquisq; portiunculam, quanquam non consecratam, cũ magna deuotione in memoriã Christi, &cæt. Liturgia Chrysostomi describit orationem quã Diaconus, Subdiaconus, & Lector, priusquam Sacramentũ participant debeãt dicere: quod & ipsum indicium est non omnem plebem quotidie communicasse, sed ministros tantum.

Latinorũ Ecclesia dat osculum pacis, loco Græci illius ritus.

DE MIXTVRA CALICIS CUM AQUA.

SEptimo, a tempore Apostolorum ad nos usque traditam tenemus institutionem, quæ & toto orbe Christiano semper obseruata fuit, ut calix domini non solo & puro uino, sed aqua mixto, ad altaris sacrificium adhibeatur.

Vinum miscendum aqua ex instituto Christi.

Huius instituti antiquitatem uidemus apud Irenæum uicinũ Apostolorum temporibus libro 5. contra hæres. Ait em̃: Quando mixtus calix & fractus panis percipit uerbũ Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi. Similia habet & papa Alexander, qui sub Traiano uixit, de consecrat. distinct. 2. ca. 1.

Verba Canonis. In sacramentorũ oblationibus, quæ inter Missarũ solennia domino offerũtur, panis & uinũ aqua pmixtũ in sacrificiũ offerantur. Non enim debet in calice domini, aut aqua sola offerri, sed utrũque pmixtũ offeratur, qa utrũq; ex latere eius in passione sua profluxisse legitur.

Item, sanctus martyr Cyprianus libro 2. Epistola 3. ad Cecilium fratrem, uult hanc traditionem a Christo ipso descendisse. Et quemadmodum dicit in sacrificando calice domini, offerri aqua sola non potest, ita nec uinum. Nã si uinum tantũ quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Si uero aqua sit sola, plebs sumit esse sine Christo &c̃. Huic est simile quod Eusebius Emissenus in homilia de corpore & sanguine domini ait: Hoc dominici sanguinis uinum, aqua miscendum esse, non solum traditione dominus, sed etiam ipso genere passionis ostendit. Ex cuius sacro latere sanguis & aqua lanceæ illisione profluxit. Atq; hoc ipsum Iulius Pontifex ad Episcopos per Ægyptum latius declarat, ca. Cum omne, de consecrat. distinct. 2. dicens: In uino ostendi sanguinem Christi, in aqua uero populum intelligi. Et ergo cũ in calice uino aqua miscetur, intelligi populum Christo adunari, &cæt. Dicit insuper antiquis Conciliis præceptum, nulli licere aliud offerri in sacrificijs diuinis, quam panem & uinum aqua mixtum. Reprobat errorem & præsumptionem quorundam, qui ad ueritatem subuertendam secus agere uolebant. Cui consonat Concilium sub Martino papa habitũ, ca. non oportet, de consecrat. distinct. 2. & Concilium tertium Carthaginen̄. cui beatus Augustinus interfuit, can. 23. Quod ita sonat: In sacramentis corporis & sanguinis Christi, nihil amplius offeratur, quam ipse dominus tradidit, hoc est, panis & uinum aqua mixtum. Idem illud Græca Chrysostomi Missa testatur, & totius denique Catholicæ Ecclesiæ consuetudo uniuersalis ab initio ad nostra usq; secula obseruata.

QVID OBTENSAE REFORMAtionis liber aduersus hæc doceat.

Verum liber Reformationis, istis neglectis, nullam facit mentionem de uino aqua miscendo.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

Christus in cœna oblationem nouam instituit, & docuit offerre.

IN tota Catholica Ecclesia a tẽpore apostolorũ cõcorditer traditũ fuit, dn̄m nostrũ Iesum Chr̃m in sua sacratissima cœna, nõ solũ distribuisse Apostolis suis sub panis & uini speciebus carnẽ & sanguinem

guinẽ ſuũ, ſed etiã eodẽ tẽpore obtuliſſe Deo patri cœleſti nouũ ſacrificiũ, & apoſtolis ac ſucceſſoribus eorũ, ut id ipſum uſq; ad finẽ mundi facerent, mandaſſe. Quod beatus Irenæus pulcherrime atteſtatur libro quarto contra hæreſes. cap. 31. 32 & 33. Capite 32. ſunt hęc eius uerba: Eum qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit dicens: Hoc eſt corpus meum. Et calicem ſimiliter. Qui eſt ex ea creatura quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & Noui Teſtamenti nouam docuit oblationem. Quam Eccleſia ab apoſtolis accipiens, in uniuerſo mundo offert Deo. De quo in duodecim Prophetis Malachias ſic prędignauit: Ab ortu ſolis uſq; ad occaſum, nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & ſacrificium purum.

Cæterum, quod Chriſtus dominus in cœna ſua nouam Noui Teſtamenti oblationem inſtituit, non opus habet neq; Irenæi neq; aliorum patrum quorumcunq; teſtimonio: quum poſſit idipſum ex textu euangeliorum clare demonſtrari, & intelligi facillime: Tantum ſi facta & dicta Chriſti uoluerimus attente conſiderare. Enimuero certe magna foret (noſtro iudicio) cæcitas, ſi quis hic uelit inſpicere & obſeruare, quod Chriſtus quemadmodum loco ueteris illius ſacramenti circunciſionis, inſtituit ſacramentum nouum baptiſmatis, ita & hic loco multiplicium oblationum & ſacrificiorum Veteris teſtamenti, quæ tantum umbræ quædam fuerunt rerum futurarum, nouum iſtud tradidit ſacrificium. Quod certe ſit manifeſtiſſimum, ſi uerba factaq; Chriſti, cum uerbis & ritu ſacrificiorum Veteris teſtamenti conferãtur. Facta enim utriuſq; collatione, ſtatim luce clarius apparet quam pulchre reſpondeat ueritas figuræ, & hoc illi ſuccedat. Quomodo item Chriſtus tanq; lux uera aufferat in cęna ſua umbram omnem ueterum ſacrificiorum: in quorum omnium locum ſacrificium iſtud, quod omnia ſignificabant, repoſuit & ordinauit.

Collatio ſacrificiorũ Veteris teſt. cum ſacrificio Teſt. Noui quod in Miſſa offertur.

In Veteri teſtamento Moyſes de agno paſchali (quod nihil aliud erat q̃ oblatio & ſacrificium figurale) ita loquitur Exo. 12. Eſt Phaſe, id eſt, tranſitus Domini. De hoc uero nouo ſacrificio, quod illud ſignificabat, loquitur Chriſtus: Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis traditur. Intellige in remiſſionem peccatorum. In qua utiq; fit uerus tranſitus Domini. Nimirum, cum peccatum & mortem euadimus, & poteſtas diaboli deponitur. Rurſus, de illo Moyſes ibidem iubet, ut accepto ſanguine, aſpergẽtur eo ſuperliminare & ambo poſtes domus, ut ſit eis ſanguis in ſignum liberationis a plagis Ægypti.

De hoc uero ita Christus ait: Hic est calix Noui testamenti in meo sanguine, qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorum. De illo iterum ait Moyses ad Israelitas: Cum introieritis terram, quam dominus Deus daturus est uobis, ut pollicitus est, obseruabitis cæremonias istas religione perpetua. De hoc uero mandat Christus: Hoc facite in meam commemorationem, usq; dum rediero. Alibi in Exodo, de sanguine sacrificiorum, quo primum liber Testamenti & omnis populus, deinde tabernaculum omniaq; uasa ministerij Dei aspergebantur, ait: Hic est sanguis Testamenti, quod ad uos mandauit Deus. Christus autem dicit: Hic est calix Noui Testamenti, in meo sanguine, qui pro uobis effunditur. Vidit hanc collationē Theophilactus in uerbis illis Domini, Hic est sanguis meus, Marci xiiij. Aitq; Sanguinem Noui Testamenti dixit Christus, opponendo ueteri: habebat enim & Vetus Testamentum sanguinem, quo aspergebatur & populus & liber legis.

Exodo 24.

Hebræ. 9

Similiter de sacrificio primitiarum, quod peculiariter sacrificium istud Noui Testamenti (ut Irenæus in loco iam allegato ait) significabat, præcipit Moyses Deuteron. 26. Cum intraueris terram, tolles de cunctis frugibus eius primitias, & pones in cartallo, pergesq; ad locum quem Dominus tuus elegerit, ut ibi inuocetur nomen eius: accedesq; ad sacerdotem qui fuerit in diebus illis, & adferes ad eum: Suscipietq; sacerdos cartallum de manu tua, & ponet ante altare Domini Dei tui. Et præcipit inde Moyses, ut in hac oblatione Israelitæ clara uoce fateantur, agantque Deo gratias, q; in manu forti & brachio extento induxerit eos in terram promissionis, quodq; susceperint omnia quæ Dominus erat eis pollicitus. Hic, quum Christus a postolis sibi cœnam parari iussisset, accipit ad eundem modum panem, simulq; calicem, in sanctas manus suas, gratias agens patri cœlesti.

Postremo iubet Moyses ut completa oblatione & gratiarum actione, adoratoq; Domino, filij Israel in loco illo oblationis primitiarum, epulentur in omnibus bonis quæ dominus Deus ipsis erat largitus. Christus autem in cœna sua, cum gratias egisset, dedit apostolis suis proprium corpus & sanguinem, sub panis & uini speciebus, dicitq; omni consolatione & gaudio plena uerba illa: Accipite, comedite, & bibite, Hoc est corpus meum quod pro uobis datur. Hic est sanguis meus, qui pro uobis effunditur. &c.

Possent ad eundem modum uniuersa libaminum & omnium sacrifi-

Sacrificiorum ueteris Testamenti genera cum hoc sacrificio conferri.

Et ut summatim omnia perstringamus, nemo Christianæ disciplinæ intelligens, & probus Christianus aliter unquam dicere poterit, quam Euangelium clare testari, quod Christus (qui uerus est agnus Dei qui tollit peccata mundi, qui secundum carnem præsignatus est, multiplicibus ueteris testamenti sacrificijs, imo qui est panis ille cœlestis, qui dat uitam mundo) cum de hoc mundo transiret ad patrem, duplicis generis sacrificium obtulerit. Vnum quidem in cruce cruentum, ubi oblatione corporis sui, & prætiosi sanguinis effusione, nobis remissionem peccatorum, & æternam liberationem impetrauit. Quo qui dem sacrificio impleuit, & sustulit holocausta omnia, & hostias ueteris Testamenti, quæ tantum umbræ quædam fuerunt uenturæ ueræ illius hostiæ: & sua propria uirtute peccata expiare, purgareq; non potebant. Atque hoc nouæ legis sacrificium semel tãtum in cruce oblatum, non amplius ita offertur. Et est unica illa hostia, quæ nobis remissionem peccatorum, & uitam æternam promeruit. Vna enim oblatione, inquit Apostolus, consummauit in æternum sanctificatos. Quando autem pater cœlestis decreuit morte unigeniti filij suæ, nouum Testamentum & fœdus gratiæ nobiscum erigere, ad eum pertinnit, etiam prouidere ut sacrificium, quod tali Testamento congrueret, quoq; testamenti & fœderis eiusmodi perpetuo recordaremur, nobis institueretur & reuelaretur. Quam ob rem Christus dominus, cum uoluisset seipsum semel pro nobis offerre hostiam cruentam, simul & in eadem illa nocte, qua tradebatur ante passionem suam, cum iam eam subire decreuisset, instituit & reliquit nobis sui sacrificij imaginem quandam, tanquã sacrificium, quo iterum atq; iterum subinde in Ecclesia sacrificaremus. Atque hoc ipsum est, alterum istud sacrificium, non cruenta, sed incruenta, recordationis, gratiarum actionis, & laudis oblatio. Quo quidẽ nouo sacrificio ita omnium libaminum & holocaustorum, imo etiam recordationum, gratiarum actionum, & laudum ueteris testamenti sacrificia sustulit, sicut cruento illo suo in cruce sacrificio abstulit peccata omnia, & hostias pro peccatis. Cum hoc ipso testatus est externas illas ueteris testamenti oblationes omnes, deinceps non fore utiles. Postquã uidelicet significationes earum in ipsum directe, impletæ essent & finem haberent. At uero nouum istud sacrificium salutare futurum. Quale & est ob id præcipue, quod non solum significet, uerumetiam re ipsa in se contineat ueritatem illarum rerum, quæ quondam oblatione libaminum, uictimarum sacrificiorum, & holocaustorum significabantur.

In Euangelio duorũ sacrificiorũ fit mentio.

Sacrificium in cruce cruentum.

Heb. 10.

Sacrificiũ in cœna institutũ incruentũ.

Quales

Quales sunt sanctũ eius corpus,& præciosus sanguis eius. Præcepitq; ut sanctissimum illud sacrificiũ patri cœlesti iterũ atq; iterum ac semper,quousq; ueniat, spiritualiter,& cõmemoratiue offeramus: non ad demerendam eo primum remissionẽ peccatorũ,quasi non sit per Christum semel in cruce oĩbus credentibus plenarie & sufficienter impetrata,uerum in eius suæ redemptionis memoriam, hoc est, ut passionẽ eius & mortem: Deo patri,sanctissimis istis mysteriis,semper mystice & figuraliter repræsentamus & proponamus, agamusque propterea gratias eidem, quod nobis & toto mundo dilectum unicũ filium suũ, & per eum remissionem peccatorum,omniaq; sua dona,ex liberali gratia sua donauit,ut ita nobis istiusmodi spirituali repræsentatione, commemoratione & gratiarum actione, præcipue uero sumptione huius sanctissimi sui sacramenti, impetrata illa diuina dona applicemus, nobisque appropriemus.

Quis usus alterius istius sacrificij in Ecclesia.

Hinc ueteres sancti Patres, de hac re concorditer docuẽrunt, non ita Christum abrogasse ueteris legis sacrificia, ut nihil e regiõe quod in locum eorũ succederet,instituerit;uerũ ita, quod ubi in ueteri testamento fuerunt oblationes, sint etiam in nouo: ubi populus ille Israeliticus sua sacrificia habuit, habeat & nunc Ecclesia suum quoddã sacrificiũ: quæ oĩa eodem respiciant,conditione tantũ & forma mutata. Cum illa seruiliter,hæc a liberis offerantur,ut dicit beatus Irenæus in allegato loco, capite 34. Vbi præterea testatur nos Eucharistiam corporis & sanguinis Christi offerri patri cœlesti creaturã sanctificãti,gratias agentes pro sua donatione.

Vnum sacrificiũ surrogauit Christus in locũ omniũ ueteris testamenti sacrificiorum.

Vide Cyprianum in sermone de cœna dominj.

Sanctus quoq; pater Augustinus libro de spiritu & litera capite 11. oblationem hanc appellat ueriissimum & singulare sacrificium. In Missa Chrysostomi,in oratione Cherubici interpellat Ecclesia Christũ hoc modo: Propter ineffabilem & immensam tuã humanitatem, intrepide & irreuocabilit er factus es homo,& summus Pontifex noster. Sacrificiorum ritus instituisti, ac solennis huius & immaculati Sacrificij celebrationem nobis tradidisti,tanquam dominus omnium.

Theophylactus in 26. cap. Matt. in locum illum,Hic est sanguis meus noui Testamenti,ita habet: Sicut uetus Testamentum immolationẽ habebat & sanguinẽ, ita & nouum testamentum sanguinẽ habet & immolationem. Hoc modo docent & reliqui patres omnes.

DE NOMINE MISSA.

Iam

TAm sacrificiũ illud noui testamenti, quod Ecclesia Catholica semper in usu retinuit & celebrauit, appellarũt Patres fere ab Apostolorũ tempore Hebræo nomine Missam, quod originem suã (uti Hebraice linguę periti testantur) trahit a uoce (Mas) quod significat cõmunem & uoluntariã oblationem, quæ manu offeratur, aut (ut quidã uolunt) a uoce Nasas, quod ualet eleuare. Quanquã præterea uerum sit, Patres nomen Missæ non semper accipere pro Altaris sacrificio, uerũ interdum pro qualibet spirituali oblatione, quę mediante sacerdote, quasi collecta & adunata pro omnibus Deo offertur. Græci appellarunt Synaxim, quod Latini ut plurimũ Collectam reddunt. Ita ut Patribus fuerit propemodũ idem, celebrare uel agere Missam, quod celebrare uel agere Synaxim seu Collectam. Quod præcipue in historia Tripartita est uidere libro primo, cap. 10. 19. 21. libro 3. cap. 11. libro 4. capite 11. libro 5. cap. 2. & 16. libro 6. capite 4. & 29. libro 7. cap. 32. lib. 10. cap. 11. & 23. libro 11. capite 5. Vide Chrysostomũ homilia 17. in 1. ad Corinthios, & Epistolã Epiphanij ad Iohannẽ Episcopũ Hierosolymitanũ, quam uertit Hieronymus, & Iohannem Cassianum libro secundo de institutis Cœnobiorum.

Vnde nomen Missæ deriuetur, & quid proprie significet. Missa præcipue Sacrificiũ altaris significat.

Præcipue tamen altaris oblatio nomine Missæ, seu Synaxis significatur. Cuius datur apud sanctũ Dionysium libro de Ecclesiastica Hierarchia in Parag. de his quæ in Synaxi, &c. parte prima, capite 3. testimoniũ & ratio. Testatur eñ diuinũ hoc mysterium, quã & hostiæ salutaris oblationem appellat, peculiariter uocari communionẽ, siue societatem & Synaxim aut Collectã. Et addit hanc rationẽ, quod collectionem ad unũ illud unicum, sacratius operetur, &cæt. Quapropter non mirũ est nomen Missæ legi apud sanctum Ignatiũ, Epistola decima ad Smyrnenses, qui uocabulũ illud haud dubium ab Hebræis accepit, ad significandum idem illud, quod Dionysius Synaxim appellauit.

MISSA CONSTAT QVATUOR partibus.

POrro pijs omnibus Christianis notissimũ est Ecclesiam Christi, in omnibus fere, quæ ille in cœna sua peregit, caput suum & dominũ quam similime proximecq; imitari. Est autẽ reperiri in cœna illa has præcipuas quatuor partes. Primo, doctrinã. Deinde consecrationẽ cum gratiarum actione factã, super pane & uino, tanquẽ sacrificio domini. Tertio perceptionẽ Sacramenti. Ac quarto demũ orationẽ pro omnibus fidelibus. Quatuor istis partibus, doctrina scilicet,

sacrificio, communione & precibus Missa tota composita est. Quod & beatus Dionysius in loco ante allegato clare testatur. Duæ illæ lecti ones, quas uulgo Epistolam & Euangelium uocant, quæ astantibus & auscultantibus quibuslibet coram recitantur, certisq; temporibus toti populo in prædicatione exponuntur, & quicquid denicq; in Missa eru diendę plebi commodat, uelut doctrina, est pars prior. Tres partes reli quas uidet unusquisq; & cognoscit, qui uel semel cum attentione, aut Missam dixit, aut auscultauit: de quibus nunc latius est nobis dicen dum.

Discrimen inter quatuor istas partes.

Inter quatuor istas Missæ partes hoc discriminis est, quod duæ con ferunt præsentibus præcipue & peculiariter, nempe doctrina & perce ptio Sacramenti. Reliqua uero duo, Sacrificium & Oratio, longius ex tenduntur, & conferunt etiam absentibus.

Doctrina confert tantũ præsentibus & auscultantibus.

De doctrina quidem hoc notum est omnibus, quod solum præsenti bus, auscultantibus, & comprehendentibus conducat. Cũ nemo queat discere pro alio. Similiter quod ad perceptionem Sacramenti attinet, beatus Iohannes Chrysostomus in cap. 15. prioris epistolæ ad Corint. dicit: Quod quemadmodum unus pro alio, præsertim mortuo bapti zari nõ potest, ita etiam nemo pro alio, mortuo prę sertim, sumere pos sit corpus & sanguinem Christi. Quibus enim (ait) dixit Christus: Nisi carnem meam ederitis, nisi sanguinem meum biberitis, nõ habebitis uis tam in uobis: mortuis ne an uiuis? Itẽ, nisi qs ex aqua & spiritu renasca tur, regnum cœlorum uidere non potest, &c. Hoc tantũ dici forte pos set duas illas Missæ partes hactenus contingere, etiam absentes uiuos & mortuos, quod inter omnia Christi, ut diximus, membra (hoc est, in ter sanctos omnes & credentes, qui ab initio mundi fuerũt, quique sunt modo, aut uenturi sunt usq; ad finem mundi) sit talis quædam commu nicatio, qualis est inter unius corporis membra, quorum hoc bonæ ua letudini illius congaudet, & quicquid boni uni alicui membro accidit, fit toti corpori reliquo commune. Ad quem modum etiam Sacramen ti istius participatio, communionem quandam, ut Augustinus ait, toti us corporis peculiariter & præcipue efficit.

Sumptio sacramentalis sumenti tantũ confert.

Quatenus doctrina & sumptio contingere possint absentes.

De reliquis duabus partibus, sacrificio, inquam) confessionis lau dis, & gratiarum actionis erga Deum, & oratione, quæ duo in Missa inuicem miscentur, docuit Ecclesia Christiana hoc modo: Initio quod Sacrificium istud per Sacerdotem, uelut designatum & publicũ Eccle siæ mi

Sacrificiũ & Orationes in Missa communicantur, & conferunt etiam absentibus.

siæ ministerium præcipue, ac nihilominus etiam per Christianam plebem, in omnia quæ agit Sacerdos, intentionem suam dirigentem, corde & ore consentientem, & gratias ac uota Deo offerentem, una cum sacerdote offeratur communiter, non solum pro præsentibus, uerumetiam pro absentibus, imo pro toto mundo. Atque ita Missam non esse priuati Sacerdotis priuatum sacrificium, sed esse sacrificium commune Sacerdotis & plebis Christianæ, quod ipse etiam Missæ Canon passim indicat.

Canon ipse indicat Missam non esse priuatũ officiũ sacerdotis, sed totius Ecclesiæ.

Sacerdos quando sanctificationem propositorum munerum parat aggredi, conuertit se ad populum dicens:

Orate pro me peccatore fratres & sorores, ut meum pariter & uestrum sacrificium acceptum fiat omnipotenti Deo.

Deinde orat in Canone:

Memento domine omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio, qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, &cæt.

Et statim sequitur:

Qui tibi reddunt uota sua æterno Deo uiuo & uero, communicantes, &cæt.

Et iterum post aliquanta:

Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ quæsumus domine, ut placatus accipias.

Sic post consecrationem:

Vnde & memores nos serui tui, sed & plebs tua sancta, eiusdẽ Christi filij tui domini Dei nostri, tam beatæ passionis, nec nõ ab inferis resurrectionis, sed & in cœlos glorioſæ ascensionis, offerimus præclaræ maiestati tuæ, &c.

Sanctus quoque Chrysostomus dicit, populum, quando ad salutationem Sacerdotis, Dominus uobiscum, respondet: Et cum spiritu tuo, testari communem esse gratiarum actionem.

IN MISSA QVATVOR sacrificia offerri.

DE sacrificij istius ratiõe hucusq; docuit Ecclesia Catholica, q; in omni Missa offerantur Deo spiritualiter, quatuor quædã sacrificia. Primum ex mandato & institutione filij sui domini nostri Iesu Christi, opere quidam æterno, sed significatione mystica offeruntur panis & uinum aqua mixtum. Deinde offertur commune laudis & gratiarum actionis sacrificium, pro tota Ecclesia Catholica, imo

Quatuor Missæ sacrificia.

I. Mystica panis & uini oblatio.

II. Oblatio laudis & gratiarũ actionis.

pro toto mundo, propter uniuersa Dei beneficia, siue nota, siue incognita nobis, quæ uniuerso mundo a principio usq; nunc, indesinenter exhibuit & quotidie exhibet. Tertio, facta consecratione Christus ipse offertur, corpus eius & sanguis eius, & sacratissima ipsius passio, per commemorationem & repræsentationem eius. Ac quarto demum offertur Ecclesia ipsa & tota Christi communitas, quæ se Deo patri in hac sacratissima actione totam dedicat & sacrificat, per Christū dominum nostrum, cuius ipsa corpus est. Atque insuper docuerunt sancti Patres, præter quatuor ista sacrificia præcipua offerri alia plurima. Confessionem uidelicet doctrinæ, multiplices orationes, imploratione & intercessionem pro omnibus hominibus, aliaque præclara multa & pia desideria ac uota. Quæ certe omnia uera quædam & spiritualia sacrificia sunt, & in Missa exhibentur.

III. Oblatio corporis & sanguinis Christi.

IIII. Totius Ecclesiæ oblatio.

De cons. distinct. 2. can. Vtrum.

DE PRIORI OBLATIONE Missæ, quæ est panis & uini.

DE oblatione panis & uini, ita docetur in Ecclesia: Dona ista terrena offerri Deo, non consideratione naturæ, seu substantiæ panis & uini: Cum Deus neque pane, neque uino, neque alia quacunque, quamlibet præciosa, irrationabili creatura delectetur. sed quemadmodum docent sanctus Martyr Irenæus, & Patres in mysterio ad significationem ineffabilium beneficiorum Dei, sic uidelicet, ut rerum istarum oblatione significemus, ac opere & signis confiteamur dominum Deum (qui omnia creauit, & incessanter operatur omnia, qui dat escam omni carni, dat panem ad confortandum cor hominis, & uinum ut cor hominis lætificet) ita mundum dilexisse, ut unigenitum filium suum (in quo omnia creauit, in quo omnia quoque quæ extant, siue in cœlis, siue in terris reparauit, qui est panis cœlestis, panis angelorum, & uerus uitæ panis) propter nos miserit de cœlis in terras. Ipsumque filium incarnatum pro nobis sese ipsum sacrificasse, eque latere suo sanguinem & aquam in ablutionem peccatorum nostrorum effudisse. Ad hæc istud suum corpus & prætiosum sanguinem nobis in Sacramento in cibum spiritualem ineffabili sua misericordia & bonitate instituisse & dedisse, ut cibo illo ei incorporati spiritualiterque nutriti & conseruati in æternum uiuamus. Quemadmodum Ecclesia in Oratione quæ dicitur, in mixtione uini cum aqua indicat.

Quo sensu, & quare panis & uinum offerantur Deo.

Deus

Deus qui humanæ ſubſtãtiæ dignitatem mirabiliter creaſti, mirabilius reparaſti: Da nobis quæſumus per hæc uini & aquæ myſteria, diuinitatis eius participes fieri, cui miſericorditer placuit humilitatis noſtræ fieri conſortem, Ieſu Chriſti filij tui, qui tecum &c.

Plane uerum eſt, fuiſſe quondam in Eccleſia conſuetudinem, ut munera illa panis & uini a mulieribus æque ac uiris offerrerẽtur ad altare. Quod ex Canonibus apoſtolorũ & Decretis Fabiani liquet. Quo etiam orationes quas Secretas appellamus ſpectant plerunq; In quibus orat ſacerdos, ut Deus uelit munera populi ſui accepta habere, ſanctificare & benedicere &c.

Dominica ſeptima quæ Pentecoſten ſequitur, ita orat Eccleſia: Deus qui legalium differentiam hoſtiarum unius ſacrificij perfectione ſanxiſti, accipe ſacrificium a deuotis tibi famulis, & pari benedictione ſicut munera Abel ſanctifica, ut quod ſinguli obtulerunt, ad maieſtatis tuæ honorem, cunctis proficiat ad ſalutem. Per Chriſtum &c. Vnde coniectare licet, quondam ſingulos oblationem ſuam, ut conſecraretur, ad altare obtuliſſe, & peracta conſecratione ſumpſiſſe. Quod & in uetuſtiſſimo quodam Romanæ Eccleſiæ Ordinario, ubi de conſecrandis ſacerdotibus agitur, eſt uidere. Quinetiam hodierno quoq; tempore decentiſſime fieret, ſi populus fidelis, non modo corde & ore, uerumetiam ſignis externorum munerum, fidẽ & deuotionem ſuam erga Deum in Miſſa teſtaretur, donaq; huiuſcemodi (præter panem & uinum oblata, atq; in corpus & ſanguinẽ Domini conſecrata) diſtribuerentur in eleemoſynam pauperum, quemadmodum exigunt ueteres Canones.

Licet autem conſuetudo illa fere interciderit, nihilominus tamẽ oſferunt etiam noſtra ætate Diaconi, tanq̃ totius communitatis miniſtri, dona illa panis & uini, quando ea in altari præparant: aut illis absentibus ſacerdos ipſe, non pro ſe tantum, ſed tanq̃ dona & oblationes totius populi Dei. Id quod etiam præſentes merito deuota meditatione, cum excitatione fidei ſuæ animaduertere deberent.

His quæ dicta ſunt probe intellectis, nemo mirabitur, nonnunquã oratione quæ ſup oblata dicit, Secreta uidelicet, ſupplicari ut ſancta illa myſteria nos prẽparent, auxilienẽ nobis, aut ſalutẽ operenẽ, uel ſimile aliquid: ita tñ ut ſemp per Chriſtũ. In talibus em̃ uerbis nõ uult intellectũ eccleſia, ut nuduspanis aut uinũ nudũ auxilieẽ nobis, uel ſalutẽ noſtrã opetur. Verũ hoc, ut myſteria prædicta, quę rebus iſtiuſmodi ſignificamus, & in memoriã reducimus, fideq; nobis applicamus, idipſum q̃d petimus uirtute diuina operenẽ. p Chr̃m dn̄m nr̃m.

Sacerdos in oratione Secreta respicit in totam Missæ actionem.

Nec spectat Ecclesia uerbis istis in solum panem aut uinum solum, neq; item in sola signa, sed in totam respicit actionem. Hoc est, Non in munere panis & uini, quomodo ea siue per naturam, siue significationis gratia habent: sed ita potius quem paulo post per consecrationem habebunt, ubi transmutata fuerint in corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi.

Quod Lutherus pro more suo pessimo Ecclesiã nequiter & perfide traducit, ac si constitueremus salutem nostram in pane & uino, & per insensibilium rerum sacrificia, uellemus salutem propriã operari: impostura & mera sophisticatio est. Istud enim quis cogitauit unquam? Quin & opus ipsum non patitur Falsarij istius sensum, eique plane compugnat. Offerimus enim signis istis uisibilibus panis & uini, Deo patri, cum gratiarum actione inuisibilia illa passionis Christi mysteria, oramusq; tali cæremonia auxilium a Christo. Qua in re operum nostrorum merita propria plane excludimus, fidimus que soli misericordię Dei patris, quam filius Dei, uerus ille panis de cœlo descendens, sancta sua passione sanguinisq; pretiosi effusione nobis comparauit. Atq; hoc uerum esse testantur omnes fere orationes Secretæ. In ea quæ legitur dominica Aduentus Domini ita oratur: Placare quæsumus Domine humilitatis nostræ precibus & hostijs: & ubi nulla suppetunt suffragia meritorum, tuis nobis succurre præsidijs, Per Christum dominum nostrum.

Item dominica nona a Pentecoste ita oratur in Secreta: Concede nobis Domine quæsumus hæc digne frequẽtare mysteria: quia quoties huius hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur. Per Christum &c.

Quod indubitatum est profecto: Siquidem oportet ut opus redẽptionis nostræ per Christum in cruce impletæ, per fidem & commemorationem ipsius nobis applicemus. Alioqui Christianis nobis tam nihil prodesset q̃ minimum, sicuti nec Turcis succurrit nec Iudæis.

DE OBLATIONE ALIA, QVÆ est gratiarum actionis.

Sacrificium laudis & gratiarum actionis quomodo offeratur in Missa.

SEcundo, post externum illud & significatiuum panis & uini sacrificium, quo significamus (uti dictum est) & confitemur, nos omnia quæ habemus bona corporalia & spiritualia a Deo per Christum accepisse.

Sequi-

Sequitur in Missa commune illud laudis & gratiarum actionis sacrificium, quod pro omnibus Dei donis, corde & ore, feruentiq; deuotione offerri debet. Quod quidem laudis & gratiarum actionis sacrificium sacerdos aggreditur, quando inchoat ad plebẽ: GRATIAS agamus Domino Deo nostro &c. Item, SVRSVM corda &c.

Est autem sacrificium istud (ut iam diximus) commune sacrificiũ: Offertur enim non modo pro præsentibus, uerum etiam pro absentibus, uti Chrysostomus ait homilia 26 in Matthæum: quemadmodum & supra commemorauimus: Altari sacerdos assistens, sacrificio illo proposito, iubet nos Deo offerre gratias, pro uniuerso terrarum orbe, pro absentibus atq; præsentibus, pro ijs qui ante nos fuerunt, pro eis qui postea futuri sunt. &c. Idem testatur in cap. 2. 1. epistolæ ad Timotheum, ubi Apostoli dictum explicans, dicit: In obsequio quotidiano oblationis sacramentorũ perpetuoq; diuinæ Religionis ritu obsecrationes & gratiarum actiones fieri ab Ecclesia: nõ pro fidelibus solum, sed etiam infidelibus: pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt positi. Quippe quod oporteat referre Deo gratias pro felicibus omnium successibus, quod scilicet solem suum oriri faciat super bonos & malos, pluat super iustos & iniustos. Atque hoc Deum a nobis exigere propterea, ut hoc pacto incitemur ad dilectionem sanctam & Christianam omnium hominum: Nemo enĩ (inquit) aduersus eum inimico esse potest animo pro quo obsecrationes facit. Et hæc omnia Latina Ecclesia in singulis Missis agit in communi quotidie: In die uero Parasceues discrete & peculiariter pro singulis omnium hominum cuiuscunq; conditionis gradibus & statu. Dicit præterea Chrysostomus nos uel ob id præcipue agere Deo gratias pro Regibus & principibus, quod huiusmodi principatum pro utilitate communi instituit: & preces quoq; fundere, ut illorum præsidio defensi, in tranquillitate atq; ocio simus, ut tranquillã & quietam uitam degamus in omni pietate & castitate, ipsosq; faciat ad agnitionem ueritatis uenire. Quod & Tertullianus in Apologetico suo testatur.

Cum debeant autem gratiarum actiones fieri etiam pro infidelibus, & in illis præcipue locis ubi Christiani sub eorum degunt potestate: quanto æquius, quantoq; magis offerantur pro uniuersa sancta Catholica Ecclesia: pro principatu utriusq; status, spiritualis & secularis: pro Papa, Episcopis, Imperatore, & omnibus orthodoxis, & quorum est Catholicam & Apostolicam fidem, bonorum agricolarum more colere?

Hęc

Hęc gratiarum actio breuiter & pulchre in Canone noſtro cum annexa ſupplicatione compræhenſa eſt. In quo ſupplicatur patri clemẽtiſſimo per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, ut munera propoſita, & ſancta ſacrificia, uelit accepta habere & benedicere. Quæ uerba iſtud tantũ hoc loco ſignificant, ut ea dona, quæ nos ipſo mandante (ad declarandam & conteſtandam gratiarum noſtram actionem, pro omnibus bonis & beneficijs eius, nobis & toto mundo exhibitis) offerimus, uelit accepta habere. (Quod enim acceptum eſt illi, hoc ſimul benedicit, aut certe iam benedictum eſt.) Atque illud ipſum præcipue pro Catholica ſua Eccleſia: pro qua conſequenter oramus, ut eam pacificare, cuſtodire, adu uare & regere dignetur. Cum Papa, Imperatore, Poteſtatibus, &c.

Cum uelit autem Paulus, ut ante omnia oretur, pro oẽibus ſanctis, præcipue tamen quibus uerbum, & Eccleſiarum regimen commiſſum eſt. Non ſine cauſa definiuit Pelagius Pontifex, eos a totius mundi communione abſciſos eſſe, qui in ſacris myſterijs Apoſtolici pontificis, memoriam non haberent.

Ephe. 6. 2. Theſſ. 3.

Porro ſupplicatur in Canone, ut Deus reminiſcatur eorũ, quorum priuatam habemus memoriam.

Et omnium circunſtantiũ, quorum fides ipſi cognita eſt & nota deuotio. Pro quibus Sacerdos & circunſtantes ei offerunt hoc ſacrificum laudis, pro ſe, ſuiſq; omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ (intellige in corpore & anima) reddunt q; uota ſua æterno Deo & uiuo, &c.

Quod certe æquiſſime fit. Vnde Chryſoſtomus in loco prædicto dicit, in ſacratiſſimo hoc myſterio nos agere gratias, pro his præcipue, qui nobis familiaritate iunguntur & beneficijs Dei, quę nobis & illis contigerunt, & quotidie contingunt, ſiue clam, ſiue manifeſte proueniant, ſiue læta ſint, ſiue triſtia. Cum credẽdum nobis ſit Deum hæc omnia pro utilitate & ſalute noſtra diſpenſare.

Cum primis autem debet iſta gratiarum actio fieri & offerri, pro eximijs beneficijs nobis impetratis & impartitis, per ſacrificiũ Chriſti ſemel in cruce oblatum. Quemadmodum fit in Canone noſtro, ubi Deo aguntur gratiæ pro redemptione animarum noſtrarũ, pro ſpe ſalutis, & incolumitatis noſtræ, hoc eſt, pro donatione uitę æternæ. Quæ dona nobis per Chriſtũ, uti diximus ſunt impetrata. Qua de cauſa

de cauſa ſanctiſſimum iſtud & digniſſimum myſterium, Euchariſtia, id eſt, grãtiarum actio, ut Chryſoſtomus ait, appellatur, quod in hoc opere & myſterio feruenti attentiõe, memoriam habeamus omnium, cum primis autem præſtantiſſimorum illorum Dei beneficiorum in Chriſto, quodque hic ſimul admirandum illud diuinæ charitatis opus, quo proprium filium ſuum omniaq; cum ipſo nobis donauit, tam glorioſe demonſtratur. Quã ob rem etiã incitamur & accendimur, ut Deo ſemper enixiſſime gratias agentes, nos totos ipſi dedamus, id quod uerba illa Canonis exprimunt: Tibique reddunt uota ſua æterno Deo uiuo & uero.

Quũ Eccleſia porrigat & extentat ramos ſuos in præteritos, præſentes & futuros, nec tantum numeret in membris eos, qui modo uitam per fidem habent, uerũ illis etiam, qui cum ſigno fidei præceſſerunt. Idcirco cũ ſacratiſſimum iſtud & glorioſiſſimum ſacrificium, communi cultu, fideq; concordi celebrat, ibiq; reminiſcit & animaduertit Chriſtum dominũ noſtrum mortuum ſemel, quo uiuorum dominaretur & mortuorum, nequaquam diuidit ſeipſam. Verum oĩa membra ſua in ſeſe colligens eorum memoriã habet, agitq; gratias, nõ ſolum pro præſentibus, qui adhuc in uita iſta mortali agunt, ſed & pro his, q̃ hinc tranſierũt. Et in primis pro Deo dilectis ſanctis illis, qui certiſſime apud dominum uiuunt.

Gratiarũ actio oſfertur propræſentibus & abſentibus, tam uiuis q̃ defunctis,

De qua gratiarum actione, nimirum pro Sanctis, beatus Martyr Cyprianus Epiſt. 6. lib. 3. loquit̃, Et indicat eã in tota Eccleſia pro conſuetudine uſitatam, ut celebrentur oblationes & ſacrificia ob cõmemorationes Martyrum, qui ad immortalitatẽ glorioſæ mortis exitu tranſierunt. Similis eſt ſententia quam habet libro 4. epiſt. 5. Sacrificia (inquit) pro ijs ſemper, ut meminiſtis offerimus, quoties Martyrum paſſiones & dies anniuerſaria commemoratione celebramus, &c.

Hinc & Græcorũ Canon expreſſis uerbis dicit: Offerimus tibi pro Patriarchis, Prophetis & Apoſtolis. Quod tantũ ualet: Gratias tibi referimus domine, quod ſanctos tuos ab initio mundi elegiſti, ſanctificaſti, confirmaſti, & tandem glorioſe coronaſti.

Noſter uero Canon ita habet:

Communicamus & memoriã ueneramur, in primis glorioſæ ſemperq; uirginis Mariæ genitricis filij tui domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed & beatorum Apoſtolorum tuorum, &c.

Quod eſt, memoriam ueneramur, o domine beatiſſimę & immaculatæ matris filij tui Dei noſtri, quæ abſq; omni contaminatione Deũ

peperit uēra Dei genitrix, honoratior Cherubim, incomparabiliter glorioſior Seraphim (quod Canon Chryſoſtomi proſequitur) & aliorum ſanctorum tuorum, &cæt. Facimus autem idipſum conſideratione, quod hi tanquam nobiliſſima Eccleſiæ tuæ membra, morte temporali nec ſuppreſſi ſunt, nec perierunt, ſed in uitam æternam ſunt præmiſſi. Quapropter quas poſſumus tibi gratias habemus, quod illis, qui nobis aliquando in omnibus quæ natura habet, ſimiles fuerunt, tam admirabilem gratiam dediſti, ut peccatum, mundum & mortem, & uiriliter uincerent, & uitam conſequerentur æternam. Denique pro donis, quæ eis exhibuiſti, & Eccleſiæ tuæ per ipſos communicaſti.

Commemoratio ſanctorū in Miſſa, fiebat etiam primitiuæ Eccleſiæ tempore.

Antiquiſſimus Patrum Dionyſius prodit clarē iam ſua ætate in Synaxi uenerabilibus ſignis, per quæ Chriſtus ſignatur ac ſumitur ſancto altari impoſitis, protinus atque incunctanter ſanctorū inchoari memoriam, quæ coniunctionem eorum indiuiduam unionemque cum illo altiſſimam & ſacratiſſimam indicet. Ad hæc quod ſacerdos eos præconio extollat in altari, qui pie ſancteque uixerunt, & ad finem uſque uirtutis uiam conſtanter, nuſquā ab eo deflectendo tenuerunt, nos quidem ad imitandum beatiſſimum illorum habitum, atque ad diuina petenda præmia prouocans. Illos autē ueluti uiuentes prædicans, qui non mortificati, ſed in diuinam penitus uitam ex morte translati ſunt, &c.

Eccleſia martyribus non ſacrificat, ſed ſoli Deo, tantum memoriam habet eorū, & petit ut pro nobis intercedant.

Pulchre de hoc ſcribit Aúguſtinus libro 22. de ciuitate Dei, cap. decimo. Quod licet non fabricemus Martyribus noſtris tēpla ſicut Dijs, ſed memorias ſicut hominibus, quorum apud Deum ſpiritus uiuant: non etiam ibi erigamus altaria, in quibus ſacrificemus ipſis Martyribus, ſed uni Deo, & Martyrum & noſtro ſacrificium immolemus: nihilominus tamen eos ad ſacrificiū illud ſicut homines Dei, qui mundū in eius confeſſione uicerunt, ſuo loco & ordine nominari. Nec ideo tamen a ſacerdote qui ſacrificat inuocari, quippe quod non ipſis ſacrificet, quāuis in memoria ſacrificat eorū: quia Dei ſacerdos eſt, non illorū. Ipſum uero ſacrificiū corpus eſt Chriſti, quod non offertur ipſis, quia hoc ſunt & ipſi, &cęt. Quod autē dicit a ſacerdote qui ſacrificat non inuocari Martyres, hunc habet ſenſum: Sacerdotē uerba ſacrificij nō debere ad ſanctos dirigere, quaſi illis tanquā Dijs hic aliquid offeratur. Interim tamen non uult hoc loco negare, quin poſſint ad intercedendū pro nobis, tanquā homines ſancti inuocari: quod enim illud pie fiat iam ante per eum ipſum cōmonſtratū eſt. Sic cū dicit, Non fabricamus illis tēpla, uult dicere, tanquā Dijs. Cæterū, Eccleſias eorū nominibus appellatas, erigimus in ipſorum memoriam, Deo autem in eis ſacrificamus.

Et hanc

Et hanc esse mentem Augustini, apparet ex ipsius uerbis, libro 8. de ciuitate Dei, capite 27. ubi & rationes assignat, quare in Missa Martyrū faciamus memoriam: Nos (inquit) Martyribus templa, sacerdotia, sacra & sacrificia non construimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum, tanquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem suorum corporum pro ueritate certarunt. Sequitur: Quis autem audiuit, aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare, etiam super sanctum corpus Martyris, ad Dei honorem, cultumq; constructum, dicere in precibus: offero tibi sacrificium Petre, uel Paule, uel Cypriane? cum apud eorū memorias offeratur Deo, qui eos & homines & Martyres fecit, & sanctis suis angelis cœlesti honore sociauit, ut ea celebritate & Deo uero de illorū uictoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarū eodem inuocato ia auxilium ex eorū memoriæ renouatione adhortemur.

Item, contra Faustum Manichæum libro 20. capite 21. eisdem fere uerbis, eandem mentem suā exponit: Populus (inquit) Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atq; orationibus adiuuetur. Ita tamen ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamuis in memorias Martyrum cōstituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronauit, apud memorias eorū quos coronauit, ut ex ipsorum locorum admonitione maior affectus exurgat ad acuendam charitatem.

Ita prorsus, quemadmodū uir ille sanctus dicit, Ecclesiam memoriam facere in sacrificio Missæ, ut meritis eorum consocietur, & orationibus eorū adiuuetur, Sic fit in Canone Ecclesiæ Catholicæ. Ante consecrationem em̄ orat Ecclesia, ut meritis, precibusque sanctorum Dei, in omnibus protectionis eius muniatur auxilio, Per Christum dominū nostrū. Quod nihil aliud est dicere, quā ut orationibus eorū adiuuetur.

Post consecrationem autē, quando hostia consecrata, non tantum est uerum corpus & uerus sanguis capitis nostri Christi substantialiter, uerumetiam corpus Christi mysticū, hoc est Ecclesiam, sicut ex capite & mēbris simul connexa est, significat & repræsentat: Cuius corporis partes quædam sunt sancti Dei. Sicut Augustinus eodem in loco dicit. Idcirco post consecrationem orat Ecclesia, ut Deus nos in consortium

ſuorum, non ut æſtimator meriti, ſed ueniæ largitor admittat, ut meritis eorum aſſocietur, Per Chriſtum dominū noſtrum. Hoc eſt, ut eſſe poſſimus corpus unum in Chriſto cum ſanctis, quod ipſum ſacramento illo præcipue ſignificatur. ſicut beatus Auguſtinus tradat de Sacramentis: Myſterium (inquit) ueſtrū iacet in altari, myſterium ueſtrū ſumitis, ad quod ipſi eſtis, Amen reſpondetis. Eſto membrum corporis Chriſti, ut Amen tuum ſit uerum.

Quod quidam ſine ratione calumniantur in Canone noſtro, Ethnicam ſanctorū inuocationem committi, Per ipſum etiam Canonē impudentiſſimuū eſſe mendacium, manifeſte conuincitur, qui ad ſolū patrem per Ieſum Chriſtum dirigitur: Te igitur clementiſſime pater, per Ieſum Chriſtum dominū noſtrum ſupplices rogamus & petimus, &c. Quo etiam tenore ad finem uſque procedit, omniaque uota & preces, quæ diriguntur ad patrem, concluduntur per dominum noſtrū Ieſum Chriſtum. Quod omnibus Canonem legentibus ſolo aſpectu fit manifeſtum. Iſta dixiſſe ſufficiat de ſecundo illo altaris, ſiue Miſſæ ſacrificio uniuerſali, laudis ſcilicet & gratiarū actionis, quod ante conſecrationem deuoto gratoq; animo, & corde & oris confeſſione debet offerri.

Et ſequitur in Canone ſacrificij iſtius talis peroratio: Vt Deus igitur (id eſt, propter cauſas dictas, quæ unigeniti filij ſui promiſſioni & mandato innitūtur) Hanc oblationē ſeruitutis eorum, ſed & cunctæ familiæ ſuæ placatus accipiat, dieſque noſtros in ſua, non mundi huius pace diſponat, atque ab æterna nos damnatione eripi, & in electorū ſuorum iubeat grege numerari, Per Chriſtum dominum noſtrum.

Quæ eſt anacephaleoſis orationis noſtræ apud ſacrificium iſtud laudis. Tria em̄ quæ hic petuntur, ſunt præcipua illa dona, quæ nobis Deus pater per filium ſuum donauit. Primum enim dedit nobis, ut pacē cum ipſo in terris habeamus, quæ ab ijs, quibus donatur, terrorem & anxietatē cordis oēm ptinus aufert, & gaudiū parit, quod nemo queat auferre. De quo Chriſtus ait Iohannis decimoquarto: Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis: non quomodo mundus dat, ego do uobis. Non turbetur cor ueſtrum neque formidet, &cæt. & Iohannis decimoſexto: Hæc loquutus ſum uobis, ut in me pacem habeatis, in mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego uici mundum. Atque hæc eſt pax illa, quam Apoſtolus paſſim nobis comprecatur. De hac Romanorū decimoquarto ait: Regnū Dei non eſt eſca & potus, ſed iuſtitia

& pax

& pax,& gaudium in Spiritu ſancto. Et ad Philippẽſ. 4. Pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum,cuſtodiat corda ueſtra & intelligentias ueſtras in Chriſto Ieſu.

De reliquis duobus quæ ſimul petuntur, ut uidelicet ab æterna damnatione liberemur,& electorum gregi annumeremur,idem ille Apoſtolus ad Colloſſenſes 1. ait: Qui dignos nos fecit in partẽ ſortis ſanctorum in lumine,qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum,& tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ,in quo habemus redemptionem & remiſſionem peccatorum per ſanguinem eius. Et Actu. 26. Chriſtus dominus ad Paulum ait: Mitto te nunc in Gentes aperire oculos eorum, ut conuertantur a tenebris ad lucem, & de poteſtate Sathanæ ad Deum,ut accipiant remiſſionem peccatorum,& ſortem inter ſanctos,per fidem,quæ eſt in me.

DE CONSECRATIONE EVCHARISTIÆ & tertio Miſſæ ſacrificio.

COmpleto ſacrificio laudis quod pro ſtatu totius mundi offertur,ſequitur ſtatim præcipuum Miſſæ caput,quod eſt cõſecratio diuiniſſimi ſacramenti. Quem Canonis ordinẽ etiã beatus Ambroſius tradit libro de ſacramentis,& habetur in c. panis eſt. de conſecratione,diſtinctione ſecunda. In hac conſecratione ſacerdos Eccleſiæ nomine per inuocationem Dei,quæ eius promiſſione,& mandato filij ſui,tota innititur, ſuppliciter orat, ut Deus propoſitam illam panis & uini mixti oblationem,quæ iam in ſignum totalis noſtræ deditionis & gratiarum actionis oblata eſt, conſequenter in omnibus Benedictam, Aſſcriptam, Ratam, Gratam, Acceptabilemq; facere dignetur, ut nobis corpus & ſanguis fiat domini noſtri Ieſu Chriſti. Ac mox pronunciat ſacerdos Euangeliſtarum uerba: QVI PRIDIE quam pateretur &c. Quibus ſtatim diuina Chriſti uerba ſubiungit, quorum uirtute digniſſimum & ſacratiſſimum illud corporis & ſanguinis Chriſti ſacramentum conſecratur & efficitur: HOC EST CORPVS MEVM. una cum aliis diuinis uerbis,quæ ſuper calicem proferuntur. Quomodo uero Latina Eccleſia a tempore apoſtolorũ uſa ſit hoc omniũ præcipuo & ſummo cõſecrationis opere,clariſſimis ſanctorũ patrũ teſtimonijs, (quæ paulo infra ſubijcientur) faciemus notiſſimũ. Hic nobis ſatis erit Chriſtianum & catholicum lectorem, quod ad formã conſecrationis attinet mittere ad S. Ambroſiũ. lib. 4. de ſacram. cap. 5. ubi eandem a principio ad finẽ & ad uerbũ fere recitat. & ad S. pr̃em Aug.

Verba Ambroſ. Per omnia quæ in ſuperioribus a ſacerdote dicuntur,laus Deo refertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus,pro cæteris. Vbi autem ſacrificiũ conficitur, iam non ſuis ſermonibus ſacerdos, ſed utitur ſermone Chriſti.

Hic aſſumit ſacerdos perſonam Chriſti,& conſecrat uerbis eius.

de conse. dist. 2. can. uerum sub figura.

Qui uerba illa inuocationis Christiane & recte declarat: Sacerdos (inquit) Deum inuocat (intellige in canone) ut oblationem propositā in omnibus facere dignetur benedictam, per quam benedicamur: assriptam, per quam omnes in cœlo assribamur: ratam, per quam in uisceribus Christi esse censeamur: rationabilem, per quam a bestiali sensu exuamur: acceptabilem, ut qui nobis ipsis displicemus, per hāc acceptabiles eius unico filio simus. Quæ omnia tum demum nobis contingunt, quando oblatio altaris conuertitur nobis in corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi. Id quod oratiunculæ istius conclusione proditur, qua uerba præcedentia clare & pulchre explicantur. Quemadmodū Cameracen. Episcopus Odo, in Missę Canonem scribit: Posuerat (inquit) in omnibus benedictam, assriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem. Sed hæc omnia clausa erant, minus intelligebantur, minus patebant: aperuit ostium, patefecit totum, scilicet, ut nobis fiat corpus & sanguis Christi: hic totum completur, hic totum perficitur, &c.

Christi corpus & sanguis quō offerātur in Missa.

Consecratione facta, e uestigio in Missa (quæ omnium sanctarū cæremoniarū sacratissima actio est) Christus dominus (qui seipsum aliquando in corpore suo mortali Deo patri cœlesti cruentum sacrificium pro peccatis mundi obtulit) denuo totius Ecclesiæ nomine, modo incruento, spirituali repræsentatione, & commemoratione sacratissimæ suæ passionis offertur. Quod ipsum fit, quando Ecclesia Christum & eius uerum corpus uerumq; sanguinem, Deo patri cum gratiarum actione, & oratione attenta, pro suis & totius mundi peccatis proponit seu repræsentat. Quanq; enim sacrificium illud in ea forma qua in cruce offerebatur semel tantum oblatum sit, & semel tantum sanguis effusus, ut ita repeti iterumq; offerri non possit, nihilominus tamen consistit & manet tale sacrificium coram Deo perpetuo in sua uirtute & efficacia acceptum, ita ut sacrificium illud semel in cruce oblatum, non minus hodierno die in conspectu patris sit efficax ac uigens, q; eo die quo de saucio latere sanguis exiuit & aqua. Sicut beatus Cyprianus in sermone de Baptismo, & manifest. Trinitat. testatur. Quapropter cum uulnerati corporis nostri plagæ pretio redemptionis semper opus habeant, Ecclesia proponit Deo Patri pretium illud, in uera fide & deuotione iterum (sed figuratiue & spiritualiter) ad consequendam remissionem peccatorum. Nō quod huic operi suo (quo uidelicet cōmemorat & repręsentat sacrificiū illud) meritum assribat remissionis peccatorū, ut quā solus Christus cruenta sua oblatione in cruce nobis promeruit. Verē tali suo cōmoratiuo & mystico fidei sacrificio, in quo repręsentat Ecclesia, & sistit in cōspectū Pris uerē corpus & sanguinē eius unigeniti, applicat sibi & accōmodat ma-

Christi passio, quæ in hoc sacrificio sistitur ante patrem, nihil de sua efficatia amisit, & est hodie tam recens ac uigēs q; olim.

magnum & inæstimabile illud donatiuum remissionis peccatorum quod Christus impetrauit: Cum accipiat remissionem peccatorum per nomen eius, qui credit in eum, Actuum 10.

Secundum quam sententiam sancti Patres corpus & sanguinem Domini in altari presentia, nunc satisfactionem peccatorum nostrorum & totius mundi appellant, nunc redemptionis nostræ prætiū. Quomodo de sacrificio isto Eucharistico corporis & sanguinis Domini Irenæus loquatur, iam supra relatum est. Chrysostomus homilia de Eucharistia in Encenijs, expressa & libera uoce: Mensa (ait) domini mysterijs instructa est, & agnus Dei pro te immolatur. Cui simile est quod in epistolam ad Hebræos scribit, homilia 17. nos eandem offerre hostiam, quæ semel in sancta sanctorum oblata est, & unam esse oblationem nostrā cum illa, cuius exemplar est, & non multas. Idipsum (inquit) semper offerimus, nec nunc quidē alium agnū, craſtino alium, sed semper eundem ipsum: Alioquin quoniā in multis locis offertur, multi sunt Christi, sed unus ubiq; est Christus, & hic plenus existens, & illic plenus, unum corpus. Sicut enim qui ubique offertur, unum corpus est, & non multa corpora, ita etiam & unum sacrificium. Pontifex autem noster Christus, ille est qui hostiā mundantem nos obtulit, ipsam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem consumi non potest. Atq; ita consonat sancto martyri Cypriano.

Veteres patres appellant sacrificium altaris satisfactionem, redemptionem & precium.

Quibus & beatus pater Augustinus libro quarto de Trinitate subscribens: Et quid (inquit) tam grate offerri & suscipi posset, q̄ caro sacrificij nostri, corpus effectum sacerdotis nostri. Et in Psalm. 55. Semel pro nobis Christus oblatus est: si credimus autem & commemoramus quia uenit ad nos, quotidie offeratur pro nobis, ac si renouet nos quotidie, qui nos prima gratia sua renouauit.

Eadem hostia est in altari quæ pependit in cruce.

Ad hęc Cyprianus in sermone de cœna Domini, dicit, Corpus & sanguinem Christi simul & medicamentum & holocaustum esse, ad sanandas infirmitates, & iniquitates purgandas: Perpes (inquit) est hoc sacrificium & semper permanens holocaustum, nulla panē hunc populi multitudo consumit &c. Et epistola 3. libri secundi ad Cecilium ait: Passio est Domini sacrificium quod offerimus.

Nec istud mirum uideri debet, Cum ad hoc donauerit nobis Deus filium suum dominū nostrum Iesum Christum, ut qui nostris uiribus & potentiæ non confidimus, confitemurq; peccata nostra, eū, qui est dominus & redemptor noster, Patri tanquam unicum sacrificium pro peccatis nostris satisfaciens, proponamus.

Pater dedit nobis filium, ut esset propiciatio nostra apud patrem.

Ipse

Ipſe eſt enim quem propoſuit Deus propiciatorem per fidem in ſanguine ipſius.&c.Roman.3. Sicut & nobis natus eſt:ut qui in ipſum credimus non pereamus,ſed pacem habeamus cum Deo,& uiuamus,reconciliati patri per ſanguinem Chriſti. Quemadmodum beatus Bernhardus in Cantica, ſermone ſecundo ait: Cum defecerit uirtus mea,non cõturbor ſtatim nec deſpero: ſcio quid facere debeam, Calicem enim ſalutaris accipiam,&c. Et in ſermone primo de Epiphania: Totum quod dare poſſum miſerum iſtud corpus meum eſt: Si quo minus,addo & corpus ipſius. Nam illud de meo eſt,& meum eſt. Paruulus enim natus eſt nobis,& filius datus eſt mihi. De te Domine ſuppleo,quod minus habeo in me. O dulciſſima reconciliatio, o ſatisfactio ſuauiſſima.

Porro & ſpiritualis iſta corporis & ſanguinis Chriſti oblatio,cõmune quoddam ſacrificium eſt,ſicut & alterum illud,de quo ſecũdo loco diximus,propter gratiarum actiones, & orationes quæ ibi fiunt:non pro præſentibus modo,uerumetiam pro abſentibus:nectãtum pro his qui adhuc in mortali iſto corpore agunt, ſed & pro fratribus & ſororibus noſtris, qui cum ſigno fidei hinc ad Dominum profecti ſunt.

" Conſecratione peracta,poſtquam uerba Domini, HÆC quoties
" eſcunq; feceritis,in mei memoriam facietis. pxonũciauerit ſacerdos,
" rurſus Eccleſiæ perſonam induit, loquiturq; ad Patrem,& dicit:
" VNDE & memores Domine nos ſerui tui, ſed & plebs tua ſan-
" cta(quæ eſt Eccleſia tua)eiuſdem Chriſti filij tui domini & Dei noſ-
" tri,tam beatæ paſſionis,necnon ab inferis reſurrectionis, ſed & in
" cœlos glorioſæ aſcenſionis,offerimus præclaræ maieſtati tuæ,de tu-
" is donis ac datis,hoſtiam puram,hoſtiam ſanctam,hoſtiam immacu-
" latam,panem ſanctum uitæ æternæ,& calicem ſalutis perpetuæ.

Supplicat deinde Eccleſia, ut Deus propicio & ſereno uultu ad hæc reſpicere dignetur,& accepta habere pro nobis, & quod ad actionem oblationis noſtræ attinet, aut quatenus conſecrata illa hoſtia,Eccleſiam Chriſti,tanquam corpus eius ſimul ſignificat & repræſentat. Alioqui nemo tam ſtolidus eſt,qui ignoret Deo patri nihil poſſe acceptius eſſe corpore & ſanguine unigeniti filij ſui Chriſti. Procul a nobis abſit ut talis ſenſus aut cogitatio nobis in mentem ueniat,quaſi nos miſeri peccatores uelimus noſtra actione corpus & ſanguinem Domini Ieſu Chriſti Patri primum conciliare & accepta reddere:quum corpus iſtud ſit unicum illud quod per ſe acceptum

ceptum est. Hactenus etiam, ut per ipsum nos quoq; & omnes homines acceptemur. Quapropter uerbis iam dictis corpus illud prędicauimus, & contestati sumus esse hostiam purã, hostiam sanctã, hostiã immaculatam, panem sanctum uitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ.

Cum autem in Ecclesia nos tali loquendi formæ assuefieri oporteat (sicut beatus Augustinus in libris de doctrina Christiana, & passim alibi docet) qua corpori Christi, non solum hoc tribuitur, quod est ipsi tanquã capiti proprium, uerumetiam quod eidem competit, quatenus secum membra sua cõprehendit. Secundum quem modum clamauit in cruce: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? Itẽ, Longe a salute mea uerba delictorum meorum. Quod certe de nobis, quos in se gestabat accipiendum est: non uero de ipso tanquã capite, qui peccatũ nullũ fecit. 1. Petri 2. Quare (inquit) Augustinus hoc dicitur, nisi quia nos ibi eramus, nisi quia corpus Christi Ecclesia. Debẽt & hic ad eundẽ modum uerba illa intelligi, ut Deus super hunc sctm̃ panẽ, & calicem salutis aspicere dignetur, quatenus panis ille sanctus? & calix salutaris nos simul cõpræhendit. Vnus enim panis, ait Apostolus, & unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus. Quia uero (ut dicit beatus Iohannes Chrysostomus) Christus obtulit hostiã nos mundantem, quã & nos quoque nunc offerimus, sic debent uerba ista Missæ accipi, ut Deus pater in hanc oblationẽ, sicut nos eam offerimus, & non quomodo ille obtulit, respicere dignetur. Quã sententiam cogunt, necessarioque requirunt, & uerba quæ proxime sequuntur:

Digneris accepta habere sacrificia nostra, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech sanctum sacrificum, immaculatam hostiam.

Iam profecto sacrificia illa Patrum propter Christum utique, quem designabant, denique & propter mandatũ Dei sacrificia illa requirentis, non poterant ipsa non placere: & tamen quod ad eorũ obedientiam attinebat, quã in sacrificando Deo exhibebant, in sacrificijs illis figuralibus orabant, quemadmodũ & nos, ut Deus dignaretur ea accepta habere. Itaque panis sanctus & calix salutaris, non ratione capitis superbe nedicti illic se exhibentis (in quo Patri semper bene cõplacuit) sed ratione nostri, qui illic quoque unus cũ Christo panis esse, mystice significamur, & quatenus nos ea offerimus, accepta haberi petũtur, hoc est, precamur, non ut Deus Christum, quem paulo ante Canon ipse dilectissimum patri filium nuncupauit, sed nostrum istud seruitutis obsequiũ, repræsentatiuumq;, & cõmemoratiuum sacrificium respiciat, in quo ei carnẽ & sanguinem filij sui sistimus, petẽtes, ut ea semel in cruce oblata,

pro nobis quoque habeat accepta, fructum tam beatæ passionis nobis applicans & accommodans. Et quemadmodum petimus, ut perceptio corporis Christi sit nobis salutaris, sic petimus, ut oblatio nostra mystica corporis Christi sit Patri pro nobis accepta.

Sacrificia p se munda & Deo grata, propter indigne offerentes, dicũtur in scripturis immũda.

Atque hic loquendi modus est in scriptura plurimum usitatus. Quis ignorat enim uetera Patrum sacrificia, quæ Christum præsignabant, uel ob id quod Deus ea præcepisset fuisse per se munda? Nihilominus tamen frequentius immunda uocantur in scripturis, nõ ratione sui, sed propter malam uoluntatem offerentium. De quo uide Chrysostomum homilia secunda aduersus Iudæos. Hinc in uetustissimis aliquot libris Missarum, post locum illum, Supplices te rogamus, habetur ista oratio: Memento mei quæso domine & miserere, licet hæc sancta indigne tibi sancte pater omnipotens, æternæ, meis manibus offerantur sacrificia, qui nec inuocare sanctũ ac uenerabile nomẽ tuum dignus sum: sed quomodo in honore, laude & memoria glorioſissimi dilecti filij tui domini nostri Iesu Christi offeruntur, sic ut incensum in conspectu diuinę Maiestatis tuæ cum odore suauitatis accendantur.

Sanctus Basilius in suo Missæ Canõne, omẽm calumniam aufert. Orat enim: Respice super nos Deus, & super hanc nostrã latriã, quã accepta habere digneris, sicuti accepta habere dignatus es munera Abel, sacrificia Abrahæ, &c.

Post hæc sequitur in Canone nostro:

« Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu diuinæ Maiestatis tuæ, ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus & sanguinẽ sumpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur, Per eundem Christum dominum nostrum, Amen.

Neque nouiter oratio ista introducta est. Verum semper ita orauit Ecclesia Latinorum, etiã longe ante tempora sanctorum Patrũ Ambrosij & Augustini: & proculdubio ab Apostolorum tempore, quum similis precandi formula in Canone Græcorum apud Chrysostomum reperiatur. Habet etiam oratio ista, quemadmodũ præcedens hunc sensum: Omnipotens Deus, cũ probe sciamus mysticã hanc nostrã oblationẽ corporis & sanguinis dilectissimi filij tui, quã tibi sub panis & uini figuris in terreno isto altari exteriori operatione offerimus, beatissimã eius passionẽ tibi rursus figuraliter proponentes, cũ immensa gratiarũ actione, propter indignitatẽ nostrã tibi placere non posse. Idcirco te supplices rogamus, ut per eũ ipsum, qui est magni cõsilij angelus, eadẽ illa

tibi

tibi offeratur in ſublime tuũ altare humanitatis eius, quã ſuper oẽs cœlos exaltaſti, & ad dexterã tuã collocaſti, quo ſic ad noſtrã reconciliationem ſemper in conſpectu appareat & luceat. Vide de hoc Algerũ de ueritate corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, libro. 1. cap. 14. & Auguſtinũ in ca. Vtrum, de conſecrat. diſtinct. 2. ubi ita ait: Intra ſctãm Eccleſiam Catholicã in myſterio corporis Chriſti, nihil a bono maius, nihil a malo minus perficitur Sacerdote, quia non in merito conſecrantis, ſed in uerbo efficitur creatoris, & in uirtute ſpirituſſancti. Si enim in merito eſſet ſacerdotis, nequaquã ad Chriſtũ pertineret. Nunc aũt ſicut ipſe eſt qui baptizat, ita ipſe eſt, qui per ſpiritũ ſanctum hanc ſuã efficit carnem, & transfert uinũ in ſanguinẽ. Vnde & ſacerdos: Iube (inquit) hæc perferri per manus angeli tui ſancti, in ſublime altare tuum in conſpectũ diuinæ Maieſtatis tuæ. Vt quid deferenda in lucem depoſcit? niſi ut intelligatur ꝙ iſta fiant in Sacerdotio.

Chriſtus conſecrat & baptizat ſacerdotis miniſterio.

Quanquã & ille noſtro iudicio bonus ſit ſenſus, ſi oretur ut Deus iubeat oblationẽ noſtrã per ſanctos angelos in conſpectũ diuinæ Maieſtatis ſuæ perferri, non uero hoc modo, quaſi uelimus ut nunc primum angeli perferant corpus & ſanguinẽ domini noſtri in cœlos ad patrem: ſed uerius preces & uota noſtra, quibus oratio iſta concludit. Hæc ſcilicet, ut quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctũ filij eius corpus & ſanguinẽ ſumpſerimus, omni benedictione cœleſti & gratia repleamur. Hoc officium em̃ bonis angelis in ſcripturis paſſim attribuit, ꝙ perferant orationes noſtras ad Deum, Tobiæ 12. Et ad hunc modũ orauit beatus Ambroſius, qui in Canone ſuo duas illas oratiões. Vnde & nos memores. Et, Supplices te rogamus, in unam contrahit, ut uides libro 4. de Sacramentis, capite 6.

Perferri autẽ aliquid ad conſpectũ Dei ſecundum loquendi modũ, qui in Bibliis uſitatus eſt, nihil aliud intelligitur, quã ut facta noſtra, deuotiones, uota & preces a Deo acceptantur & exaudiantur, Pſalm. 78. Item 87. & Eccleſiaſt. 35. Quem ſenſum orationis quoꝙ concluſio ſecum affert. In qua luculenter oſtenditur & apparet, quomodo præcedentia uerba (quibus oratur, ut Deus hæc ſacrificia propicio ac ſereno uultu reſpicere dignetur) ſint intelligenda, ſic uidelicet, ut reſpicere ea dignetur, non ob id quod nunc deinceps ſuñt ſacratiſſimũ corpus & ſanguis dilectiſſimi filij ſui, in cuius faciẽ ſemper alioqui reſpicit: ſed propter nos, quo ſacroſanctũ illud ſacrificium ſic tractare & ſumere poſſimus, ut nõ ꝓueniat nobis, utpote indignis ad iudiciũ, ſed ad cõſequendã benedictionẽ potius cœleſtẽ & gratiã. Quo beatus Auguſt. in Iohannẽ annotauit, & habetur in ca. credere, de conſecrat. diſtinct. 2. Qui mandũ

cat(inquit)carnem, & bibit sanguinẽ Christi,usq; ad spiritus participationem,ut in corpore domini tanquã membrum maneat,& eius spiritu uegetetur (quod est quando eius mãdata seruat)Ad altare Dei inuisibile,quo nõ accedit iniustus(in sacramento tantum,nõ in spiritu percipiẽs corpus & sanguinem)ille peruenit,&c. Ad eundem modum in Græco Chrysostomi Canone oratur: Pro adductis & sanctificatis prętiosis donis dominum Deum nostrum deprecemur, ut dominus Deus noster, qui suscepit ea in sanctũ & supercœleste & intellectuale altare suum, tanquam odorem bonæ fragrãtiæ, uicissim nobis mittat diuinã gratiã, donumque & communionem sanctissimi spiritus,&c.

Christus magni consilij angelus, sacerdos, templum, altare & hostia.

Hic sensus quem ex Augustiño primũ,ac deinde ex Algero adduximus,nõ uideatur alicui peregrinus: Conformis est emm sacræ scripturæ per omnia, quæ dominum Iesum Angelũ uticq; magni concilij uocat, Esaiæ 9. iuxta translationem septuaginta. Et Exodi 23. Angelum illũ, de quo ait dominus, Ecce ego mitto angelum meũ qui præcedat te, & custodiat in uiam,& introducat in locum quẽ præparaui tibi. Obserua eum & audi uocem eius,&c. Similiter scriptura appellat dominum Christum altare, Heb. 13. Et Apocal. 8. Aureum illud altare. In quo, & per quod omnes pij Christiani uniuersa sacrificia spiritalia, fidei, deuotionis, gratiarum actionis, uotorum, orationum, spei & charitatis Deo patri debent offerre. Sicut & Petrus ait Apostolus: Offerentes spiritua-
1. Petri. 2. les hostias acceptabiles Deo, per Iesum Christum. Item ad Hebręos 13. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt. Et paulo post: Per ipsum ergo offeramus hostiã laudis semper Deo. Id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Atque ita fit, ut Christus ipse sit & Sacerdos, & altare, & sacrificium, teste beato Augustino libro decimo de Trinitate,& in Psalmo 25. ac 26. Item de fide ad Petrum capit. 2. dicit: Idem Sacerdos est & sacrificiũ. Idẽ Deus& templũ. Sacerdos, p quẽ sumus recõciliati. Sacrificiũ, q recõcilati. Templũ in quo reconciliati. Deus cui reconciliati. Quod supra Apoc. 8. citauimus, clare indicat Christum astare tanquam mediatorem pro nobis apud patrem suum cœlestem, cum corporis sui sacrificio, in thuribulo aureo, in charitate immensa, qua se pro totius mundi peccatis tradidit acerbissimæ & contumelioſissimæ morti, ad æternam reconciliationem omnium, qui crederent in eum. Iam huic unico & æterno sacerdoti magni cq; concilij angelo, tradunt sacerdotes temporales,& populus credentium hic in terris, in Missa mysticum sacrificium corporis & sanguinis eius, cum gratiarum actione, pijsque uotis & orationibus.

Quæ

Quæ ille ſuſcipiens, reddit Patri accepta, atq; ita perfertur ſacrificium illud ad Deum, & non aliter: hoc eſt manu Chriſti, per meritum paſſionis ſuæ, quando illa ſumitur in manus, agiturq; in conſpectu patris cum ea, quod ipſi gratũ & acceptum eſt: quod certe fit in Miſſa, quæ Chriſtiano & catholico more ſeruatur.

DE MEMORIA DEfunctorum in Chriſto.

POſt hæc iam ſequitur in Miſſa memoria Chriſtianorum fidelium, qui in uera fide in Chriſtum ut ſperamus ab hoc mundo tranſierunt, de quibus non adeo habetur certitudo utrum ſatis emundati pũrgatiq; hinc abierunt, q̃ ſumus certi de ſanctis. Qua propter aliter horum, aliter eorum facimus memoriam. Sanctorum enim memoriam agimus ante & poſt conſecrationem corporis & ſanguinis Chriſti, cum ſingulari gratiarum actione: non quod oremus pro eis, ſed potius ut ipſi pro nobis intercedant. Reliquorũ uero in Chriſto defunctorum poſt conſecrationem tantum reminiſcimur: & agimus quidem gratias, ob id, quod Dominus ipſe eos hinc cum ſigno fidei, aut (ſicut Chriſoſtomus homilia 59. dicit) cum fidei ſigillo euocauit & aſſumpſit. Vnde & ſperamus eos quieſcere in ſomno pacis. At nihilominus ſimul etiam pro his (quod pro illis nõ facimus) ſupplicamus, ut Deus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerij, lucis & pacis indulgeat. Per Chriſtum &c. Hanc differentiã deſcribit Auguſtinus diſerte, tractatu 84. in Iohannem.

Memoria defunctorum in ſacro Miſſæ officio, traditio eſt apoſtolica.

Vt autem apud ſacrificium corporis & ſanguinis Domini habeatur memoria & oretur pro fidelibus defunctis, traditione apoſtolica ab Eccleſiæ primordijs mos inoleuit. Quod ſacer Dionyſius in libro Eccleſiaſticæ hierarchiæ cap. 7. teſtatur. Ait enim: De prece ſup defunctis facienda, ex diuinis ducibus, hoc eſt apoſtolis, traditio peruenit ad nos. Et paulo ante: Precatur (inquit) oratio illa diuinam clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admiſſa peccata defuncto, eumq; in luce ſtatuat & regione uiuorum, in ſinibus Abrahæ, Iſaac & Iacob, in loco unde aufugit dolor, & triſtitia, & gemitus, hoc eſt, in perfectam immortalitatem, omni triſtitia uacuam, ac plenam luminis perpetui. Et licet ibidem uidere quod pro his tantũ orauerit antiſtes, qui digni habebantur, aut qui in uita ſua precati fuerant pro ſe in Eccleſia orari. Et quanq̃ non ignoret Antiſtes Deũ his qui pie in fide uixerunt diſceſſerũtq; dare uitam, nec recordari per ſummã clementiã ſuã maculas q̃ illis ex humana infirmitate adheſerũt:

Pro quibus defunctis oratio fiat in Miſſa.

Petit tamē nihilominus donari eis præmia ſacra, propterea quod debeat orationem ſuam uoluntati diuinæ cōformare, & hoc petere q̄d Deo placitum eſt, & quod promiſit ſe Deus præſtiturum. Non orat autē pro infidelibus & impijs, quibus nihil tale Deus promiſit, &c.

Tandem igitur diſpice an non commemoratio & precatio Eccleſiæ in Canone pro defunctis, huic apoſtolicæ traditioni in omnibus concordet? Eccleſia enim pro his tantum orat, qui in fide diſceſſerunt, atq; adeo uſq; ad reſurrectionem quieſcunt. Comprecatur autem ipſis quod iam conſequuti ſunt: niſi quod optat ut mortui perfecte idipſum conſequantur. Huic Dionyſio poſteriores patres omnes conſonant, tam Orientalis quam Occidentalis Eccleſiæ. Gregorius Nazianzenus in oratione funebri in mortem Cęſarij fratris ſui. Item Gregorius Niſſenus, & Athanaſius, qui ad Antiochū principem, quæſt. 34. dicit, Animas fidelium percipere beneficia uiuentium, quando propter eos fiunt conuentus in Eccleſia: Alioquin enim non utiq; in cura & exequijs fieret eorum commemoratio.

Aeriana hæreſis, eſt negare pro defunctis orandum eſſe.

Epiphanius libro tertio contra hæreſes, damnat Aerium hæreſeos iſtius, quod contempſerit orationes quæ pro defunctis dicuntur. Habet autem ita: Quod proferuntur nomina defunctorū, quid hoc magis fuerit utile? Quid hoc commodius & magis admiratione dignum? Credunt enim præſentes quod hi qui præceſſerunt uiuūt, & non ſunt nulli, ſed ſunt & uiuunt apud Dominum. Et ut pientiſſimā prædicationem recenſeam, quod ſpes eſt orantibus pro fratribus ue lut qui in peregrinatiōe ſint. Proſunt autem & preces quæ pro ipſis fiunt, etiam ſi totam culpam non abſcindunt.

Verum enimuero eo quod nos ſæpe dum in mundo ſumus fallimur & erramus, tum inuiti, tum uoluntarie, quo id quod perfectius eſt ſignificetur, pro iuſtis & peccatoribus memoriam facimus. Pro peccatoribus quidem miſericordiam Dei implorantes: pro iuſtis uero & patribus, patriarchis, prophetis, apoſtolis, euangeliſtis, martyribus, confeſſoribus, epiſcopiſq; & anachoretis, & pro uniuerſo ordine: ut Dominum Ieſum Chriſtum ab hominum ordine ſeparemus, per honorem quem ipſi exhibemus, & ut adorationem ipſi præſtemus: Illud mente uoluentes, quod Dominus non eſt alicui homini adęquatus, etiam ſi milies & ultra in iuſtitia degat unuſquiſque homo. Quomodo enim poſſibile fuerit? Ille enim eſt Deus: hic homo. Et ſubdit, quod Eccleſia hoc neceſſario perficit, traditione a Patribus accepta.

Traditionis uis, ſecundum Epiphaniū.

Quis

Quis autem poterit ſtatutum matris diſſoluere, aut legem patris? uē luti Salomon dicit: Audi fili ſermones patris tui, & ne repudies ſtatuta matris tuæ. Oſtendens per hoc, quod & in ſcripto & ſine ſcripto docuit Pater, & Vnigenitus, & Spiritus ſanctus. Mater autem noſtra Eccleſia, habet ſtatuta in ſe poſita indiſſolubilia, quæ diſſolui non poſſunt. Quum itaq; ordinata ſint in Eccleſia ſtatuta, & bene ſe habeant, & omnia mirabiliter fiant, confutatus eſt rurſus hic ſeductor: Aerium putat. Hucuſq; Epiphanius.

Habes in Chryſoſtomo locum in 1. ad Corinthi. homilia. 41. ubi plurima in hanc ſententiam dicuntur. Vult enim ut iuuentur defuncti, non lachrymis, ſed prece, ſupplicationibus, eleemoſynis & oblationibus. Nec eſſe hoc temere excogitatum, ut memoriam mortuorum inter ſacra myſteria celebremus, aut accedamus ad altare pro iſtis, agnum illic iacentem, & peccata mundi tollentem deprecãtes. Aſſerit etiam, Spiritus ſancti ordinatione fieri, quod ſacerdotes in Græcorum Miſſa pro defunctis orant & clamant: hortaturq;, ne de fatigemur mortuis auxilium ferendo, preces pro ipſis offerendo, cũ totius orbis communis uictima ſint preces. Et addit: Hinc pleni fiducia pro toto etiam orbe ſupplicamus inter martyres, inter confeſſores, inter ſacerdotes mortuos recenſemus. Vnum enim corpus oẽs ſumus, undiq; ueniam ipſis impetrare licet. Similia habet homilia 32 in Matthæum, homilia quoq; 69. ad populum Antiochenũ. ubi hæc ſunt eius uerba: Non temere ab apoſtolis hæc ſancita fuerunt, ut in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, utilitatem multam. Cum enim conſtiterit populus extenſis manibus, & tremendum proponatur ſacrificium, quomodo Deum non exorabimus, pro his deprecãtes? Hæc Chryſoſtomus.

Apoſtoli tradiderũt pro defunctis orãdum eſſe.

Iohannes Damaſcenus ſcripſit integrum ſermonem de iis qui in fide hinc migrarunt: Quem Oecolampadius aliquando, cum nondũ ab Eccleſia catholica plane deſciuiſſet, interpretatus eſt. In quo ita dicit: Apoſtoli diſcipuli ſaluatoris, qui totius mũdi circulum cœpere, prædicando uerbum uitæ, quod ſuis oculis uiderant, in tremẽdis uitalibuſq; ſacramentis memoriam eorum, qui fideliter obdormierunt, habendam edixerunt. Quod adhuc firmiter, atq; adeo ſine contradictione obſeruat apoſtolica & catholica Eccleſia Chriſti & dei, a finibus uſque ad fines terræ, ab eo tempore uſque in præſens, & in finem mundi uſque.

Eadem

Eadem testantur & Occidentalis Ecclesiæ patres, Tertullianus ad uxorem, Cyprianus libro primo epist. nona, Ambrosius in oratione funebri pro Theodosio Imperatore, ita ait: Dilexi uirum ualde, & pręsumo de Domino, quod suscipiat uocem orationis meæ, qua prosequor animam piam. Da requiem perfectam seruo tuo Theodosio, requiem quam præparasti sanctis tuis: illo conuertatur anima eius unde descendit, ubi mortis aculeum sentire nõ posset, ubi cognoscat mortem hanc non hominis finem esse, sed culpę. Item ad Faustinum ob sororis obitum dolentem, illam tam non deplorandam q̃ prosequendam orationibus reor: nec mœstificandam lachrymis tuis, sed magis oblationibus animam eius Dño cõmendandum arbitror.

Sanctus pater Augustinus libro Confessionum 9. cap. 13. orauit pro matre sua Monica, & scribit popposciſſe illam, ut ad altare Dei fieret eius memoria, ubi sacra uictima dispensaretur, qua chyrographum quod erat contrarium nobis, deletum est. Et libro uigesimo de Ciuitate Dei, cap. 9. ait: Neq; enim piorum animæ mortuorum secparantur ab Ecclesia, quę etiam nunc est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communione corporis Christi. Vnde libro de cura pro mortuis gerenda, sic inquit: Ita fit, ut non inaniter Ecclesia pro defunctis quod potuerit religionis impendat. Atq; huc allegat quod habetur 2. Machab. 12. de Iuda Machabæo, qui pro mortuis obtulit sacrificium, & subdit: Sed & si nusquam in scripturis ueteribus omnino legeretur, non parua hac consuetudine claret authoritas, ubi in precibus sacerdotis, quæ domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. Et cap. 4. Non sunt (ait) prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana societate defunctis sub generali commemoratione suscepit Ecclesia: ut quibus ad ista desunt parentes aut filij, aut quicunq; cognati uel amici, ab una eis exhibeatur pia matre communi. Nouissimo autem capite dicit, hoc unumquenq; facere diligentius pro necessarijs suis cum recitatione nominum eorundem, & in commune pro omnibus. Item de 88 hæresibus, ad quod uult Deum, hæres. 53. scribit, Aerium docuisse non orandum esse pro defunctis: quemadmodum & Epiphanius de eodem refert.

Bernhardus in Cantica, sermone 66. narrat, sua ętate fuisse hæreticos, qui animas defunctorum auxilijs uiuentium fraudare uoluerunt, nec crediderunt ignem purgatorium restare post mortem. De quo beatus pater Augustinus de Genesi contra Manichæos libro 2. dicit:

dicit: Qui forte agrum (animæ suæ) nõ coluerit, & spinis pẽmiserit eũ opprimi, habet in hac uita maledictionẽ terræ in omnibus operibus suis, & post hanc uitã habebit uel ignẽ purgationis, uel pœnam æternam. In Enchiridio quoq; ad Laurentiũ cap. 69. dicit non esse incredibile, nõnullos fideles igne pũrgatorij post hanc uitã purgari, hoc uelocius aut tardius, quãto magis miniſue, bona pereuntia dilexerunt. Iam licet beatus pater Augustinus ibidem de purgatorio ita loquatur, ac si de natura & loco eius inquiri adhuc possit, & aut inueniri aut latere inquirentes. Tandem tamen capite. 110. in eodem libro concludit in hanc sententiam: Negandum nõ est defunctorũ animas pietate uiuentium releuari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, uel eleemosynæ in Ecclesia fiũt: sed eis hæc prosunt, (inquit) qui cum uiuerẽt, ut hæc sibi postea prodesse possent meruerunt. Per fidem intellige & pia uota, ut supra dictum est. Et addit: Cum ergo sacrificia, siue altaris, siue quarumcunque Eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro ualde bonis gratiarum actiones sunt, pro non ualde malis, propitiationes sunt, pro ualde malis, etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunque uiuorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.

Quibus animãbus prosint opera bona uiuentium.

Ex istis iam non difficile cognoscitur, quare defunctorum memoriam post consecrationem faciamus. Sancti qui ex hac uita ad Deũ migrarunt, ubi & uiuunt, purgati sunt sanguine domini & toti purificati, propterea ante consecrationem aguntur pro ipsis gratiæ. Istos autem, qui nondum prorsus perfecte purgati sunt, commendat pia mater Ecclesia (ut Innocentius ait in libro de mysterio Myssæ) sua intercessione sacrosancto sacrificio, certissime credens, quod sanguis ille præciosus, qui pro multis effusus est in remissionem, non solum ualeat ad salutem uiuentium, sed etiam ad releuationem defunctorum. Cui beatus Bernhardus loco allegato plane in omnibus consonat.

Post memoriam & orationem pro fidelibus defunctis, sacerdos & astans communitas orant pro seipsis, ut Deus eis omnibus de misericordia ipsius sperantibus, partem & societatem donare dignetur cum sanctis suis, atque ut eos in illorum consortium, nõ ex illorum merito, nec ut æstimator meriti, sed uelut remissiõis largitor admittat per Christum. Hoc est, quando sacerdos & communitas secum expendunt, propositum corporis & sanguinis Christi Sacramentum, non solum continere caput Christum substantialiter, uerumetiam mystice membra

eius, orant ut in tali societate in ueritate reperiantur, Per Christum.

" Per quem hæc omnia bona nobis semper creantur, sanctificantur, uiuificantur, benedicuntur, & præstantur.

De consec. dist. 2. ca. quia corpus.

Siquidem ut diximus, Christus est inuisibilis sacerdos, qui uisibiles creaturas uerbi sui potestate secreta in substantiam corporis & sanguinis sui transmutat & conuertit, ut Eusebius Emissenus ait: Christus est ille, qui uisibili spiritus sui operatione, quod ex fructibus terræ acceptum est, sanctificat, ut tam magnum Sacramentum ex eo fiat. sicut Augustinus habet libro quarto de Trinitate. Christus etiam ille est, qui hęc in corpus uiuificum, & sanguinem suum transire facit. Cum Concilium Ephesinum testetur, nos illic recipere ueram & uiuificam carnem, uerbo æterno coniunctam. Id quod etiam Augustinus ad Irenæum prodit: Et Christus est, qui bona ista benedicit. Testante enim beato Augustino, non omnis panis, sed accipiens benedictionem, Christi fit corpus, can. non omnis, de consecratione, distinct. secunda. Christus denique est, qui largitur bona ista nobis, hoc efficientia, quando sumuntur, ut Christus in nobis sit, & nos in Christo, ut Hilarius ait libro nono de Trinitate. Concludit autem Canon, Per ipsum, & cum ipso, & in ipso, est tibi Deo patri omnipotenti, in unitate spiritus sancti omnis honor & gloria. Christus est enim, per quem omnia creata sunt, atque adeo est ille, per quem omnis creatura laudat Deum. Et est qui mundo patrem manifestauit, & quicquid perditum erat, restaurauit. Per quem agnoscimus, laudamus & glorificamus Deum, Iohannis primo & decimoseptimo. Porro Christus est, cui cum patre omnis gloria est, cum sit patri in diuinitate æqualis, Iohannis primo. Et habitet in ipso omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, ad Colossenses secũdo. Per quẽ Deo patri in unitate spiritus sancti est omnis honor & gloria Amen.

De consec. dist. 2. cap. necessarie.

De conse. dist. 2. can. In Christo pater.

Post quæ tandem sequitur oratio dominica, qũa supplicatur communiter pro toto mundo, pro donatione spiritualium & temporalium bonorum, præcipue uero supersubstantialis & cœlestis panis, pro peccatorum remissione & liberatione ab omnibus malis.

Hanc orditur Catholica Ecclesia a præfatione, qua ueluti audaciam suam apud Deum excusans, quem patrem appellat, dicit Christum præcepisse, ad exercendam fidem ita orare. Qua temeritate enim, quis ausit Deum appellare patrem suum, nisi filius ita orare præcepisset?

Vetus

Vetus Ecclesia olim finiebat Canonẽ oratione dominica. Quod in sequentibus demonstrabitur ex Augustino. Qua de causa sequens oratio, Libera nos quæsumus, nomen obtinũit, ut excrescentia appelletur. Et statim deinde inter cantandum Agnus Dei, communio dabatur.

Hactenus de oblationẽ corporis & sanguinis Christi, orationibusque & uotis, quæ illic fiunt.

DE QVARTO MISSÆ SACRIFICIO, QUO TOTA ECCLESIA OFFERTUR.

QVarto, In descriptione tertij Sacrificij, corporis uidelicet & sanguinis domini. Cum Missæ Canonem exponeremus, meminimus nonnunquum quarti sacrificij, quo offertur Deo patri Ecclesia ipsa per Christum, cuius mysticum corpus est. Cum eñ recolit Ecclesia & agnoscit, ex oblatiõe Christi semel in cruce facta, nos omnes (quod in nobis est) perditos esse & damnatos, nisi unica illa oblatione, quam fecit in cruce Christus Deo patri reconciliaremur, se totã assignat & offert Deo patri per Christum. Et sicut Christus in cruce nos omnes portauit, omniaque totius mundi peccata sustulit in corpus suum, adeoque in se ipso Ecclesiam patri obtulit, ita ex aduerso, & Ecclesia tradit & offert seipsam patri hostiam uiuam uotis spiritualibus, quibus spondet se in Christo perpetuo mansuram. *Quo Ecclesia seipsam in Missa offerat.*

Quemadmodũ S. pater Augustinus luculẽter testatur Epist. quinquagesimanona ad Paulinum, & luculentius libro decimo de ciuitate Dei, capite sexto, ubi dicit: Hoc est sacrificium Christianorum, multi unum corpus sumus in Christo: quod etiam Sacramento altaris fidelibus noto, frequentat Ecclesia, ubi ei demonstratur, quod in ea oblatione quam offert, ipsa offeratur. Hoc est, quemadmodum Christus in uero & cruento sacrificio crucis, & sacerdos erat & hostia, sic & in repræsentatiuo isto sacrificio, quo illud rursus proponitur, se habet Ecclesia, offerens per temporalem sacerdotem ministrum suum. Cum ipsa sit hoc simul, quod offertur.

At uero quomodo in Canone Missæ hæc oblatio fiat, iam antea satis commonstratum nobis est, eo loco Canouis, ubi sacrificium gra-

tiarum actionis, quod fit pro Ecclesia, & istud quo e regione uicissim se Ecclesia offert, inuicem componuntur. Hic nimirum ubi dicitur:

"Memento domine famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, uel q̃ tibi offerunt hoc sacrificiũ laudis, pro se, &c. quorum fides tibi cognita est, & nota deuotio, &c.

"Et sequitur: Tibique reddunt uota sua æterno Deo, uiuo & uero. Similiter Ecclesia, sicut diximus, quando uerum corpus & sanguinem Christi offert, offert in eo seipsam simul mystice, cũ sit corpus eius mysticum. In Missa Chrysostomi sæpenumero repetitur: Nosipsos & inuicem, & omnem uitam nostram, Christo Deo nostro commendemus.

DE APPLICATIONE sacræ Missæ.

Errant qui putant sacrificium Missæ præsentibus tantũ, & communicantibus prodesse.

EX istis euidenter claret, quam fœde & impie errent, qui dicunt Christum sacrosanctam cæremoniam suæ cœnæ instituisse tantum in usum & profectum singulorum astantium, præsertim eorum qui externo Sacramento uescerentur, non autem ut debeat pro absentibus cæremonia ista celebrari, negantque Christum in cœna sua sacrificasse. Quum Christus ut abunde in præcedentibus commonstratum est, in sacratissima cœna sua primũ obtulerit, qñ panẽ in suas sctãs manus accepit, & gratias egit. Postea uero dedit Apostolis corpus & sanguinem suum, mandans ut hoc facerent in sui commemorationem, deinde patrem rogauit pro toto mundo, ut nomen eius mundo manifestaretur, & pro omnibus in ipsum credentibus, &c.

Ad eũdem modum beatus pater Augũstinus duo ista, offerre, scilicet & sumere, accurrate distinguit. In altari (inquit) offertur & datur, & peracta pietatis celebratione sumitur. de Trinitate libro tertio, capite decimo. Obseruatum est idem in Concilio Neocęsarieñ. capit. decimotertio, quod facit discrimen inter offerre & dare panem sanctum.

Errant qui credunt se habere meritum redemptionis Christi sine applicatione

Deinde uelut claro die aperte cernitur, quam turpiter & fœde errent, qui nullum faciunt discrimen inter meritum remissionis peccatorum, & applicationem talis meriti. Nũquam aliter docuit Ecclesia Catholica, quam Christum Iesum esse unicum sacrificium, unicum præcium, & redemptionem unicam, qua meruit nobis in cruce, & pretio sanguinis emit peccatorum remissionem. 1. Corinth. 6. & septimo. Tit. 2. & Apocalypsis decimoquarto.

Hanc

Hanc fidem ſuam in communibus orationibus plerunq; teſtatur,& præcipue in ſacro officio Miſſæ. Docet autem præterea ſacerdotem & communitatem in Miſſa aſtantem,myſtica & pia oblatione iſtius ſacrificij ſibi applicare,ſeq; participem facere remiſſionis peccatorum,Per Chriſtum. Ad hoc quod apud ſacrificium iſtud poſſit & debeat orationis quoq; ſacrificium offerri;quo precatur Deum fieri propicium peccatis,non tantum præſentium,uerum & abſentium: imo non uiuorum modo,ſed & mortuorum, per mortem filij ſui dilectiſſimi. Atq; ita docet orationem huiuſmodi per fidem applicari & commodari poſſe uniuerſis. Eſt quidem uerum Chriſti paſſionem plus q̃ abunde ſufficere peccatis omnium hominum, oportet tamen ut fide propria & deuotione nos faciamus eius participes,precemur que Deum,ut per ipſum totius mundi miſereatur. Et ut ſummatim dicamus,Chriſti ſacrificium eſt meritorium remiſſionis,repræſentatiuum Miſſæ ſacrificium eſt promeritæ remiſſionis applicatoriũ, quod eo applicet ſibi quiſq; per fidem remiſſionem illam:quod & in defunctis obtinet,qui dum uiuerent ſibi hoc meritum per fidẽ propriam compararunt,ut ipſis hæc poſt mortem prodeſſe poſſent. Sacrificium uero precum in Miſſa fit pro omnibus, & quibuslibet,applicatur etiam malis:quanq̃ non pro ſacrificantis, ſed pro Dei bona uoluntate.

Neq; uero unq̃ docuit Eccleſia catholica, ſicut aduerſarij calũniantur,Miſſam eſſe opus tantum externum ſolius ſacerdotis,quo ſecundũ ſuã deputationẽ uiuis aut defunctis,quibus uoluerit,promereat remiſſionẽ pctõrũ:licet etiã opus illud ſine fide pagat,applicetq; ijs qui neq; per fidẽ accipiunt,neque mentis bonũ motũ habent. Verum longe aliter & contra docuit Eccleſia, Miſſam non priuatum,ſed commune eſſe ſacrificium ſacerdotis, publici Eccleſiæ ſeu populi miniſtri. Nam quod ſacerdos agit miniſterio, populus agit uoto. ut Innocentius tertius ait libro quinto de altaris miniſterio,capite ſecundo,ipſumq; Miſſæ ſacrificium illis tantum prouenire ad ſalutem,qui aut ipſi propria fide illud appræhendunt, aut prius appræhenderunt,aut cum beata Monica ſancti Auguſtini matre pie deſiderauerunt,ut pro ipſis ad altare Domini offerreretur. Quod ipſum Canon clare proſequitur. Quanquam alias etiam nemini ſit ignotum,communis cuiuſque ſacrificij proprietatem eſſe, ut omnibus qui in ea ſocietate ſunt,applicetur.

Atrox calũnia, quã hæretici Eccleſiam apud ignaros tradũcunt.

Miſſa eſt commune ſacrificium ſacerdotis & populi.

De oratione uero docuit Ecclesia semper sacerdotem posse eam cuilibet, tam fideli q̃ infideli, tam bonis q̃ malis applicare. Atq; huiusmodi sacerdotis orationem, dum tamen in fide & pia deuotione fiat, efficaciorem esse apud hanc sacratissimam actionem & oblationem quam alias. Sicut beatus martyr Cyprianus in sermone de cęna Domini ait: In huius sacramenti præsentia, non superuacue mendicant lachrymæ ueniam, nec unquam patitur cõtriti cordis holocaustum repulsam: sed Hierarcha pius, quem Spiritus sanctus compungit, excitat, inhabitat & sanctificat, eleuatione manuum crucis mysterium repræsentans, confidenter orat pro sua & populi ignorantia. Hæc Cyprianus.

DE OPERE OPERATO.

Alia calumnia hæreticorũ contra Ecclesiam.

MVlti non parum hodierno tempore sese fatigant, imo dicere audent, hactenus in Ecclesia prædicatum fuisse, sacrificium sacerdotis ualere coram Deo ex opere operato, sine bono motu utentis. Appellant autem opus sacerdotis qualecũq; sit, nõ considerata mentis cogitatione, opus operatum. In quo iterum non leuis iniuria uiolentiaq; Ecclesiæ Christi irrogatur. Innocentius enim tertius, libro tertio de sacro altaris mysterio capite quinto. & scholastici doctores omnes in 4. Sententiarum, per opus operatum sacrificium altaris intelligunt, non externas sacerdotis actiones, sed opus Dei in consecratione & sanctificatione sacramenti: Quod non a merito sacerdotis, sed a Christi potentia dependet: qui sacramentum sum ipse ueraciter consecrat, conficit, & fidelibus dispensat: quanq̃ ministerio sacerdotis, licet mali nonnunq̃ & indigni. Quapropter scholastici inter opus operatum & opus operans hanc faciunt differentiam: Prius illud dicunt cum sit opus solius Dei & Christi, non consistens in oblatione, sed in sacramenti consecratione & sanctificatione, semper purum esse & sanctum. Licet permittat nonnunquã Deus externe tractari illud manibus sacerdotis impuri. Sicut enim (ut inquit Hieronymus contra Luciferianos) hic est qui baptizat Christus, ita hic est qui sanctificat ad altare.

Quid apud catholicos dicatur opus operatum, & quid opus operans.

Opus operatum.

Consonat Augustinus in ca. utrum, de consecratione, distinct. 2. Alte-

Alterum uero opus operans, quod non consistit in sacramenti cõ secratione, sed in oblatione sacrificij, in gratiarum actione, orationibus &c. dicunt nonnunq̃ impurum esse, nec idem ualere utrum fiat per religiosum an sacrilegum, per bonum uel malum, imo sacerdoti malo cedere magis in damnationem: licet etiam præsentibus, ut fit aliquando, proueniat ad bonum. Non quidem ratione sacerdotis, sed propter attentionem propriam, quam ex auditu orationum concipiunt: Præsertim cum oratio per sacerdotem tanq̃ publicum ministrum, omnium nomine dicatur. Quod & beatus Augustinus testatur lib. 2. contra epist. Parmeniani cap. 8. Certum est (inquit) quia deus etiam peccatores audit. Propheta Balaam, non de populo Israel, sed alienigena, conductus ab inimico, ut populo Dei malediceret, eõ uersus a Domino ad benedicendum est: Et cum aliud haberet in uoto, uerba tamen precantis, & bona sunt, & pro populo exaudiuntur a Domino. Vnde non mirum est, si uerba bona quæ pro populo dicuntur in precibus, etiam si a malis dicantur Episcopis, exaudiri tamen, non pro peruersitate præpositorum, sed pro deuotione populorum. Vt ut autem hæc se habeant, nunq̃ docuit Ecclesia externum mali sacerdotis opus promereri alicui sine fide & attentione remissionem peccatorum. Quinpotius docuit, opus illud in se quale est consideratum, nemini conferre. Quapropter sentẽtia contraria doctoribus scholasticis inciuiliter, imo malitiose per quosdam affingitur.

Opus operans.

Deus audit etiam peccatores interdũ.

Cæterum, nemo ueridicus aliud affirmare queat, q̃ oblationẽ & applicationem Missæ eo quo fit in Canone modo (si tamen Canon recte intelligatur) uerbis Christi consonam, traditionique per Christũ institutæ consentaneam esse & conformem. Christus em̃ in cœna sua, & cœna facta, orat, non tantum pro apostolis præsentibus, sed & pro omnibus qui crediturí erant per uerbum ipsorum in eum. Similiter & sacerdos precatur pro omnibus fidelibus. Christus accipit panem & calicem in manus suas, tanquam offerens, gratias agit, porrigit discipulis, & dicit: HOC est corpus meum. & HIC est meus sanguis, qui pro uobis & pro multis effunditur: Præcipitque apostolis idem ut faciant in suam commemorationem. Quæ quidem omnia ita in Missa fiunt, ubi sacerdos cum populo Deo gratias agit, non solum pro astantibus, sed pro omnibus etiam pro quibus sanguis Christi effusus est: idque in memoriam eius.

De

DE ANTIQVITATE ET DIGNITATE sacri Canonis Missæ.

CONsequitur etiam ex ijs quę diximus Latinum Canonem nostrum non (sicut insani quidam Ecclesiæ hostes dicunt) centenum instar cõsutum, aut nouitijs commentis permixtum, sed orationem esse longe diuinissimã, in qua nihil contineatur quod non fuerit a tempore etiam apostolorum in sacrificijs obseruatum. Quod ipsum collatione Gręci Canonis cum nostro, & apud ueteres patres, præcipue in antiquissimo Dionysio, qui hunc sanctum ritum sicut apostolorum fere temporibus seruabatur, descripsit, clare potest demonstrari: & iam antea, quantum necesse erat, ostendimus. Quod si Canon ille Christiane & recte, eo quo diximus modo, intelligatur, absq; ulla contradictione non poterat neq; in uerbis, neq; in sensu, melius & Deo dignius aliquid ordinari. In quo etiam Græci Canonis summa tam artificiose & incorrupte cõtracta est, ut nõ iniuria de eo quis mirari possit. De quo iudicet spiritualis ac beneuolus Christianus: cum reliquis nihil est nobis negotij.

Imperite errant, qui opinantur Canonem non adeo uetustum esse, sed nouum commentum cuiusdam qui dictus sit Scholasticus, & uixerit paulo ante Gregorij tempora. Enimuero qui talia scribunt, beatum Gregorium epistola 63. ad Iohannem Episcopum Syracusanum, non recte intellexerunt. Non enim habet illic quod quidam dictus Scholasticus, qui paulo se præcesserit, composuerit Canonem: uerum confert ibidem Canonem ipsum cum Oratione Dominica, hoc modo: Mos (inquit) apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem, oblationis hostiam consecrarent, & ualde mihi inconueniens uisum est, ut precem quam Scholasticus cõposuerat, super oblationem diceremus, & ipsam traditionem, quam redemptor noster composuit, super eius corpus & sanguinem non diceremus, &c.

Porro scitur quid patres nomine Scholastici olim significauerint: Non utique uirum aliquem cui hoc nomen esset proprium: sed peritum, egregie doctum, & in rebus Ecclesiasticis exercitatum uirum. Vt est uidere apud Augustinum libro de catechizãdis rudibus, ubi ait: Sedulo monendi sunt Scholastici, ut humilitate induti, Christiana discant non contemnere, quos cognouerint morum uitia magis q̃ uerborũ deuitare. Talis Scholasticus fuit Origenes ille. Taliũ Scholasticorum frequentius meminit Genadius in Catalogo illustriũ uirorum. Proinde nec beatus Gregorius contemptim de Canone sacro, sicut aduersarij uolunt, locutus est: quem haud dubium in magna æstimatione habuit. Sed hoc solum uoluit, nihil æquius esse, q̃ ut

ut ubi Canon, quem homo dictauerat, ad sacram oblationem diceretur, etiam orationem Domini ipsius nõ esse omittendã. Hoc prẽcipue apud Gregorium notandũ est, quod uetus Ecclesia, sicut antea diximus, Canonem oratione dominica concluſit. Ait em̃: Orationẽ autem dominicam, idcirco mox post precem dicimus, &c. Intelligit enim per precẽ, sicut cæteri Patres in mysterijs Canonem.

Testimonia Patrum de Canone Missæ.

Huic Canoni nostro dat beatus pater Augustinus præclarum testimonium, Epistola 59. ad Paulinũ, ubi dicit se in uerbis illis, quæ Apostolus Paulus scribit. 1. Timoth. 2. Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillã uitam agamus, in omni pietate & castitate, &cę. hoc intelligere, quod omnis, uel pene omnis frequentat Eccle-

Precationes.

sia, ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequã illud quod est in dñi mensa incipiat benedici.

Orationes.

Orationes autem, cum benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quã totam petitionem fere omnis Ecclesia dominica oratione cõcludit (nota hoc de Canone dictum) Ad quem intellectũ (ait consequenter) etiam uerbi Græci origo nos adiuuat, εὐχὴ enim uotum est, Vnde προσευχὴ, ea proprie intelligenda est oratio, quam facimus ad uotum, uouentur autem omnia, quæ offerũtur Deo, maxime sancti altaris oblatio, quo Sacramento prædicatur nostrum aliud uotum maximum, quo nos uouimus in Christo esse mansuros, utiq; in compage corporis Christi, cuius rei Sacramentũ est, quod unus panis, unum corpus multi sumus. Ideo in huius sanctificatione, & distributionis præparatione, existimo Apostolũ iussisse proprie προσεύχας fieri. Interpellatio-

Interpellationes.

nes autem fiunt cũ populus benedicitur. Tum em̃ Antistites uelut aduocati, susceptos suos per manus impositionem misericordissime offerunt potestati. Quibus peractis, & participato tantũ Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit, quã in his etiã uerbis ultimam commendauit Apostolus. Ita Augustinus: Iam si uerba illa expendere, & animaduertere uoluerimus, comperiamus illo etiãtẽpore, Missas celebratas eo modo quo nunc celebrantur.

Bifariam aguntur in Missa gratiæ.

Quod autem dicit gratiarum actionem omnia concludere, non est de illa gratiarum actione intelligendum, quæ consecrationem prẽcedit, quam orationi principali includit, sed de altera, qua responsione ad Ite Missa est, uel ad Benedicamus domino. Deo Gratias.

Chryſoſtomus enim homilia 83, in Matthæum teſtis eſt, nos in Miſſa bis gratias dicere, quod & Chriſtus fecit: Gratias enim egit, antequam diſcipulis ſuis daret, ut etiam nos ab actione gratiarum incipiamus. Et gratias egit, poſteaquam dedit, & hymnum cecinit, ut nos quoque ſimiliter faciamus.

AN SINE PRECE CANONICA Eccleſiæ conſecratur Sacramentum.

Error eorũ, qui ſe credunt abſq; Precibus & inuocatione conſecrare.

HIc poſtulat neceſſitas ut indicemus uehementem prorſus inſaniam eſſe, quod nunc quidam arbitrantur ſe conſecrare Sacramẽtum corporis & ſanguinis Chriſti, ſine Catholica prece, quẽ Canonem appellamus, & abſq; inuocatiõe nominis diuini, ſuper dona propoſita, ſed tantũ recitatione ſeu lectione uerborum Pauli. 1. Corint. 11. Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, &cę. Quum Apoſtolus ille ſolum hiſtorice narret facta, quæ Chriſtus geſſit: non autẽ ut formã aliquam conſecrandi tradat, qua ſacerdos Eccleſiæ miniſter, cum inuocatione ñominis diuini propoſita dona benedicat & ſanctificet, nõ utiq; que ſuis, ſed omnipotentibus domini noſtri Ieſu Chriſti uerbis.

Atque hic primum cernitur Magnum illum Baſilium prudenter & recte dixiſſe, libro de ſpiritu ſancto, capite 27. Si aggrederemur nõ ſcripto proditas conſuetudines, uelut non magnam uim habentes reijcere, imprudentes etiã ipſis principalibus Euangelij partibus damnũ inferremus. Probat hoc pluribus exemplis. In quibus meminit etiam uerborum inuocationis nominis diuini, quæ dicuntur quando ſanctus Euchariſtiæ panis, & calix benedictionis populo oſtenduntur, quæ ab Apoſtolis nõ reperimus ſcripta, ſed tradita tantũ. Quis enim (inquit) ſanctorum uerba illa nobis ſcripto reliquit? Et quid aliud uir ille beatus uult inſinuare, quã Sacramento ipſo carituros tandem & deſtituendos, qui uerba conſecrationis a Patribus accepta, quæ ſuccedẽtes illi ordine continuo, alij ab alijs acceperunt, & quaſi per manus, ut dicitur, tradiderũt, noluerint attendere & obſeruare?

Nec eſt difficile iſtud in rẽ ſimili, aliorum Sacramentorum formis euincere. Chriſtus docuit Apoſtolos baptizare, dicens: Ite & baptizate omnes gentes, In nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Quis autem tam obtuſo eſt ſenſu, ut auſit dicere, ſacerdotem, qui recitat aut legat uerba Euangelij de inſtituto baptiſmo, non autẽ pronũciet eſſentialis baptizandi

zandi formæ uerba: Ego te baptizo, in nomine patris,& filij,& spiritus sancti,puerum uere & rite baptizare? præsertim cum sacerdos id faciens non obeat Ecclesiæ ministerium, nec quicquam ad puerum dicat,sed uerba tantum legat historiæ: Nec fungatur legatione pro Christo,tanquam Deo per ipsum baptizante, sed rem gestam recitet tãtum. Ita plane & hic necesse est arbitrari,si quis recitet, aut relegat tantum historiam institutionis huius Sacramenti, quomodo illa in Paulo conscripta est, non inuocet autem tanquam Ecclesiæ minister,nomen Dei super dona proposita panis & uini, nec item consecrationis uerba dirigat ad hostiam præsentem,hunc talem nequaquam consecrare, nec uerum Sacramentum secundum Ecclesiæ Catholicæ sensum & traditionem efficere.

Aliter profecto censuerunt & fecerunt sancti Patres Orientalis & Occidentalis Ecclesię. Imo & Apostoli: inuocarunt enim super hostiã, uelut Ecclesiæ ministri nomen Dei,eamque solenni prece consecrarũt. Quod & Gregorius ipse in eadem illa epistola testatur, Epistola 63.ad Iohannem Syracusanum. Atque ita hactenus in Ecclesia Catholica doctum & prædicatum fuit. In qua sacerdos ita inuocat: Hanc oblationẽ quæsumus omnipotens Deus, ut in omnibus Benedictam, Assciptã, Ratã,Rationabilẽ, Acceptabilemq; facere digneris,ut nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi filij tui dñi nostri Iesu Christi. Qui pridie quã pateretur,accepit panem in sanctas ac uenerabiles manus suas,& eleuatis oculis &cęt.Que uerba deinde in persona Christi,tanquam minister eius prosequitur & pronunciat. *Solennia uerba quæ consecrationem præcedunt.*

Miretur,oportet homines istos,qui uetustissimum Dionysium,& reliquos Patres antiquos legerit, quorum multitudinẽ ut breuitati studentes prætereamus. Quoties beatus Chrysostomus prolixæ & sacræ orationis in consecratione Eucharistiæ facit mentionem? De sacerdotio libro tertio ait: Cum astat Pontifex,is preces diuturnas fundit, quo gratia in sacrificium influat,&c. Missa Græcorum prodit, quod Episcopus se erigat signetque (proculdubio crucis signo)oblationem,& dicat: Fac o domine hunc panem præciosum corpus Christi tui, Amen. Et in calicem dicat: Quod in calice est,fac pretiosum sanguinem Christi tui,transmutans spiritũ tuo sancto.

Theophilactus in cap.14. Marci, super illud accepto Iesus pane, cum gratias egisset,&cę.dicit & nos gratias agere, sicut fecit Christus: Preces quoque adiungere,& dicere: Hoc est corpus meum.

Non enim figuram tantum & exemplar dominici corporis panem esse, sed in illum transelementari. Quoties Iustinianus in Nouellis constitutionibus de Ecclesiastic. diuer. capitu. meminit sanctorum & Canonicarum orationum in sacrificio? Et in Latinorum Ecclesia, quoties Ambrosius consecrationis meminit Libro de Sacramẽtis quarto, capite quinto, ad uerbum fere recitat formam cõsecrationis Canoni nostro insertam. Et habentur uerba eius in can. panis, de consecratione, distinctione secunda. Item in can. ante benedictionem, qui est sumptus ex libris officiorum Ambrosij: Ante benedictionem illa species nominatur, post benedictionem corpus.

Idem facit Augustinus frequentius, cuius plurima dicta iam allegauimus. Præter quæ & contra Faustum Manichæum libro uigesimo, capite decimotertio legitur: Noster panis & calix certa consecratione, mysticus fit nobis: non nascitur. proinde quod non ita fit, quamuis sit panis & calix, alimentum est refectionis, non Sacramentum religionis. Item alio loco facit expressam mentionem de prece mystica, qua illud, quod ex frugibus terræ acceptum est, consecratur & sumitur ad salutem spiritualem, libro quarto de Trinitate. & habetur in can. corpus, de consecratione, distinctione secunda. Item libro Sententiarum Prosperi: Nos in specie panis & uini, quam uidemus, res inuisibiles, id est, carnẽ & sanguinem honoramus, nec similiter cõpræhendimus has duas species, quemadmodum ante consecrationẽ compræhendebamus. can. nos autem, eadem distinctione. Ante quorum Patrum tempora beatus martyr Cyprianus, illum tantum panem & calicem pro dignissimo Sacramento uenerabatur, qui fuisset Catholica consecratione sanctificatus. Panis (inquit) iste substantialis, & calix benedictione solẽni sacratus, ad totius hominis uitam, salutemque proficit, & cæt, in sermone de cœna domini.

Vnum tantum antiquissimi Irenæi uerbum libuit dictis adijcere. Is enim libro quarto, capite tricesimoquarto, dicit panem, qui percipiat inuocationem Dei, fieri Eucharistiam, & cæt. Iam uerò qui Canonem non habent, nec Deum inuocant, nec uerba ad dona proposita dirigũt, ac proinde non consecrant, sed legunt tantum historica Apostoli Pauli uerba, quibus narrat institutionem Christi, nõ autem quomodo Paulus ipse uerba illa super panem & uinum solitus sit pronunciare, quando corpus cõsecrauit & sanguinem domini, quomodo dici queat istos consecrare?

Interpres

AD LECTOREM.



NTer tam̃ multas tamq; immanes perſequutiones, quas ab exordio ſuo ad hæc uſque ſecula ſuſtinuit Eccleſia Chriſti, grauiſſimi quique eius hoſtes fraude magis ac dolo, q̃ aperta ui Eccleſiam farigarunt. Tormentis enim agitari potuit, non corrumpi uel infici. Verum prauis dogmatis, hæreſibus, argutiſſimorumque philoſophorum ſcriptis ſollicitata, ſæpius diſcindebatur, debilitabatur & languebat, adeo, ut interdum opprimi pene & extingui crederetur. Porphirius Syracuſanus, Libanius Sophiſta, Apoſtata Iulianus, Symmachus Romanus, Patritius, magnam orbis partem, ſcriptis aduerſus Chriſtum libris blaſphemis, in Ethniciſmo continuerunt, plurimosq; a fide auerterunt Chriſtiana. Paulus Samozatenus, Nouatus, Arrius, & reliqui hæretici, plus potuerunt uenenatis ſuis dogmatis, q̃ Diocletianus igni, ferro, beſtijs, equuleis, & omnium generum quęcunq; Tyrannorum crudelitas unquam potuit excogitare tormentis. Natalis confeſſor, qui in tormentis uicerat, ab arte monitis, a celſitudine illa deflectitur. Maximum presbyterum Romanum, Vrbanum Sydonium & Celerinum, qui clariſſimi in confeſſoribus habebantur, eo quod omnia tormentorum genera ſuperaſſent, Nouatius decepit: & nullis uicti tormentis, atq; ad omnia fortes, ſola hæreſi frangebantur. Quantum malorum Sergius & Mahumetus, qui ad hæc uſq; tempora Eccleſiam perſequuntur, ſuis fraudibus inuexerunt? Quot prouincias fide & Chriſtianæ religionis obſeruantia quondam illuſtriſſimas, nepharia imbutas doctrina, a Chriſto abalienauerunt? Maximinus Thrax ille Romanor̃ Cæſar, confinxerat acta, quæ referrẽt cauſam aduerſus Chriſtũ apud Pilatũ dictã, infandis & execrabilibus referta criminibus, quę publico edicto iubebat per oẽs prouincias uulgari, Præceptoribusq; qui iuuentutẽ literis inſtituebant tradi, uti pro his quæ ad meditandũ uel ediſcendũ tradi ſolent, hæc traderet memorijs eor̃ cõmendanda. Obſecro te Lector an non idem faciunt modo hæretici? Hic ſcribit Grãmaticen, Dialecticen, Rethoricen: exempla dantur de dogmate hæretico. Cur quæſo? niſi ut tenerã iuuentutẽ a prima ætate corrumpant, magnisq; aptent hæreſibus. Et ne deſit quo etiam adulti, tam indocti q̃ docti ſeducantur, Alius hiſtorias ſcribit nõ ueras, in quibus pijſſimos quoſq; religionis noſtrę cultores nullis uicijs non contaminat, malos laudibus attollit.

Alius ſacras ſcripturas uertit, reuerrit, ſemper quærit quod emendet: quia nihil rectum putat. Alius conſpurcat annotationibus. Alius dicit eſſe ſtramineas. Interea Eccleſia catholica, quæ ſine ſcriptoribus iſtis fuit Chriſtiana, quaſſatur: Chriſtus in corpore ſuo, qđ eſt Eccleſia, ſuſtinet perſequutiones, diſcinditur, conuellitur. Nec his malis exaciati hæretici, auferri ſatagunt ab Eccleſia & iuge ſacrificium, Sacramentum inquam corporis & ſanguinis Chriſti.

Ad quod facinus perficiendum, Martinus Lutherus ſacerdotia poſtluit, ſacras ædes prophanat, euertit altaria, Miſſam proculcat, tremenda illa & adoranda potius quam curioſe inueſtiganda myſteria nephario & ſcelerato auſu publicat, uertit Canonem Miſſæ in linguam Teutonicam, idque hæreticorum more, perfide & infideliter: Deinde etiam commentario blaſphemo ſimul ac ſcurrili ita defœdat, conſpurcat, & ludibrio adficit, ut nihil poſſit contemptius abiectiusque uideri: atque hoc ornatum modo, omnibus publicat, bonis & malis, ſimplicibus, rudibus, ſceleratis etiam & myſteriorum minime capacibus, iudicandum & deridendum. Quid poteſt autem atrocius, ſceleratiusque excogitari? Atque his artibus inſultat ille Eccleſiæ Chriſti: ſimplicem uero & incautam plebem, ſine ulla miſeratione diabolo triumphanti tradit captiuam.

Cum autem hæreticorum ſentina undequaque Bonnam confluaret, cœpit illic & Canon modo quo diximus illuſtratus, atque per uirum quendam Bonum lingua uernacula Colonienſi percommode donatus, uidelicet ne ſtridor Saxonicæ linguæ legentibus officeret, circunferri, per plateas, per compita, per domos, & omniū fere manibus teri. Quæ cauſa fuit ut Delecti a Collegio Metropolitano Colonienſi operæprecium ſe facturos exiſtimarent, ſi in linguam Teutonicam bona fide Canonem transferrent: Cum ut Maſtigiarum iſtorum fraus omnibus appareat, tum etiam Laici pij, quamuis indocti, quibus alias non fit Teutonica eius copia, legant, cognoſcantque, quam immerito cachinnentur & calumnientur eum Hæretici. Non libenter quidem prodiderunt myſteria, quæ Patres, ut Baſilius ille Magnus ait, ſemper in occulto ſeruauerunt, propter uenerationem maiorem. Quod publicatur enim labefactatur. At quod actum eſt, hæreticorum importunitate in neceſſitatem hanc impulſi fecerunt. Sed iam ad librum regrediór, eiſdemque de cauſis Canonem rurſus ſuæ linguæ reſtituo.

Obſe-

Obsecro autem te lector, ut religiose & cum timore Dei, quæ in Canone lecturus es, suspicias, admittasq; in animum quod Origenes in Numeris homilia quarta dicit: Si res poscit proferre & imperitioribus mysteria aperire, ne nuda proferat ea sacerdos; ne aperta ostendat: alioquin homicidium facit, & exterminat plebẽ. Exterminatur enim omnis qui secreta & ineffabilia sacramenta contigerit, nondũ meritis & scientia in sacerdotij ordinem gradumq; translatus. Cogita quoq; non humana esse, neque ab hominibus inuenta, sed a Spiritu sancto Ecclesiæ tradita, apostolorum ministerio. Ita enim Augustinus ad Ianuarium scribit: Apostolus Paulus de hoc sacramento loquens, Cætera (ait) cum uenero ordinabo. Vnde intelligi datur, quia multum erat ut in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem uniuersa per orbem seruat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse: quod nulla morum diuersitate uariatur.

Quo Canon maior qui incipit, Te igitur clementissime Pater per Iesum Christum, &c. a coniunctione rationali (Igitur) quæ in præcedens aliquod unde colligat respicit, in Secretam uidelicet orationem, quæ super oblata panis & calicis munera ante præfationem dicitur, facilius possit intelligi, damus priusq; Canonem ipsum exordiamur, unam aliquam talem Secretam, cum Præfatione & Hymno Angelico, ut sic ordine suo Canon ex precedentibus sequatur.

ORATIO SECRETA, QVÆ DICItur in Missa diei Cœnæ Dominicæ.

IPse tibi quæsumus Domine sancte, Pater omnipotens, Æterne Deus sacrificium nostrum reddat acceptum, qui discipulis suis in sui commemorationem hoc fieri hodierna traditione monstrauit, Iesus Christus filius tuus Dominus noster. Qui tecum

uiuit & regnat in unitate Spiritus sancti,

Per omnia secula seculorum.

Responsio. Amen.

PRÆFA-

PRÆFATIO COMMVNIS.

Sacerdos dicit: Dominus uobiſcū. Reſpõſio: Et cum ſpiritu tuo. Sacerdos: Surſum corda. Reſponſio: Habemus ad Dominum. Sacerdos: Gratias agamus dño Deo nr̃o. Reſ. Dignū & iuſtum eſt. Sacerdos: Vere dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare. Nos tibi ſemper & ubiq; gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, Æterne Deus, per Chriſtum dominum noſtrum: Per quem maieſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates, Cœli, cœlorũq; uirtutes, ac beata Seraphim, ſocia exultatione concelebrant. Cum quibus & noſtras uoces, ut admitti iubeas deprecamur, ſupplici confeſſione, dicentes:

HYMNVS ANGELICVS.

SAnctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Zebaoth. Pleni ſunt cœli & terrà gloria tua, Hoſanna in excelſis.
Benedictus qui uenit in nomine Domini, Hoſanna in excelſis.

CANON.

CANON.

TE igitur clementissime Pater, per Iesum Christum filium tuū dominum nostrum supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas & benedicas, hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata. In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, una cū famulo tuo Papa nostro. N. & antistite nostro. N. & rege nostro. N. & oīmibus orthodoxis, atq; Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus.

Memento domine famulorum famularumque tuarum. N. & omnium circunstantium, quorum tibi fides cognita est & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, uel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisq; omnibus, pro redemptiōe animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ, tibiq; reddunt uota sua æterno Deo, uiuo & uero: communicantes, & memoriam uenerantes, in primis gloriosæ semp uirginis Mariæ genitricis Dei, & domini nostri Iesu Christi, sed & beatorum Apostolorū, ac Martyrum tuorū, Petri, Pauli, Andreæ, Iacobi, Iohannis, Thomæ, Iacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Symonis & Thadæi, Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Cornelij, Cypriani, Laurentij, Chrysogoni, Iohannis & Pauli, Cosmæ & Damiani, & omniū sanctorum tuorum, quorum meritis, precibusq; concedas, ut in oīmibus protectionis tuæ muniamur auxilio, Per eundem Christum dominum nostrum, Amen. Hanc igitur oblationē seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ quæsumus domine ut placatus accipias, diesq; nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorū iubeas grege numerari, Per eundem Christum dominum nostrum.

Quam oblationē tu Deus in omnibus quæsumus Benedictam, Adscriptam, Ratā, Rationabilē, Acceptabilemq; facere digneris, ut nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi filij tui domini nostri Iesu Christi.

Qui pridie quam pateretur accepit panem in sanctas ac uenerabiles manus suas, & eleuatis oculis in cœlū ad te Deum patrem suum oīmipotentē, tibi gratias agēs, bñdixit, fregit, & dedit discipulis suis, dicēs:

Accipite & manducate ex eo omnes: HOC EST ENIM CORPVS MEVM.

Simili modo postquā cœnatum est, accipiens & hunc præclarū calicem in sanctas & uenerabiles manus suas, item tibi gratias agens, benedixit & dedit discipulis suis, dicens:

ACCIPITE & bibite ex eo omnes: Hic est enim calix sanguinis

mei,noui & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro uobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hæc quotiescunque feceritis,in mei memoriam facietis.

Vnde & memores domine,nos tui serui, sed & plebs tua sancta, eiusdem Christi filij tui domini Dei nostri,tam beatę passionis,nec non & ab inferis resurrectionis,sed & in cœlos gloriosæ ascensionis, offerimus præclare maiestati tuæ de tuis donis ac datis,hostiam puram, hostiam sanctam,hostiam immaculatam,panem sanctum uitæ æternæ,& calicem salutis perpetuæ. Supra quæ propicio & sereno uultu respicere digneris, ac accèpta habere. Sicuti accepta habere dignatus es,munera pueri tui iusti Abel,& sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ,& q̃d tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. Supplices te rogamus omnipotens Deus, iubę hæc perferri per manus sancti angeli tui, in sublime altare tuũ, in conspectu diuinę maiestatis tuæ, ut quotquot ex hac altaris participatione, sacrosanctum filij tui corpus & sanguinem sumpserimus,omni benedictione cœlesti & gratia repleamur, Per eundem Christum dñm nostrũ.

Memento etiam domine famulorum famularumque tuarum,qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. N.

Ipsis domine,& omnibus in Christo quiescentibus,locum refrigerij, lucis & pacis,ut indulgeas deprecamur, Per eundem Christum dominum nostrum.

Nobis quoque peccatoribus famulis tũis,de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam & societatem donare digneris,cum tuis sanctis Apostolis & Martyribus, Cum Iohanne, Stephano,Matthia,Barnaba,Ignatio,Alexandro,Marcellino,Petro,Felicitate,Perpetua,Agata,Lucia,Agnete,Cecilia,Anastasia,& cum omnibus sanctis tuis. Intra quorũ nos consortium, non æstimator meriti, sed ueniæ quęsumus largitor admitte, Per Christum dominum nostrũ.

Per quem hæc oñia domine semper bona Creas, Sanctificas, Viuificas,Benedicis,& præstas nobis. Per ipsum,& cum ipso,& in ipso, est tibi Deo patri oñipotenti, in unitate spirituſſancti, oñis honor & gloria. Per oñia secula seculorum. Responsio. Amen.

Oremus: Præceptis salutaribus moniti,& diuina institutione formati,audemus dicere;Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuũ. Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Panẽ nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra,sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Responsio. Sed libera nos a malo.

Hic quondã finiebatur Canon, & quod sequitur Emboliſmum seu excrescentiam appellarunt.

Libera

Libera nos quæsumus domine ab omnibus malis, præteritis, præsentibus & futuris,& intercedente beata & gloriosa semp uirgine Dei genitrice Maria, & beatis Apostolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea, cum omnibus sanctis tuis, da propicius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiæ tuæ adiuti,& a peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi, Per eundem dominum nostrũ Iesum Christum filium tuum, qui tecũ uiuit & regnat in unitate spiritussancti Deus,Per omnia secula seculorum. Responsio: Amen.

Pax domini sit semper uobiscum. Respõsio: Et cum spiritu tuo.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nobis.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nobis.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi,dona nobis pacem.

Quando sacerdos consecratæ hostiæ partem mittit in calicem orat:

Fiat hæc commixtio corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi,omnibus nobis sumentibus salus mentis & corporis,& ad uitam capessendam æternam prꝑparatio salutaris.Per eundem Christum,Amẽ.

Sequentes orationes ad Canonem non pertinent, sed sunt orationes priuatæ, quæ in Missalibus quibusdam nonnunquam uariantur.

Deinde sacerdos dat osculum pacis,dicens:

Domine Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem meam do uobis,pacem relinquo uobis,ne respicias peccata mea,sed fidem Ecclesiæ tuæ,eamque secundum uoluntatem tuam pacificare, & coadunare dignare,qui uiuis & regnas cum Deo patre,&c.

Interea dat sacerdos pacem, dicens: Habete uinculum pacis & charitatis,ut apti sitis sacrosanctis mysterijs Christi. Pax Christi & Ecclesiæ abundet in cordibus uestris. Responsio:Pax tecũ ab Ecclesia Chri.

Oratio ante communionem.

Domine Iesu Christe fili Dei uiui,qui ex uoluntate Patris cooperante spiritu sancto, per mortem tuam mundum uiuificasti, libera me per hoc sacrum corpus & sanguinem tuum,ab omnibus iniquitatibus meis & uniuersis malis,& fac me tuis semper obedire mandatis, & a misericordia tua nunquam in perpetuum separari. Qui cum eodem Deo patre in unitate eiusdem spiritussancti, uiuis & regnas Deus,&c.

Perceptio corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi proficiat animæ meæ & corpori meo in uitam æternam. Perceptio corporis & sanguinis tui domine Iesu Christe,quã indignus sumere præsumo,non mihi proueniat ad iudiciũ & condẽnationem,sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum animę & corporis, Amen. Corpus domini nostri Iesu Christi cũstodiat animam meã in uitam æternam, Amen.

Facta communione, dicitur oratio quam Complendā appellāt. Hanc sequitur deinde benedictio.

Peracto Missæ officio dicit sacerdos:

Placeat tibi sancta Trinitas obsequium seruitutis nostrę, & prę-sta, ut hoc sacrificium quod oculis tuæ maiestatis indignus obtuli, sit tibi acceptabile, mihiq; & omnibus pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile. Qui uiuis & regnas Deus per omnia secula seculorum. Amen.

FINIS MISSÆ.

Postremo aduersarij & hoc quoq; oppugnant, quod Missa peracta dicit sacerdos in oratione, Placeat tibi &c. mihi & omnibus pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile. Quod ita traducūt, quasi faciat sacerdos de Missa propiciatorium sacrificium, ad derogandum propiciatorio illi quod pependit in cruce &c. Cæterum nō est momenti alicuius obiectio ista: cum ante declaratum sit quale sacrificium sit Missa. Vnde certe præter omnem propiciatorij illius sacrificij in cruce oblati imminutionē, pie orari potest, ut Deus alia etiam sacrificia nostra spiritualia, quales sunt, orationes, eleemosynæ &c. dignetur acceptare, & per ea propicius nobis fieri. Imo ne is quidem statim reprehendi deberet, qui Missam propiciatorium sacrificium forte appellaret, propter sacrificium propiciatoriū in cruce oblatum, quod Missa repræsentat. Si enim ueteris testamenti sacrificia sine offensione & absq; iniuria propiciatoria, imo expiatoria appellantur, hac sola de causa, quod uerum Christi sacrificium, quod futurum erat unica pro peccatis totius mundi oblatio, figurabant. Item si patres ueteris testamenti quando talibus cæremonijs usi sunt, ipsoq; usu confessi, se credere, quod propter Messiam promissum dimitterentur eis peccata, remissionem peccatorum in ea fide sunt consequuti. Quare non permittatur nobis absq; reprehensione Noui Testamenti oblationem uocare propiciatorium aut expiatorium sacrificium? ob id quod sit imago sacrificij illius semel oblati in cruce, sicut dicit beatus Chrysostomus. Præsertim cum spiritualiter utentes hoc sacrificio, hoc est, confitentes, nobis uirtute passionis Christi, & sacrificij in cruce oblati (quod mystice & commemoratiue nostro sacrificio exhibemus) remitti peccata, impretemus nobisq; applicemus remissionē peccatorum.

Sacramentum altaris quatenus dici possit propiciatoriū

In Missa Chryso. fit oblatio pro concelebrantiū & populi peccatis.

QVÆ MOLIATVR REFORMATIONIS

Liber aduersus hæc.

Aduer.

Aduersus omnia illa, quæ de sacrificio Eucharistiæ & tota Missa iam dicta sunt, & tam sacræ scripturæ testimonio, q̃ uniuersali traditione Ecclesiæ sunt probata, liber ille multis modis insanit.

Primum dicit Christum cœnam suam tãtum communionis gratia instituisse. Folio 101. facie 2.

Quasi Christus in cœna sua nullum sacrificium nouum instituerit, neq; Apostolis & eorum successoribus, usum eius in hoc Sacramento commendauerit, atq; adeo reliquerit Ecclesiam suam sine omni sacrificio externo.

Aufert item liber ille Ecclesiæ sacrificium, & in conficta ista de obseruanda cœna domini formula, nullius sacrificij meminit, uide folio 105. & seq. Neq; itẽ sub titulo de sacrificio Christiano, ubi hoc tantum appellatur Ecclesiæ sacrificium, quod pro pauperibus offertur. Fol. 70.

Quo uero errori suo fuco aliquo patrocinentur, affingit liber ille Patribus, qui hanc actionem frequenter sacrificium & oblationem uocant, nouum sensum, quasi aliud nihil eo nomine intellexerint, q̃ sacrificij memoriam aliquam. Folio 99. facie 2.

Cum tamen ueteres Patres, & præcipue Augustinus testentur, hanc sacrosanctam actionẽ, non pro qualibet commemoratiõe sacrificij crucis, q̃ certe & extra Missam fieri potest habendã, uerũ potius uerissimũ esse, & præcipuum Catholicæ Ecclesiæ sacrificiũ. Idq; propter quadruplicem oblationem, quam diximus in ea pie offerri.

Præterea liber negat actionem hãc esse sacrificiũ, quãlibet sacerdos applicet eã. Imo uult ad sacerdotem in actione ista, non plura pertinere, q̃ ut instruat cænã, exponat præsentibus Sacramenti mysteria, fidem eorũ excitet, ac postea Sacramẽtum administret. Atq; ita de rebus istis pronunciat liber, quasi nequeat sacerdos in Missa, dominum nostrũ Christũ Patri figuraliter & mystice offerre. Fol. 99. fa. 1. & seq.

Ad hæc uim & iniuriã Ecclesiæ Christi infert, ubi dicit, hactenus in Ecclesia prædicatũ fuisse, & adhuc doceri, Sacerdotem ad hoc offerre Patri Christũ, ut intentione & oratione sua faciat eum esse nouum & acceptabile sacrificium pro hominum salute, & quasi meritum passionis Christi applicet, distribuatq; illis, qui nulla fide idipsum appræhendunt. Quasi denique populo persuaserimus, opus sacerdotis externum, & sacrificium, quod patri pro peccatis nostris proponitur, tãtæ esse uirtutis & efficaciæ, ut astãtes iuuentur eo in corpore & anima, hic & in uita futura, non obstante q̃ simul interim in omnis generis peccatis & criminibus Deo & conscientiæ manifeste contrarijs sint & permaneant.

Licet etiam e Missa nihil percipiant amplius q̃ ut aspiciant tantũ quasi spectaculum quoddam sacerdotis actionem, Folio 98. fa. 2. & fol. seq.

Quod tamen omne confictum est, ut supra diximus.

Item nos sanctam istam actionem uertere in opus pure humanum, atq; hinc præsumere homines contra Deum & dominum Christum, eo quod Missa in peccatis & contemptu Christi q̃ maxime confirmentur, fiantq; securi. In summa, diuinam maiestatem & Iesum Christum regem gloriæ non posse grauius lædi q̃ hoc abusu: ita enim Missam appellant, atque adeo prædicantes debere huc incumbere, ut homines ab hac falsa fiducia, in quam hactenus adducti fuerunt, abstrahantur. Fol. 99. fac. 1. & seq.

Abrogat & damnat Missam totius Ecclesiæ Christi, quæ præcipue in Canone consistit. Canonem aufert: & quæ præter illum sunt mutat pro arbitrio in nouum quendam ritum, hactenus non auditum in Ecclesia, neque unquam receptum. Folio 110. facie 2.

Quod uero maxime omnium horrendum est, confingitur & instituitur in hoc libro, ex proprio sensu noua quædam Missa, in qua nulla fit consecratio cum inuocatione nominis diuini: ita ut necesse sit totum populum clementiss. Principi nostro subiectum, ubi ad hanc doctrinam suscipiendam fuerit adactus, crudelissime & impie priuari uero corpore & sanguine Christi.. Vide folio 110. facie 2. ubi sacerdoti præcipitur, ut hymno sanctus decantato, sine omni inuocatione aut prece canonica, mox uerba Apostoli Pauli quibus recitat institutionem huius Sacramenti, nempe: Dominus Iesus Christus &c. singulari grauitate decantet. Ac confestim ubi populus responderit Amen. pari modo decantet & Pater noster, atque deinde populum communicet.

In commentitia hac Missa non oratur pro Papa, summo spiritualis status Pontifice: Nec fit ulla memoria sanctorum qui cum Christo uiuũt: Cum tamen hoc ab Apostolorum tempore factum sit in Ecclesia. Tantum abest ut memoria habeatur animarum, quæ cum signo fidei hinc discesserunt.

Cum sancti patres dicant, & præcipue Ambrosius lib. 1. Officiorum, capite 50. Oblationes populi (in quibus est uotorum solutio) adferri debere ad sacerdotem, & c. Scripturæ quoq; sit conforme ut oblationes fiant ad altare, easq; sacerdos benedicat. Id quod a tempore etiam apostolorum in uniuersa Ecclesia obseruatum fuit.

Nihilo-

Nihilominus uult liber ille, ut oblationes huiuscemodi non sacerdoti ad altare, sed curatoribus potius secularibus, offerantur, tradanturque, & abijs in gazophilatium pauperum reponatur. Folio. 109. facie prima.

Sic ubi Ambrosius scribit sacerdotes electos, ut arcam testamenti operiant, quod non liceat omnibus altitudinem mysteriorum uidere. Et ante Ambrosium, Magnus ille Basilius li. de spiritu sancto, ca. 27. Apostolos & Patres, qui ab initio res Ecclesiasticas sanciuerunt in occulto ac silentio mysterijs autoritatem conseruasse. Neque enim (ut ait) omnino mysterium est, quod ad populares & uulgares aures offertur, sicut iam ante rectissime scripserat. Ei quod publicatum est, & per se apprehendi potest imminere contemptum. Quod uero remotum est, ac rarum etiam naturaliter quodammodo esse coniunctam admirationem. Quomodo & Christus docet, ne spargantur margaritæ ante porcos, &cæt.

Vbi Reformationis liber iubet, uerba institutionis huius sacramenti, In qua nocte, &c. quæ liber ille arbitratur esse consecratiõis uerba (si tamen eius autores, qui clementissimum principem nostrum praua informatione huc impulerunt, quicquam de consecratione credant) clara uoce canere.

Quod certe pessime fit, hoc potissimum tempore, quo disciplina Christiana collapsa est, nec ullum habetur discrimen inter plebem Sanctam, Pœnitentes, Energũmenos, Criminosos. Imo interdũ multis in locis, nec inter Ecclesiæ membra, qui intus sint, aut qui foris, hoc est excõmunicatos. Siquidẽ Ecclesia olim, cũ longe melior disciplina uigeret, etiam orationem illam, quæ ante consecrationem super oblationem dicebatur, Secretam appellabat: Græci uero mysticam orationem, propterea, quod non deberet omnibus temere publicari, &c.

Quod autem liber Reformationis prætensæ, hæc omnia tradat, reperies folio 110. facie secunda.

Iam quomodo hæc aliaque plurima, quæ in libro Reformationis continentur, cum mandato Christi, Apostolicis traditionibus, uniuersa Catholica Ecclesia, antiquis illis & sanctis Patribus, & toto orbe recepta consuetudine conueniant, prolixe satis demõstrauimus.

De Sacramen

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ & eius administratione.

Christus ipse sacramentũ Absolutionis instituit.

CAtholica Christi Ecclesia a tempore apostolorũ, docuit Christum dominum sacramentum pœnitentiæ siue absolutionis instituisse. Matthæi 16. & 18. uerbis illis: Quodcunq; ligaueritis super terram erit & ligatum in cœlis, & quodcũq; solueritis super terram, solutum erit & in cœlis. & Iohannis 20. ubi textus habet, Hæc cum dixisset Iesus, insufflauit in eos: nimirum apostolos, dicens eis: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorũ retinueritis, retenta sunt. Quibus uerbis intellexit Ecclesia Christum dominum apostolis dedisse claues, non solum potestatis, sed & scientiæ ac discretionis. Sine claue enim scientiæ, potestatis clauis cæca foret.

DE SECRETA CONFESSIONE aut Absolutione.

QVapropter sancti patres quotquot de hac re scripserunt, concluserunt ex his Christi uerbis, quod omnis qui peccatis fuerit oneratus, quæ conscientiam eius ream teneant crucientq;, debeat adire suum proprium sacerdotem, eiuscemodi peccata distincte confiteri, & ab eodem poscere informationem, medicinam & iudiciũ, & quicquid deniq; canonicæ satisfactionis noĩe sacerdos tanq̃ medicus spũalis sibi imposuerit, anĩo uolũtario ad faciendũ suscipere: imo ante absolutionem reponere in arbitrium & iudicium sacerdotis, an statim confessione facta a peccatis sit absoluendus: an uero quousq; peracta sit pœnitentia, debeat absolutio differri. Considerato quod sacerdos in hoc sacramento spiritualem quendam medicum agat, cuius munus est uulnerum uicia indagare, diligenterq; prospicere, ut ab imo sanentur, quo nulla obducentur cicatrice, priusq̃ perfecte sint curata. Ita de his rebus docuerunt patres omnes, tam Orientalis q̃ Occidentalis Ecclesiæ.

Confessio secreta in uerbis Christi fundata, testimonium habet tam Orientaliũ q̃ Occidentalium patrum.

Clemens.

Clemens epistola prima, quam Ruffinus Presbyter interpretatus est, testatur hanc esse Petri doctrinam: ut si forte alicuius cor, uel liuor, uel infidelitas, uel aliquod malum latenter irrepserit, non erubescat qui animæ suæ curam gerit confiteri hæc, ei qui præest, ut ab ipso per uerbum Dei & consilium salubre curetur: quo possit fide integra & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetuæ

tuæ uitę præmia peruenire. Vbi Clemens de occultis peccatis diſerte loquitur. Sequitur enim: Intrinſecus latens amaritudo peccati, abiſcienda prorſus & emouenda eſt.

In Epiſtola Dionyſij ad Demophilū fit mētio ueteris moris, quo ſolebant impij ſe proſternere ad pedes ſacerdotis, confiteri, & peccatorū remedia querere. *Dionyſius.*

Tertullianus Exemologeſin faciētes, dicit presbyteris aduolui: & exigit, ut non ſolum facti, ſed & uoluntatis delicta, quæ in latebris occultantur pandamus, uidelicet, ne faciant peccatores, quod committere ſolent, qui morbum in uerecundioribus partibus contractū abſcondunt medicis, & cum erubeſcentia ſua pereunt, ut ſic peccator in Exemologeſi ſecunda ſubſidia ſtatuat. *Tertullianus.*

Ad eundē modum hortatur nos Origenes in pſal. 37. Vide (inquit) quid edoceat nos ſcriptura diuina. Quia ōportet peccatum non celare intrinſecus, fortaſſis enim ſicut hi, qui habēt intus incluſam eſcam indigeſtam, aut humoris uel flegmatis, ſtomacho grauiter & moleſte immanētia, ſi uomuerint, releuantur. Ita etiā hi qui peccauerunt, ſiquidē occultant, & retinent intra ſe peccatū, intrinſecus urgentur, & propemodum ſuffocantur a flegmate: tantummodo circunſpice diligētius, cui debeas confiteri peccatum tuū. Proba prius medicum, cui debeas cauſam languoris exponere. Eadē ſcribit in 2. cap. Leuit. In libro uero tertio Periarchon, cap. 1. dicit: Si quis non prius animæ ſuæ uitia, & peccatorum ſuorum cognouerit mala, ac proprij oris confeſſione prodiderit, purgari is abſoluiq; non poterit. *Origenes.*

Cui adſtipulatur beatus martyr Cyprianus ſermone quinto, de lapſis: Quamuis (inquit) nullo facinore ſint conſtricti, quoniam tamē de hoc uel cogitauerunt, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentur. Exemologeſim conſcientiæ faciūt, animæ ſuę pōdus exponunt, ſalutarē medelā, paruis licet & modicis uulneribus exquirūt, ſcientes ſcriptū eſſe: Deus non irridetur, &c. Et paulo poſt: Confiteantur ſinguli quæſo uos fratres, delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit in ſeculo eſt, dum admitti confeſſio eius poteſt, dum ſatisfactio & remiſſio facta per ſacerdotes, apud dominum grata eſt. Et alibi ad Clerum de modo agendi pœnitentiam dicit: Is demum ueram pœnitentiā agit, qui Dei & ſacerdotis præceptis obediēs, & obſequijs ſuis & operibus iuſtis dominum promeretur. *Cyprianus.*

Nicephorus. Nicephorus Cartophilax ad Theodosium Monachum, ita scribit: Ligandi, soluendiq; prouincia pontificibus ipsis a clementissimo Deo nostro demandata est. Siquidem ad Petrum ait: Quęcūq; ligaueris, ligata, & quæcunq; solueris, soluta erunt. Vnde olim omnes oportebat ad ipsos pontifices accedere, suaq; illis occulta prodere, & sui uel reconciliationem, uel repudium ferre. Ignoro autem qui factum sit, cur hæc minus obseruentur, quamuis existimem Pontifices, negotij tædio, frequentiq; multitudinis turbulentia defatigatos, id opere ad Monachos transmisisse, ad eos scilicet, q uere probati sint, & alijs ualeant esse utiles &c. Ibidem latius docet, quomodo ad confessionem adeundum sit, & quid sacerdoti agendum.

Basilius Basilius in regula Monachorum, capite 21. dat præclarum pro secreta confessione testimonium. Ait enim: Necessarium uidetur ijs, quibus dispensatio mysteriorū Dei commissa est, confitenda esse peccata. Quod probat per scripturam, Matth. 3. & Actorum 9. & cap. 15. exigit, ut etiam minora peccata confiteamur. Capite uero 98. meminit satisfactionis, quæ peccatori debeat imponi. Confessio (inquit) peccatorū hanc habet rationem, quam habet uulnus aliquod corporis, uel passio, quæ medico demonstranda est. Ita confessio peccatorū fieri debet apud eos tantummodo, qui curare hæc prævalēt & emendare.

Chrysostomus. Beatus Iohannes Chrysostomus libro tertio de Sacerdotio, ubi sacerdotalem dignitatem præclare extollit: Sacerdotibus (inquit) datum est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus, neque angelis, neque archangelis datam esse uoluit. Neque enim ad illos dictum est: Quæcunque alligaueritis in terra, erunt alligata & in cœlo, &cæ. Pater enim omnifariam filio potestatem dedit, cæterum uideo ipsam eandem omnifariam potestatem a filio illis traditam. Atqui potestas ista iudicandi, sine præcedente confessione exerceri non potest, quum cognitio & discretio iudicium debeant præcedere. Et infra: Insania manifestaria est, despicere tantum principatum, sine quo, neq; salutis, neq; promissorum bonorum compotes fieri possumus: hi sunt enim, qui non tantū regenerant nos in Baptismo, sed & peccata post baptismum remittūt, & ueteris testamenti sacerdotes longe exuperant, qui tantum potestatem habebant, probandi a lepra purgatos: At nostris sacerdotibus, non corporis lepram, uerum animæ sordes, non modo probare, sed & purgare prorsus concessum est.

Verus intellectus corū, quæ ex Chrysost. Ambro. & Tripart. historia obijci nobis solent.

Cæterū quę obijciunt nobis, ex eodē Chrysostomo in epist. ad Hebræ. homil. 31. 40. & 80. & homil. 2. in Psal. 50. ubi ait: Nō dico tibi, ut te prodas

prodas in publicum,neqꝫ ut te apud alios accuſes:non dico tibi, ut confitearis ſeruo tuo,ut exprobret,&c. Et quæ alibi forſan in eãdem ſententiam dicuntur,intelligi debent de pœnitentia publica, quæ ante tempora Chryſoſtomi, ſecundum peccati magnitudinem, iudicio ſacerdotis illis etiam interdum imponebatur agenda, qui ſecretius peccaſſent,& ſacerdoti ſecrete itidem fuiſſent confeſſi. Quod & ex Origene apparet in pſalm.37. Item apud Cyprianum in ſermone de lapſ. & in Concilio.3. Carthaginenſi,cui beatus Auguſtinus interfuit,ca.5. Quam conſuetudinem Conſtantinopolitanus Epiſcopus Nectarius,qui Chryſoſtomum proxime anteceſſit,abrogauit, propter ſcẽleratam transgreſſionẽ Diaconi cum matrona pœnitente. Et in Eccleſia quoqꝫ Romana, Leo Magnus conſuetudinem illam, quod nimium dura & rigida uideretur, ſuſtulit,ut ipſe Epiſtola 57. ad uniuerſos per Campaniam, Samnium, & Picænum Epiſcopos teſtatur. Ad eundem modum, quod de hac re libro 9.cap.35.hiſtoriæ Tripart.legitur,accipiendum eſt. Neque enim illic narratur ſecretam confeſſionem abrogatam, ſed magis illos,qui confiteri fugiunt,liberius peccare,cum minora peccata pudore confitendi, committi ſoleant. Hoc ſolum dicitur, Presbyterum qui publice pœnitentibus præfici ſolebat, amotum (Eo enim tempore illi ſoli pœnitentes appellabantur,qui publicam pœnitentiam agebant, ut patet ex Canonibus Græcarum Synodorum, cap.23.) Atqꝫ adeo in Conſtantinopoli ſub Nectario ſcueritatem tantum conſuetudínis (qua receptum erat,ut etiam qui ſecrete tantum peccaſſent publicam agerent pœnitentiam)non autem ſecretam confeſſionem,ſecretamqꝫ pœnitentiam abrogatam. Quod autẽ Tripart.hiſtoria ad hunc ſenſum debeat intelligi, & res ipſa demonſtrat,& indicat litera. Presbyter enim pœnitẽtibus præfectus,nobili matronæ cum peccata ſua fuiſſet confeſſa, præcepit ieiunare,& Deo operibus bonis ſupplicare. Quod cũ obſeruaret, crebrius in Eccleſia cum Diacono ſe conſuetudinem habuiſſe confeſſa eſt. Hoc ubi populus cognouiſſet, ſcuiebat in ſacerdotes,quaſi per eos Eccleſia contaminata fuiſſet. Quam ob rẽ Nectarius remouit Diaconum ſceleratum,& unumquẽqꝫ iudicio conſcientiæ ſuæ reliquit:quod nõ ita accipere oportet, quaſi fecerit omnibus liberum ſecreto confitẽdi ſi uelint, aut non ſi nolint,ſed quod ad pœnitentiam attinet liberũ fecit,reliquitqꝫ unuſcuiuſqꝫ iudicio, an pro peccatis occultis publice pœnitere uelit an non. Quod ipſum & Leo Magnus qui Nectarij tempora non ita longe ſecutus eſt,expreſſius agit in Epiſtola 57. iamcitata.

Iam ut ad Patres alios properemus. Hieronymus in 16. cap Manichæi,uult,ne ſacerdos ſibi temere arroget clauẽ poteſtatis abſqꝫ claue *Hieronymus.*

iudicij & discretionis, sed quemadmodum in testamento ueteri leprosis præceptum fuit, ut ostenderent se sacerdotibus, qui habent notitiam leprosi, & non leprosi, & possunt discernere, qui mūdus, quiue immundus sit. Sic & hic dicit Episcopum & Presbyterum alligare uel soluere pro officio suo, cum audierit peccatorum uarietates, & nouerit qui ligandus sit, quiue soluēdus. Quo & illud spectat, quod scribit in Esaiā capite decimoquarto, & in Ecclesiasten capite decimo, ubi ait: Si quem serpēs Diabolus occulte momorderit, & nullo conscio eum peccati ueneno infecerit, si tacuerit qui percussus est, nec uulnus suum fratri suo, & magistro uoluerit confiteri, Magister qui linguam habet, sed ad curādum, facile ei prodesse non poterit. Si erubescat enim ægrotus, medico uulnus confiteri, quod ignorat, medicina non curat.

Ambrosius.

Ambrosius in sermone natalitio sanctorum Petri & Pauli, ambas claues describit in Petro & Paulo, pro diuerso uniuscuiusque officio. Quos enim clauis scientiæ erudierit ad salutem, clauis potestatis suscipit ad quietem. Quorum corda clauis illa patefecerit doctrina uerborum, eorum animabus hæc aperit regna cœlorum. Diuitias immortalitatis clauis pœnitentiæ dispensat, scientiæ thesauros clauis altera largitur &c. Item in exhortatione ad pœnitētiam, monet sanum unumquenque uitare peccata, quia nescit si possit ipsam pœnitentiam accipere, & confiteri Deo & sacerdoti peccata sua. Idem ille beatus uir libro primo de pœnitētia, dicit eos mandata Dei rescindere, Deoq; iniuriam facere, qui negant absoluendi potestatem ad sacerdotem pertinere. Ait enim: Cum ipse dominus Iesus in Euangelio dixerit: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retēta erunt. Quis est qui magis Deum honorat: utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroq; seruat obediētiam, ut peccatum & alliget & relaxet. Dominus enim par ius & soluēdi esse uoluit & ligandi, qui utrunq; pari conditione permisit. Iam cum nemo possit ligare aut absoluere hoc quod ignorat, uide quomodo sanctus ille pater his uerbis cognitionem peccati, quæ confessione accipitur, exigat. Et statim sequitur: Munus spiritus sancti est officium sacerdotis, Ius autem spiritus sancti in soluendis, ligandisq; criminibus est. Ibidem docet, quomodo peccata sint discernēda, capite item quinto, comparat sacerdotem medico, eos autem, qui iactant sibi non esse sacerdoti opus, illis de quibus Christus ait: Non opus est sanis medico, sed ijs, qui malehabent. Et capite sexto ait: Ecclesiæ species est in fœmina illa, q̄ accessit retro, & tetigit fimbriam uestimenti domini.

Ecclesia

Ecclesia enim confitetur uulnera sua,& curari cupit. Capite uero 7. sacramentum pœnitentiæ æquat baptismi sacramento. Quid (inqt) interest utrum per pœnitentiam an per lauachrum, hoc ius remittendorum peccatorum omnium, sacerdotes sibi uendicent? Vnum in utroq; ministerium est: ut in lauachro operatur mysteriorum gratia, ita in pœnitentia nomen Dei. Ad eundem modum lib. 2. cap. 7. Sacerdotes comparat apostolis, qui Domino iubẽte resuscitati Lazari uincula soluerunt: Lazari uero uocationem, Veni foras, uocationi ad cõfessionem &c.

De hoc beato uiro ita scribit Paulinus in uita ipsius: Quotiescunque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confitebatur, ita flebat, ut & illum flere compelleret. Causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur: Bonum relinquens exemplum posteris sacerdotibus, ut intercessores apud Deum sint magis, q̃ accusatores apud homines. Et hinc quoq; apparet, olim aliquando in arbitrio & potestate sacerdotis fuisse in Ecclesia, ut non solum publico, uerumetiã occulto peccatori, pœnitẽtiam publicam imponeret. Quod tamẽ Ambrosius non legitur feciſſe, neq; item Leo Magnus, uti dictum est.

Sanctus Augustinus in psalmum 66. ait: Ergo tristis esto antequã confitearis, confessus exulta, iam sanaberis. Non confitentis conscientia saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat, adhibet medicus fomenta uerborum: tu agnosce medici manum, confitere, exeat in confessione, & defluat omnis sanies.

Item in cap. 5. Iohannis, tractatu 22: Mortuus in corde tuo tanq̃ in sepulchro iacebas, & tanq̃ saxo malæ consuetudinis grauaris: Surge & procede, & crede, & confitere. Quia anteq̃ confiteretur occultus erat: cum autem confiteretur, procedit de tenebris ad lucem, & tunc dicitur: Soluite illum, & sinite abire, quomodo dictũ est apostolis, Quæ solueritis in terra, soluta erunt & in cœlo. In libris quoq; de uera & falsa pœnitentia. Item de salutaribus documentis, & de uisitatione infirmorũ: qui asscribuntur Augustino. & sunt haud dubiũ catholici & antiqui libri, dicitur necessariũ esse peccatori, ut querat sacerdotem scientem ligare & soluere: cuius iudicio & potestati se totum permittat, iussisq; pareat. Nec dico (inquit) ut soli Deo, sed & sacerdoti uicario Dei confitearis. Aperi ei penetralium tuorum abditissima latibula, conscientiarum uerecundarum penitiora reuela repagula.

Leo ille magnus in epistola 57. quã antea citauimus dicit non se exigere pœnitentiam publicam, ab his qui secreto peccauerunt: Sufficiat enim (inquit) reatus conscientiarum solis sacerdotibus indicari, confessione secreta, &c. Item epist. 69. ad Theodorum Foroiulienſem, cõparat inuicem (quemadmodum & Ambrosius) pœnitentiæ & baptismi sacramentum, in hoc quod non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes uitæ reparetur ęternæ, ut qui regenerationis donum uiolassent, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum peruenirent. Sic diuinæ bonitatis præsidijs ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicatione sacerdotum nequeat obtineri. Et dicit non solum utile, uerumetiam necessarium, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione soluatur.

Gregorius Magnus, ex Christi uerbis, Quorum remiseritis peccata &c. intellexit sacramentum istud quo remittuntur & retinẽtur peccata, similitudinem habere cum iudicio Forensi, ubi causę primũ cognoscuntur & explorantur, deinde iudicantur. Instituitq; sanctus iste Pontifex canonem, ut qui secretam confessionem proderet, a sacerdotali officio deijceretur. Bernhardus in sermone 12. ad milites templi, ait: Ministros uerbi sacerdotes, caute necesse est ad utrũque uigilare sollicitos, quo uidelicet delinquentium cordibus tanto moderamine uerbum timoris & contritionis infligant, quatenus eos nequaq; a uerbo confessionis exterreant, sic corda aperiãt, ut ora nõ obstruãt: sed nec absoluãt, licet cõpunctũ, nisi uiderint & cõfessum.

Vt interim taceamus magnum illud & uniuersale Concilium Lateranense, sub Innocentio tertio. Quod præcipit ut unusquisq; fidelium saltem in anno semel suum proprium sacerdotem adeat, eique omnia peccata sua, quorum reatu constringitur, confiteatur &c.

Inter posteriores patres, præstantissimus uir Hugo de sancto Victore, uerba illa Christi, quæ ex cap. Iohannis 20. citauimus, ita exponit: Christus Deus & homo, homines qui puri homines erant, potestatis suæ fecit participes, ut eius implerent officium, in suscipiendo confessionem pœnitentium, & potestatem eius exercerent, pœnitentibus & confitentibus peccata remittendo.

Quibus omnibus fit euidens, Christum dominum Mat. 16. & 18. Iohannis item 20. ad hoc instituisse sacramentũ istud, ut si quis post baptismum fuerit in peccatum aliquod relapsus, (Euangelium enim in locis illis non de infidelibus loquitur, sed de his qui in fratres peccant) per sacerdotem ligatur aut soluatur.

Nec

Nec posse illud fieri secundum totius Ecclesiæ Catholicæ sensum, nisi primum quando peccator delicta sua distincte sacerdoti confitetur, & ab eodem tanq̃ iudice, iudicium: & tanq̃ medico, medicinã cupidus expectat. Sed & ratio naturalis idipsum comprobat. Quomodo enim queat aliquis dimittere aut retinere, ligare aut soluere, cuius nullam habeat cognitionem?

Sine cõfessione præcedente nemo absoluitur a sacerdote.

QVID REFORMATIONIS prætensæ liber contra Catholicã hãc doctrinã ausit.

Huic doctrinæ in uniuersum contrariatur liber prætensæ Reformationis. Primum non numerat inter sacramenta Ecclesiæ Pœnitentiæ seu absolutionis sacramentum. Vult ne post hac obligetur quisquam ad peccatorum enumerationem, sed tantum ad generalem illam & humilem confessionem, qua in genere fateatur se peccasse. Folio 115. facie 2.

Item non relinquendum peccatorem in ulla dubitatione, ita ut ipsi uolunt generaliter tantum confitentem: sed annunciandam illi esse certam remissionem, quam se habere statim credere debeat, non propter opus suum.

Quod certe ita asseritur, ac si absolutionis potestas non in sacerdote, sed in peccatore, qui fatetur se generaliter tantum peccasse, p̃cipue consistat: ut debeat sacerdos uelit nolit eiusmodi peccatorem absoluere, causa licet inaudita. Verum hoc quid cæcius esse queat? Cũ dominus Christus potestatem ligandi & soluendi (utiq; post peccatorum explorationem) dederit sacerdotibus. Porro sicut patres antiqui illi docent, Cyprianus præcipue, libro de lapsis, Non debet sacerdos se tam facilem & ineptum præbere in hoc sacramento: neq; item peccator peccata sua post Baptismum commissa parui pendere debet, ut statim generaliter confessus se esse peccatorem, polliceatur sibi absq; omni præcedente satisfactione, remissionem peccatorum. Nec desperantes (inquit Cyprianus) misericordiam, nec tamen iam ueniam uendicantes.

Cui Epiphanius consonat contra hæreses, libro 2. tomo 1. in Catharos. Ait enim: Neq; promittimus libertatem omino his qui post Baptismum lapsi sunt, neq; desperamus de uita ipsorũ. Suscipit Deus pœnitentiam etiam post Baptisma, si quis lapsus fuerit. Quomodo uero postea faciat, ipse solus nouit. Vbi idem uir sanctus hoc q̃d in præcedentibus supra dictum est, affirmat. Aliam longe esse conuersionem eorum qui post Baptisma relapsi sunt, & aliam eorum qui ex impietate primum ad Christum in baptismo conuertuntur.

De

Christus est satisfactio propiciatoria, expiatoria, & reconciliatoria.

IDcirco deinde in hoc sacramento docuit omni tempore Catholica Christi Ecclesia, duplicem esse satisfactionem: Vnam propiciatoriam & reconciliatoriam, qua & culpa deleatur, & poena auferatur æterna: hanc soli Christo dño acceptã referre oportet, qui seipsum dedit pro nobis, ut nos ab omni iniustitia liberaret, ad Titum 2. Qui factus est reconciliatio pro peccatis nostris, nec pro nostris tantum, sed pro peccatis totius mundi. 1. Iohan. 2. Per quem dedit nobis uictoriam, ut de peccato & morte triumphemus. 1. Cor. 15. Præter quam fatendum est aliam esse satisfactionem canonicam seu disciplinarem, quæ ab his qui curam gerunt animarum, quibusq; incumbit sacramenta Christi eius nomine administrare, imponatur: & quam debeant beneuoli Christiani prompta obedientia in fide peragere & implere. De hac semper docuerunt patres. Primo q; euellat causas & radices commissorum peccatorum, sanetq; infirmitates post peccatum in carne hærentes. Deinde quod uirtute sanguinis & merito passionis Christi, auferat aut saltem minuat pœnam tẽporalem peccatis nostris debitam: ac deniq; utendum ea esse ad satisfaciendum matri Ecclesiæ, publicis criminibus læsæ & iniuriam passæ.

Satisfactio canonica.

Interim tamen & hoc prædicatum & doctum fuit, neminem uel posse uel debere Deo terminum aut nodum remissionis pœnæ statuere, ac si oporteret Deum ad completam canonicam satisfactionẽ ilico a flagellis suis cessare. Christo uero reconciliatori nostro, cui pater omne iudicium dedit, prorsus relinquenda est pœnę remissio: a quo petere oportet, ut obedientiam nostram uelit per meritum suũ patri cœlesti facere acceptam, & pœnam promeritã miserickorditer auertere.

Satisfactio nostra non pro iudicio humano, sed secundum Dei misericordiam plus minusue de pœna compensat.

Principio satisfactionem quæ canonica appellatur, fundatam in scripturis, & animarum pastoribus mandatum esse, ut eam secundũ peccatorum exigentiam, confitentibus cum discretione imponant, probant nobis uerba illa Christi, duobus Euangelij locis allegata, de ligatione & resolutione, dimissione & retentione peccatorum. Matthæi 16. 18. & Iohan. 20. Leo quoq; Magnus contestatur ad Theodorum Foreiulienſem Episcopum, hisce uerbis: Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus satisfactionem pœnitentiæ darent, & salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Porro Augusti-

Satisfactio canonica est in scripturis sacris & patribus fundata.

nus

nus dicit: Satisfactio pœnitentiæ, est causas peccatorum excidere, nec earum suggestionibus aditum indulgere.

Patres, præcipue Chrysostomus in Psalm. 50. testantur, Post remissionem peccatorum (quæ fit a Deo, quando homo corde contrito peccata sua confitetur, præcipue uero, quando sacerdotali absolutione fit de remissione certior) lubrica quædam manere uestigia & languorē, quem similiter deletum & extinctum oporteat. Quāuis enim Nathan, Dauidi remissionē peccati a domino nunciasset, nihilominus petit Dauid: Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meā. Amplius laua me ab iniquitate mea: decorū meum pristinū quero, &c. Atqui talis eradicatio mali, bonique restitutio, non fit sola cessatione peccatorum, neque item uulgaribus bonis operibus, uerum per opera digna pœnitentiæ, sicut Matth. 3. dicitur: Facite fructus dignos pœnitentiæ.

Dimissis peccatis, satisfactio utilis est ad purganda uicia, & decorem restituendum.

Debent autē opera satisfactoria ex illis uirtutum generibus assumi, quæ peccatis huiusmodi contrariantur, Apostolo Paulo præcipiente Romanorum 6. Sicut exhibuistis membra uestra seruire immundiciæ & iniquitati ad iniquitatē, ita nunc exhibete membra uestra seruire iustitiæ in sanctificationē. Vnde beatus Iohannes Chrysostomus in cap. 3. Matthæi, ita scribit: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Quo autē modo fructificare poterimus? Si uitiq; peccatis aduersa faciamus. Aliena rapuisti: incipe iam donare propria. Longo tempore es fornicatus: a legitimo quoq; usu suspēdere coniugij, ac perpetuam continētiam sepius paucorum dierum castitate meditare. Iniuriam uel opere cuipiā, uel sermone feci sti: refer benedictionis uerba conuitijs, & percutiētes te, nunc officijs, nunc etiam beneficijs placare contende. Neque enim uulnerato sufficit ad salutem tantummodo spicula de corpore euellere, sed etiam remedia adhibere uulneribus. Delitijs & temulentia diffluebas: ieiunio & aquæ potu utrunq; compēsa. Vidisti impudicis alienum decorem oculis: fœminam iam omnino non uideas, maiore tactus cautione post uulnera. Hucusq; Chrysostomus. Cui adstipulantur sanctus Leo in sermone de Quadragesima. Et beatus Bernardus in sermone de cœna domini: Lauari (inquit) cito quidē possumus: Ad sanandū uero opus est curatione multa.

Qualia debeāt esse opa satisfactionis.

Constat præterea non semper cum peccati remissione simul remitti & pœnam peccatis debitam, ut est uidere. 2. Regum capite duodecimo, & uigesimoquarto, euidentissime autem Exodi tricesimosecundo, & Numeri decimoquarto.

Dimittūtur peccata p reconciliationem, cū tamen non semp pœna simul tota dimittatur.

Iam beatus Apostolus Paulus testatur huiusmodi pœnas, nostra satisfactione, aut minui, aut totas auferri. 1. Corinth. undecimo: Quod si nosipsos (inquit) dijudicaremus, non utiq; iudicaremur. intelligit autē, iudicari, corripi, castigari & puniri pro peccatis. Quod uerba, quæ sequuntur satis indicant: Dum iudicamur autem, a domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Hinc 2. Paralipo. 7. scriptum est: Si clausero cœlum, & pluuia non fluxerit, & mandauero & præcepero locustæ, ut deuoret terram, & misero pestilentiam in populum meum, Conuersus autem populus meus, super quos inuocatum est nomē meum, deprecatus me fuerit, & exquisierit faciē meam, & egerit pœnitentiam a uijs suis pessimis. Ego exaudiam de cœlo, & propicius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum. Item Iohelis secundo: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos.

Confert ad hæc quod senior Tobias ait, Tobie quarto: Eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat. Et quod Daniel Nabugodonosor suasit, Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.

Opera satisfactionis uirtute meriti passionis Christi, compensant, purificant, extinguunt et contegunt peccata, ac Deo quoq; reconciliant homines.

Quapropter sancti Patres frequenter hoc modo loquuntur, peccata & pœnas peccatis ipsis debitas, compensari, purificari, operiri, & reconciliari operibus satisfactionis: non quidem, quod sua dignitate remissionem peccatorum mereantur, sed ideo quia Deo placent: ut quę fiant ab illis, quos Deus in gratiam propter contritionem de peccatis recepit, & hoc merito Christi, a quo istiusmodi opera omnia meritum suum mutuantur. Vide Chrysostomum in Matth. Hieronymū in Malach. Ambrosium libro secundo de Pœnitētia, cap. 5. Cyprianum Epistola 14. libro 3. & libro 1. Epistola 3. Satisfactiōibus (inquit) & lamentationibus iustis delicta redimere, & uulnera lachrymis ablueri.

Item in sermone de Eleemosyna. Cuius pars in articulo de iustificatione quoq; supra allegata fuit.

Augustinus in Enchiridio capite 70. ait: In melius est uita mutanda, & per Eleemosynas de præteritis peccatis propiciandus est Deus: non ad hoc emendus quodammodo, ut ea liceat impune committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamuis miserando deleat facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur. Alibi idem ille sanctus pater testatur, duplicem esse satisfactionem post baptismum in Ecclesia, publicam unam, de qua dicit: Quem mortalia crimina post baptismum commissa præmunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere,

cere,& ita ſacerdotis iudicio reconciliatum,communioni ſociari,&cęt. Alteram ſecretam, de qua ita ait:Sed & ſecreta ſatisfactione ſolui mortalia crimina non negamus, ſed mutato prius ſeculari habitu,& confeſſo religionis ſtudio, per uitæ correctionem & iugi, imo perpetuo luctu, miſerante Deo, ita duntaxat, ut contraria pro his, quæ pœnitet agat,&cæter. de Eccleſiaſticis dogmatibus, capite quinquageſimo tertio.

Quod autem ſatisfactio iſta pro peccatis publicis imponi debeat, etiam ad ſatisfaciendum ſatis Eccleſiæ leſæ,& alijs in exemplum,probatur ex Paulo. pri. Timoth. quinto,ubi ait: Peccantes coram omnibus argue,ut & cæteri timorem habeant.& Auguſtinus in Enchiridio: Fiat(inquit)etiam Eccleſiæ ſatis,in qua remittuntur peccata.

Pœnitentia publicæ ſatisfit Eccleſiæ leſæ, & datur exemplum alijs.

QVÆ MOLIATVR REFORMATIONIS *Liber aduerſus hæc.*

LIber autem Reformationis illius non admittit ſatisfactionem, ſed præcipit,ut paſtor ei,qui in genere tantum ſe confeſſus ſit peccaſſe, annunciet remiſſionem peccatorum,nec meminit ullius ſatisfactionis imponendæ.

DE EXCOMMVNICATIONE.

TErtio, quod ad excommunicationem attinet, quæ neruus eſt Eccleſiaſticæ diſciplinæ,& ab altera claue, iuriſdictiõis inquã, dependet,Tradunt ſcripturę duas formas,quibus ad eam procedatur in Eccleſia:Prior forma eſt,per uiam (ut aiunt) denunciationis Euangelicæ,de qua Chriſtus præcepit Matthæi decimooctauo. Atq; hæc forma locum habet, ubi quiſpiam in externa Chriſtianorum communitate exiſtens, fratrem ſuum uerbis aut factis leſerit. Hic enim iniuria affecto,dicit Chriſtus: Si peccauerit in te frater tuus,uade argue eũ inter te & ipſum ſolum:ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum: ſi autem te non audierit,adhibe tecum adhuc unum, uel duos,ut in ore duorum aut trium teſtium ſtet omne uerbum. Quod ſi non audierit eos,dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. Amen dico uobis: Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis,& quæcunque ſolueritis ſuper terram,erit ſolutum & in cœlis,&c.

Ad excommunicationem duabus uijs proceditur.

Via una denunciationis.

Atq; adeo, ut beatus Chryſoſtomus in eundem locum ait: Non loquitur dominus de criminibus publicis, ſed de priuatis iniurijs ab uno alteri priuatim illatis. Quapropter dominus ibidem mandat, ut iniuriã paſſus, in hoc caſu primum ſolus conueniat offenſorem. Si uero apud eum non profecerit, denuo ipſum conueniat cum teſtibus, ſed non plures uno aut duobus ſecum adhibeat. Idque ideo, quod non debeamus fratrum noſtrorum peccata ad communitatem deferre aut publicare, niſi primo aut ſecundo admoniti fuerint. Verba autem quæ ſequuntur: Dic Eccleſiæ, Exponit Chryſoſtomus, id eſt, Eccleſiæ Præpoſitis, Epiſcopis ſcilicet ac præſidentibus.

Via altera ad excommunicationem per inquiſitionem.

Altera forma eſt, inquiſitionis ordinariæ. Oportet enim ſcriptura exigente ab Eccleſiæ Prælatis, quorum eſt illud officium, excommunicationem exerceri contra publica crimina & peccata, quæ non in proximum modo, uerumetiam in Deum & in ſeipſos quoque mali homines committunt. De huiuſmodi excommunicationis uſu loquitur Apoſtolus Paulus. 1. Corinth. quinto, ubi fornicatorem publicum apud Corinthios excommunicat, non ſecundum regulam Matthæi 18. Poſt fraternam correptionem ſecreto bis factam, ſed fama publica accepta. Ita enim ait Apoſtolus: Omĩno auditur inter uos fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris ſui quidã habeat. Et uos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis, ut tollatur de medio ueſtrũ, qui hoc opus fecit. Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui, ut præſens, eum qui ſic operatus eſt, in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti tradere huiuſmodi hominem ſathanæ, in interitum carnis, ut ſpiritus ſaluus ſit in die domini noſtri Ieſu Chriſti. Item, Neſcitis quia modicũ fermẽtum totam maſſam corrumpit? expurgate uetus fermẽtum, &c.

Item ſcripſi uobis in Epiſtola, ne commiſceamini fornicarijs. Non utique fornicarijs huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut Idolis ſeruientibus: Alioquin debueratis de hoc mundo exijſſe. Nunc autem ſcripſi uobis non commiſceri, ſi is qui frater nominatur inter uos, eſt fornicator, aut auarus, aut Idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax. Cum huiuſmodi nec cibum ſumere. Auferte malum ex uobis ipſis. Huic non eſt diſſimilis excommunicandi formula, quam habet ſecundæ Teſſalonicenſis tertio: Denunciamus uobis fratres in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, ut ſubtrahatis uos, ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundum traditionem, quam acceperunt a nobis, &cæt. Sequitur: Si quis non obedit uerbo noſtro, per Epiſtolam hunc notate, & ne commiſceamini cum illo ut confundatur.

Quo

Quo & illud respicit, 2. Iohan. 1. Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis: Qui enim dicit ei aue, communicat operibus eius malignis.

Quibus sacræ scripturæ uerbis patres inducti, authoritatem excommunicationis ferendæ, asscripserunt episcopis. Atq; hinc canones excommunicationem appellant mucronem Episcopi. ca. uisis. 16 quæst. 2. Et Augustinus damnationē uocat Episcopalis iudicij: qua pœna in Ecclesia nulla maior est. ca. corripiantur. 24. quæst. 3.

Quanquam uerum sit quondam ubi sententia excommunicationis ferenda erat, communitas reliqua uocaretur: non uelut iudices, sed tanq̄ consentientes, aut certe ne quem lateret, quod pro Ecclesia gereretur.

Præterea excommunicationis sentētia olim̄ ab Episcopo aut eius uicario pronunciabatur, non semper ubi habitaret transgressor, sed ubi cathedram suam haberet Episcopus: quemadmodum & Paulus absens Corinthum illum excommunicauit.

Deinde ex ijsdem illis dictis sacræ scripturæ, constituerūt patres, ne quid omnino commercij, siue in spiritualibus siue in temporalibus rebus, aut etiam in communione sacramentorum, in cibo, potu, salutatione, alloquutione, emptione, uenditione, aut alio quouis contractu, cum excommunicatis haberetur. Quinetiam ut præsides & magistratus, excommunicatum a ciuili societate exigerent, & ne in tēporali quidem regimine secum communionem habere permitterēt. Cum sanctus Paulus in his omnibus (sicut beatus Chrysostomus in epistolam ad Hebræos. cap. 11. homilia 26. testatur) hoc discrimē faciat inter Ethnicos in criminibus deprehēsos, & fratres Christianos, qui pro similibus flagitijs excommunicentur. Nimirum de his ait: Ne commisceamini cum eis. Et causam assignat: ut confundantur & erubescant. Cui beatus apostolus Iohannes epistola 2. aliā hanc causam annectit: ne qui eiusmodi excommunicatos salutauerit, tacite communicet operibus eorum malignis, & se talium peccatorum faciat participem: De illis uero, non idem constituit.

Quamobrem beatus Clemens epistola 1. testatur beatum Petrū apostolū præcepisse, uitandā esse omnē eius cōmunionē, quē Episcopus propter malefacta sua cōdemnasset, sed nec loquendū cū eo: ut tanto diligentius procuraret Episcopo reconciliari, reuertaturq̄ ad salutem & sanitatem, ubi cœpisset obedire mandatis eorum, qui Ecclesiæ erant præpositi.

Simile est quod Fabianus mandat, ne quis cum excommunicato uel domi loquatur. Quomodo apostoli ipsi (ut is ait) statuerunt. c. sicut apostoli. 11. quæst. 3. Idem uetatur in Concilio Toletano 1. & sancitur ca. cum excommunicato, dicta quęst. & causa. Vt si quis cum excommunicato aut palam aut absconse loquutus fuerit, statim cũ eo communem excommunicationis contrahat pœnam. Tantum dispẽsant canones cum eis qui peregrinantur, & incidunt forte in rempublicam seu mancipium excommunicatione damnatum, nec possunt inibi uitæ necessaria precio comparare, præterq̃ a solis excommunicatis: Dispensant quoq; cum uxore, prolibus, seruis, familia domestica: dum tamen tales patrifamilias in malitia non consentiant, can. quoniam multos. item can. antecessor. & c. quod prædecessor, eadẽ quæst. & causa.

Enimuero si nõ debeat rigor ille disciplinæ seruari, eueniet haud dubium his potissimum temporibus, ut censura illa diuina non solũ nequeat ad uerum eius usum reduci, sed abeat etiam paulatim in merum contemptum. Quod transgressorum pars maxima, si tantũ concedatur consuetudinem cum alijs habere in functionibus publicis aut ciuilibus promiscue in emendo, uendendo, & his similibus, Item si per magistratum liceat ipsis in statu ciuili permanere, non magnifacient profecto excommunicationem, eam, qua a sola perceptione sacramentorum (de quibus alioqui non magnopere solliciti sunt) abarcentur. Adeoque non pudefient, paulatimq; in contumacia peruicaciaq; obstinati progredientes, tandem etiam contemnent excommunicationem. Quod præ omnibus cauendum est ne fiat.

Chrysostomus in secundum caput epistolæ ad Hebræos: Nemo (inquit) contemnat uincula Ecclesiastica: Non enim homo est qui ligat, sed Christus, qui nobis hanc potestatem dedit, &c. Nec item cederet excommunicatio in medicinam, ad quam instituta est, sed magis ad mortem,

Patres magno interuallo discreuerunt inter sententiam qua sola communio sacramenti corporis & sanguinis Christi subtrahitur, & eam qua publicam pœnitentiam agentibus præcipitur, usque ad reconciliationem post pœnitentiam peractam, a communione abstinere: ac illam denique quæ est omnium grauissima excõmunicatio, & anathema appellatur. Prioribus duabus censuris ciuilis societas non prohibetur: At maior excommunicatio ab omni consortio fidelium excõmunicatos separat. ca. ad mensam. parag. euidẽter. 11. q. 3.

Quid

QVID REFORMATIONIS *prætensæ liber contra Catholicã hãc doctrinã ausit.*

Initio prætensæ Reformationis liber confundit & simul commiscet duas illas excommunicandi formas: nec recte eas distinguit. Item uult ut nemo excommunicetur, nisi primum a suo pastore & certis quibusdã, qui in singulis ciuitatibus & pagis ad hoc designabuntur, fuerit admonitus. Folio 116. facie prima. Quasi manifesti peccatores publica fama declamati, sine secreta & euangelica correptione præcedente nõ debeant citari & excommunicari. Et certe Christus non præcepit, ut certi quidam ad correptionem faciendam assumendi designentur: uerum permisit offenso pro suo arbitrio quos idoneos ad hanc rem iudicauerit, assumere.

Item liber uult ut triplici citatione præmissa, res deferantur ad Superintendentem: qui debeat proficisci eo ubi accusatus commoratur, & assumptis sibi pastore & delectis, proferre sententiam. Folio 116. facie. 2. Cum ad Episcopum pertineat sententiam pronunciare in loco ubi ipse residet.

Excommunicatum à Communione tantum sacramenti Eucharistiæ excludit, uetatq; astare ubi quis baptizatur aut matrimonium cõtrahitur. Cæterum, magistratui seculari facit potestatem ut excommunicatos in ciuilibus uersare permittat. Nec uult excommunicationem impedimento esse negotijs ciuilibus tractandis, sed licere obedientibus Ecclesiæ membris, cum excommunicatis, præesse, regere, emere, uẽdere, & in rebus istiusce modi habere communionem. Folio 117. facie 1.

Item uetat propter pecunias debita aut alias obligationes, deinceps quenquam excommunicari.

Non inuiti fatemur excommunicationem quorundã uitio aliquatenus cessisse in abusum. Atqui interim esto ut Christianus quispiã aduersus cõfratrem forte queratur, quod fraudem in emptione aut uenditione cõmiserit, aut alias nolit æqui & iusti secũ inire rationẽ, & soluere debita, atq; adeo illum se lædere & in se peccare. Vbi in casu tali damnũ passus, postq̃ offensorem primo solũ, ac deinde ubi solus non sit exauditus, adhibitis secum secundum Domini regulã duobus alijs, conueniisset, adiret Præsules & Ecclesiæ præsidentes (quo modo eos Chrysost. in Matthæũ appellat) eosq; imploraret. Quare obsecro nõ debeãt in hunc talẽ offensorẽ post trinã admonitionẽ, propter inobedientiã & pertinacẽ cõtumaciã excõicatione aĩaduertere?

Apo-

Apoſtolus Paulus 2. Teſſal. 3. non de his tantum qui manifeſta crimina inciderunt, ſed & de illis qui ambulabant inordinate, nihil operantes, ſed curioſe agentes, & proximum defraudantes, præcipit: Si quis non obedierit uerbo noſtro, per epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur. Sanctus Clemens Petri apoſtoli proximus ſucceſſor, in epiſtola ſua teſtatur, Apoſtolū presbyteris præcepiſſe, hæc potiſſimum curare, ne quis in communitate fidelium alium decipiat, atq; ut lites inter Chriſtianos ortas, ſtatim dirimant.

Concilium Moguntinenſe presbyteris mandat, ut proſpiciant, quo ſubditi inuicem non decipiant iniquis menſuris aut pōderibus. Et Concilium Valenſe ſanxit, ne peregrinos & exteros in emptione & uenditione fraudent, atq; ut transgreſſoribus pœnitentia imponatur, cap. 1. & 2. de emption. & uendit.

Nobis tamen magis probaretur, ſi in cauſis ciuilibus, uitata quantum fieri poteſt Excommunicatione, loco eius immiſſione ex primo & ſecundo decreto uterentur.

Antiquis canonibus conſtitutum eſt, ut Excommunicati non prius abſoluantur q̄ ubi egerint pœnitentiam, dederintq; cautionē de emendatione & damno releuando.

Verum liber nominatæ Reformationis multo lenius agit cum Excōmunicatis. Folio 117. facie 1. & ſeq.

DE SVFFRAGANEO DIOCOESIS Colonienſis.

IVxta hunc articulum prætereundum nobis non eſt, quod ſcriptura ſacra non permittat in eadem Eccleſia paris poteſtatis ſimul Epiſcopos eſſe duos: ſed & natura uidetur exigere ut una Eccleſia unum tantum habeat Epiſcopum. Sicut beatus Hieronymus ſcribit ad Ruſticum Monachum. & habetur ca. in apibus princeps unus eſt. 7. quæſt. 1. Et cum ſponſa Chriſti ſub duobus Epiſcopis & presbyteris authoritate & poteſtate æqualibus, diuidi non debeat, ſed unum tantum habere, qui ipſam modeſtis moribus & pudicitia inſtituat & regat, Mandat Concilium Remenſe, ne quis præſumat Eccleſiam unam in duas diuidere. ca. ſicut. 21. quæſt. 2.

Et eſt hac de re præclariſſima Cypriani epiſt. libro 3. epiſt. 2. Gra-

uat

uat enim(inquit)me, atq; contriſtat, intolerabilis perculſi & pene proſtrati pectoris mœſtitia,& perſtringit, cum uos illic comperiſſem contra Catholicæ inſtitutionis unitatem, Epiſcopũm alium fieri cenſuiſſe. Id eſt,quod nec fas eſt,nec licet fieri, Eccleſiam alteram inſtitui, Chriſti membra diſcerpi,dominici gregis animũ & corpus unum,diſciſſa emulatiõe lacerari,&c. Auguſtinus Epiſtola.171. Donatiſtas arguit,quod Epiſcopum contra Epiſcopũ ordinauerunt, & altare contra altare erexerunt. Cuius quoq; meminit Epiſt.162.

Conſtat autem clementiſſimum dominũ noſtrum,& Diocœſim Archiepiſcopalem Coloniẽſem iam habere Suffraganeum,legitime uocatum, & a Capitulo noſtro, totaq; Diocœſi receptum, qui Diocœſeos huius ſuperintendens, & unicus in Pontificalibus Vicarius Reuerendiſſimi domini noſtri inſtitutus & ordinatus eſt. Adeoq; non poteſt ſimul alius ſupraintendens, Hoc eſt, Epiſcopus aut Suffraganeus ſine horrendo diſſidio,in hac Diocœſi inſtitui. cum Epiſcopus Græcæ,ſupraintendens Latine dicatur:ut & Canones teſtantur, can.legimus.93. diſtinct.excerptus ex Hieronymo,& 7. quæſt.2. ca.qui Epiſcopatum, ab Auguſtino mutuatus.

QVID REFORMATIONIS *prætenſæ liber contra Catholicã hãc doctrinã auſit.*

Meminit autem liber noui cuiuſdam Supraintendentis, ad quem inſtituendum,libri autores Clementiſs.noſtrum prauis ſuggeſtionibus impulerunt. Folio 117.facie 2.& alibi.

Verum hic tollerari nobis non poterit

DE SACRAMENTO ORDInationis ſacræ,quam liber Reformationis uocat inſtitutionem paſtorum.

SAcram ordinationem eſſe Sacramentum ſanctæ Eccleſiæ Dei, in q̃ ordinatis ad publicũ & cõmune Eccleſiæ miniſteriũ, datur ſigno externo gratia, quæ miniſteriũ eorum certum faciat & probatum,quaq; Sacramentorum conſecratio, eorũdemq; adminiſtratio ipſis commiſſa,ſit efficax, Euangelium teſtatur Matth. decimo. Marci 6.Lucæ 10.Iohannis 20.Sicut miſit me pater(ait dominus)ita & ego mitto uos.Hęc cum dixiſſet inſufflauit,& dicit eis:Accipite ſpiritũ

ſanctum. Similiter Apoſtolus. 1. Timoth. quarto: Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cũ impoſitione manuum presbyteri, & 2. Timoth. 1. Admoneo te, ut reſuſcites gratiã dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum. Simulq; teſtatur ad Epiſcopos ſolos pertinere huius Sacramenti adminiſtrationem, ad Titum. 1. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. & 1. Timoth. quinto: Manus cito nemini impoſueris. Sic Actorum primo: Vbi Apoſtoli Matthiam. & Actorum 6. ubi ĩdem diaconos ordinãt. Similiter Actorum decimotertio, ubi Paulum & Barnabam ſegregãt in opus, & cæt.

Vide Chryſoſtomũ homil. 13. in epiſt. priorem ad Timot.

Dionyſius Areopagita de ſacerdotalibus conſecrationibus in Eccleſiaſtica Hieriarchia capite 5. ubi deſcribit ritum ueterem ordinationis, dicit neminem fieri Sacerdotem, niſi Pontificalibus officijs ad hoc fuerit promotus. Auguſtinus libro 2. in Epiſt. contra Parmenianum, dicit ordinationem ſicut & baptiſma eſſe Sacramentum. Vtrunq; (inquit) quadam conſecratione homini datur. Illud cum baptizatur. Iſtud cum ordinatur. Ideoq; in Eccleſia Catholica, utrunq; non licet iterari. Nam ſi quando ex Donatiſtis uenientes correcto ſchiſmatis errore ſuſcepti ſunt, & ſi uiſum eſt, ut eadem officia gererent, quæ gerebant, non ſunt rurſus ordinandi. Sed ſicut baptiſmus in eis, ita ordinatio manſit integra. Quia in præciſione fuerat uicium, quod unitatis pace correctũ eſt, non in Sacramentis, quæ ubicunque ſunt, ipſa uera ſunt. Et paulo infra: Neutri Sacramento eſt iniuria facienda. Cenſetq; non ideo minus eſſe Sacramenta Chriſti & Eccleſiæ, quod eis abutantur heretici, uirtute enim Sacramenti (ſicut contra Donatiſtas ait) Dimittit etiam religionis ſimulator peccata. Nam & in malis hominibus hoc Sacramentum cognoſcitur eſſe Chriſti, quamuis in corpore unicæ immaculatæ columbæ non inueniatur. Hinc in libro quæſt. ueteris & noui teſtamẽti dicit: Spiritum ſanctum nõ ſequi dignam aut indignam perſonam, ſed ordinem traditionis, atq; ita, quãuis ſit aliquis boni meriti, non tamen poſſit bñdicere, niſi fuerit ordinatus. Patres reliquos ſtudio breuitatis præterimus.

Ordinationem non eſſe iterabilem.

Secundo a tempore Apoſtolorum diſtinguebantur ordines in maiores & minores, quemadmodum uidere eſt in ſcriptiõe epiſt. Pauli ad Theſſal. Idem teſtãtur Apoſtolici Canones. Antiquiſſimus ille Dionyſius, Clemẽs, Anacletus, Ignatius Iohãnis Apoſtoli diſcipulus in epiſt. ad Antiochenſes. Veterum Patrũ Cõcilia. Inter quæ Laodicenſe ca. 23. & 24. Item Chalcedonenſe & Carthaginẽſe 4. cui interfuit B Auguſt. In qbus ordines oẽs enumerãtur, ſcilicet Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdia-

Semp fuerunt in Eccleſia ordines minores & maiores.

Subdiaconi, Acolyti, Lectores, Exorciſtę & Oſtiarij, deſcribiturq; Catholicus ordinationis ritus. Vide in B. Cypriano, Epiſt. 5. lib. 2. p̃clarã ordinationem Confeſſoris in Lectorem. Beatus Ambroſius in Epiſtola ad Epheſios, capite 4. Singulis ordinibus ſuam functionem ex Apoſtolo Paulo aſſignat, indicatq;, quo in munere & officio, deſcriptis in Paulo gradibus, ſinguli ordines ſuccedant. Et in Epiſtolam 1. Corinth. capite 12. dicit in lege dominica gradus eſſe chariſmatum, in officijs Eccleſiæ. In loco ordinis officij Eccleſiaſtici poſitus, gratiam habet, qualiſuis ſit, non uticq; propriam, ſed ordinis, per efficatiam ſpiritusſancti.

Tertio, demonſtrari poteſt Presbyteros non ſine externa unctiõe olim ordinatos fuiſſe, potiſſimum in Occidẽtali Eccleſia. Quin Dionyſius, qui inter primos poſt Apoſtolorum tempora fuit in Eccleſia Orientali, dicit Epiſcopum uti unguento ad omnem ferme ſacerdotalis officij functionem. De his quæ in unguento, capite 4. parte 2. Eccleſiaſtica Hierarchia. Et parte 3. dicit legem ſanctiſſimorum myſteriorũ exigere, diuini altaris conſecrationem unguento ſacratiſſimo. Et explicat latius, quid unctiones illę ſignificent. Nec debet hoc quiſquam incredibile putare, cũ & Cyprianus, uti diximus, dicat ceſſantibus his, quæ ritu antiquo ueteris teſtamenti inoleuerant, religionem Chriſtianam unctionis myſterium non contempſiſſe, ſed cæteris generali ſanctorũ conſenſu damnatis, non ſolum in regibus & ſacerdotibus unctionis honorem permanſiſſe, ſed & in oñi populo Catholico. (Obſerua quod facit mentionem propriam de unctione Sacerdotum.) Beatus Hieronymus in Leuit. & in Amos prophetam manifeſte ſatis indicat, quod ſacerdotes ſuo tempore ungebãtur. Concilĩ Carthaginenſe 4. prodit, quod in ordinatione Epiſcopi unus ordinãtium effundat benedictionem in Epiſcopum. Quomodo autem eum uſum Eccleſia ſeruauerit, habet Innocent. 3. in ca. cum ueniſſet, de ſacra unctione. Hæc cũ ita ſe habeant, uſus certe, ſicut ſupra diximus, totius Eccleſiæ in eo potiſſimũ, quod Apoſtolica traditione ad nos peruenit, aſſerendus eſt nobis, non paruipendendus.

Sacerdotes etiam olim ungebantur in primitiua Eccleſia.

QVID REFORMATIONIS *prætenſæ liber contra Catholicã hãc doctrinã auſit.*

Dicta Reformat. non eſt ſecundum hæc compoſita. In primis enim ordinatio non numeratur inter Eccleſiæ Sacramenta.

Quamobrem uero, ut apparet, omiſſa ſit, poſtea dicetur.

Tantum de inſtituendis paſtoribus facit mentionem. Quaſi in Eccleſia non ſint alij ordines, q̃ paſtorũ duntaxat, Fol. 117. facie ſecunda.

DE SACRAM. ORDINIS.

Cum antea liber Reformationis ſacram unctionem Chriſmatis repudiauerit, hic præcipit, ne Suffraganeus in cæremonijs ordinationis quicquã pertẽtet aduerſus libri huius inſtituta, nec ulla grauamina aut uota, quæ huic libro aduerſentur, ordinandis imponat. Folio. 118. facie prima.

Quid eo intendant, iam antea partim dictũ eſt a nobis, & paulopoſt latius explicabitur. Atqui in poteſtate clementiſſimi principis noſtri prorſus non eſt, formam Ordinatiõis ante annos plus mille in tota Eccleſia Catholica uſitatam, abrogare & perimere.

Ad hæc nõ modo durũ, ſed & lõge maxime horrendũ ęſtimãdũ eſt, ꝙd cõſarcinatores libri iſtius clementiſſ. domino noſtro ꝑſuadere præſumpſerunt, id quod in libro illo præcipitur. *Ab omnibus ordinãdis exigẽdum, primo, ut fateãtur doctrinã huius libri certiſſime eſſe unicam Catholicæ Eccleſiæ Dei doctrinam. Similiter ut polliceãtur in ea, tãquam abſq; dubio Chriſtiana manere, ipſam fideliter tueri, docere, & ſecundũ eius ordinationem uiuere. Ac rurſus idcirco Suffraganeum in cæremonijs ordinationis nihil debere aduerſus doctrinã iſtam agere. Quod certũ ſit, doctrinam inibi compræhenſam, ueram, Chriſtianã & Catholicam Eccleſiæ Dei ſententiam & fidem eſſe, ut habetur folio 118. fa. 1.* Cum totus liber & præſertim hęc inſtitutio tam manifeſte totius Eccleſiæ Catholicæ doctrinæ in tam multis & inſignibus locis ex diametro contrarietur, nec ullum habeat in ſcripturis fundamentum.

Horrendum ſane eſt, hominẽs iſtos clementiſſ. domino noſtro hoc uoluiſſe perſuadere, *ipſum ex officio Epiſcopali habere poteſtatem abrogãdi quicquid apud ordinationem introductum eſt poſtea, ut ipſi aiũt, qualis eſt unctio Chriſmatis, uota, & ſimilia, quæ omnia æſtimant libri compoſitores, ſine mandato Dei irrepſiſſe. Folio 118.*

Interim autem non meminẽrunt, ſe de proprio ſenſu innumeras nouationes libro illi inſarſiſſe, quæ neq; uerbo Dei, neque Patribus conformantur. Quale eſt hauddubium Coniugium Sacerdotum, de quo poſtea latius dicetur.

DE SACRAMENTO Matrimonij.

Beatus



Aulus apoſtolus ad Epheſios 5. in uerbis primi hominis, omnium noſtrum parentis Adæ, cũ loqueretur de Eua uxore ſua, Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuę, & erunt duo in carne una, teſtatur magnum ſacramentum contineri: nimirum inſeparabilem unionem Chriſti & ſponſę ſuę Eccleſię. Iam Chriſtus dominus noſter, cum interrogaretur Matthęi 19. Si licet homini dimittere uxorem ſuam, quacunq; ex cauſa? Reſpondens ait: Non legiſtis quia qui fecit ab initio hominem, maſculum ac fœminam creauit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erũt duo in carne una: Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. Diuinis iſtis uerbis reuocauit Chriſtus dominus matrimonium in priorem illum ſtatũ quo in paradiſo primum inſtitutum erat. Oſtenditq; uerba illa primi hominis (Propter hoc relinquet homo patrem & matrem &c) intelligẽda non de coniugio tantum Adę & Euæ, ſed de unoquoq; matrimonio, ſecundum ſuum mandatum contracto: quo Moſaicam relaxationem ob duritiam Iudæorum permiſſam ſuſtulit. Si autem quod Apoſtolus dicit, magnum ſacramentum uerbis iſtis cõtinetur, oportet utiq; ut Chriſtianum Matrimonium magnum ſacramentum ſit, ſanctumq; ſignum, admirandæ & inſeparabilis unionis Chriſti, & ſponſæ ſuæ Eccleſiæ. Quapropter qui uera fide matrimonium ineunt, memores unionis illius quam Chriſtiana ipſorum coniũctio ſignificat, non uulgarem a Deo gratiam conſequuntur. Hanc procul dubio, ut ſe ab omni carnis ſpurcitia toro immaculato, cum adiutorio gratiæ diuinæ quæant continere. Quemadmodum & Chriſtus ſacramentum iſtud matrimonij (quod inter unum tantum uirum & unam fœminam conſiſtere poteſt) non ſolum confirmat, ſed & gratiam cõiugalis caſtitatis, ut in uerbis eius intelligitur, fidelibus promittitur, quando uerbis illis, Et erunt duo in carne una, adijcit: Itaq; iam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. Cum autem inſtarent phariſæi, interrogantes: Quid ergo Moyſes mandauit dari libellum repudij, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyſes ad duriciam cordis ueſtri permiſit uobis dimittere uxores ueſtras: Ab initio autem non fuit ſic. Dico autem uobis, quod quicunq; dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimiſſam duxerit, ſimiliter mœchatur.

Quæ gratia conferatur in ſacramento Matrimonij.

Differentia inter coniugia fideliū & infidelium.

Quibus Christi uerbis innixa sancta catholica Ecclesia hucusq; seruauit & docuit, Matrimonium Christianum sacramentum esse Ecclesiæ Christi. Et longe aliam rem esse coniugium Ethnicorum, Iudæorum, siue matrimonium Christianorum. Apud Ethnicos coniugium fuit honesta quædam politia: apud Iudæos etiam res sancta: uerum apud Christianos res altior est, nempe externum & uisibile signum inuisibilis cuiusdam gratiæ: ut quemadmodum Christus Ecclesiæ suæ inseparabiliter unitur, ita etiam qui in Christo in Ecclesia catholica matrimonium contrahunt, gratiam recipiant caste & immaculate coram Deo in sua uocatione uiuendi.

Cum matrimonium Christianum, sit sacramentum̄, quo prædicta unio Christi & Ecclesię significatur, semper obseruauit & docuit Ecclesia catholica, Christianis uetitam polygamiam: ut non liceat uiro Christiano plures ducere q̄ unam uxorem, & è diuerso fœminæ non pluribus q̄ uni uiro nubere. Id quod Christus expresse & diserte ostendit in eo: Ab initio non fuit sic. Matthæi decimosexto. Non legistis, Et erunt duo in carne una? Quapropter antiqui canones, eos qui prę sumpserunt binas uxores ducere, anathemate notarunt. Quondam etiam Archiepiscopi duo, Teugeualdus Treuirensis & Gontarius Colonienſis, quod Lothario imperatori consenserant, ut duas simul uxores haberet, Thebergam & Gualdradam, ab Archiepiscopali dignitate depositi fuerunt. c. Teuguualdum. ca. 11. quęst. 3. & ca. an non districta ultione feriendus est. 42. quæst. 3.

Tertio, in catholica Ecclesia semper prędicatum fuit, non licere Christianis coniugibus, alterum ab altero discedere, ratione sacramenti uinculi matrimonialis: licet etiam non consequantur proles, & q̄uis generationis causa contraxissent. Ob id Sanctus pater Augustinus de bono Coniugali, cap. 7. dicit: Quem non faciat intentum quid sibi uelit tanta firmitas uinculi coniugalis? Quod nequaq̄ puto tantum ualere potuisse, nisi alicuius rei maioris ex hac infirma mortalitate hominum, quoddam sacramentum adhiberetur, quod deserentibus hominibus ad id dissoluere cupientibus inconcussum illis maneret ad pœnam.

32. quæst. 8. ca. usq; adeo.

Et alibi ait: Manet inter uiuentes quoddam uinculum coniugale. quod nec separatio, nec cum altero uiro copulatio, possit aufferre: sicut apostata anima, uelut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita, Sacramentum fidei non amittit, quod in lauachro regenerationis accepit. Hactenus Augustinus.

Quã-

Quamuis autē Christus dominus unicam fornicationis causam exceperit, ut uideri possit libertatem alteri nubendi, in hoc casu concessisse: ex euangelica tamē & apostolica traditione eius dicti sensus in Concilio Meleuitano, cui beatus Augustinus interfuit, declaratus est, atq; ita sancitum: Placuit ut secundum Euangelicam & apostolicam disciplinam, neq; dimissus ab uxore, neq; dimissa a marito alteri coniungantur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. In qua censuerunt causa legem Imperialem petendam, uidelicet qua prohiberetur aduersus Concilij decretum, secundum euangelicæ & apostolicę doctrinæ normam, magna cum grauitate latum, aliquid præsumere. Canon apostolorum 47. interprete Haloandro, sic habet: Si quis laicus cum suam a se uxorem abijcit, alteram duxerit, aut ab alio dimissam, a communione segregetur. Atq; ita per totam Ecclesiam catholicam obseruatum fuit. Cui libet uideat de hac re Augustinum in sermone Domini in monte. Item lib. de bono coniugali contra Iouinianum. Item de adulterinis coniug. ad Pollentium. & doctum illū Rupertum Abbatem Tuitiensem in Genes. libr. 2. capi. 24. de operibus Trinitatis.

Quarto tametsi sacra probante scriptura, matrimonium eximie laudandum sit: nihilominus tamen interim syncera castitas & cœlibatus, illorum qui in corde suo firmiter statuunt non ex necessitate, sed potestatem habentes suæ uoluntatis ad pure & caste, per gratiā Dei, in cœlibatu uiuendum, consulto proponunt, atq; adeo se castrant propter regnum cœlorum, non modo non sit parupendendus, sed & supra matrimonium statuendus & attollendus, suadendus etiam hominibus: quemadmodum & Christus fecit Matt. 19. & Paulus 1. Corint. 7. quorum uerba iam in summam contraximus.

Epiphanius ubi catholicę Ecclesię imaginem depingit, lib. 3. cōtra hęreses, tomo 2. in fine, dicit uirginitatem semper prædicatā fuisse, uelut crepidinem & fundamentum quoddā in Ecclesia, seruariq; & exerceri a multis, tam masculis q̄ fœminis, glorificari quoq; super reliquos status: Post ipsam enim sequitur Viduitas, & omnium ultimo Coniugium.

Simile est quod habet Hieronymus ad Marcellā, In omnibus Ecclesię ornamentis chorum uirginum resplendere, tanq̄ florem & nobile quoddā margaritū. Augustinus lib. de hęre. ad quod uult deū, testatur Iouinianistas a Iouiniano Monacho quodā ortos, ideo pro hęreticis dānatos, q̄ uirginitatem etiā sanctimonialiū, & cōtinentiā

sexus

ſexus uirilis in ſanctis eligentibus uitam cœlibem, coniugiorum caſtorum atq; fidelium meritis adæquaret: ita ut quædam uirgines ſacrę, prouectæ iam ætatis, in urbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito nupſiſſe dicerentur: Dum tamen ipſe nec haberet, nec habere uellet propter inſtantem neceſſitatem uxorem, &. Et addit citiſſime hæreſim hanc oppreſſam & extinctam fuiſſe, nec uſq; ad deceptionem ſacerdotum potuiſſe peruenire. Quanta Hieronymus & alij catholici patres aduerſus Iouinianum prolixe & præclare ſcripſerint, doctiores non latet.

Quid liber Reformationis nominatæ aduerſus hæc conſtituat.

Ab his omnibus diſſidet liber ille. Non recipit Matrimonium in numerum ſacramentorum. Et haud dubium libri authores nõ opinãtur Matrimonium eſſe uerum ſacramentum. At qui ita ſentiunt, permittunt Chriſtianis habere ſimul plures quam uxorem unam. Admittunt quoq; diuortium ob plures alias cauſas quam adulterium. Permittunt quoq; diuortio facto repudiatis facultatem iterum nubendi: quamuis legitimus coniunx adhuc uiuat.

Et o utinam, Deo propicio, clementiſſ. dominus noſter de rebus iſtis melius rectiusq; fuiſſet edoctus, priuſquam liber Typographis committebatur imprimendus.

Ex aduerſo autem, cum de uera Matrimonij dignitate, quæ in ſacramentali prærogatiua conſiſtit ſit in libro ſilentium, laudat ſtatum illũ abre unde certe laudem non meretur, & tam magnificat atq; extollit ſanctitatem eius, quaſi nullus reperiatur ſanctior ſtatus. Et audent affirmare, Deum coniugibus maiorem quam alijs dare dilectionem & fidelitatẽ erga homines, ad ſeruiendum & ſuccurrendum eis ſecundum uerbum Dei. Folio 120. *facie* 1. *& folio* 121. *facie* 2.

Quin & dictum illud Geneſis ſecundo, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum. ita reddit Teutonice: **Es ſie nit gůt das der menſch alleyn ſey.** Folio 121. *facie* 2. *Quod ſonat in ea lingua, ac ſi malum ſit hominẽ eſſe ſolum.* Cum ſcriptura ſecundum uerum eius ſenſum hoc certe nõ uelit, ſed potius non eſſe commodum neq; expedire propagationi generis humani, ut ſtatim a creatione homo ſolus maneat. Alioquí apoſtolus Paulus dicit, Bonum eſſe homini ſic permanere, & melius quã habere uxorem.

Item

Item liber præcipit ut omnes Matrimonio initiandi, tam uirgines q̃ uiduæ, benedicantur in Ecclesia coram toto populo Dei. Folio 119.

Quod antiquis canonibus aduersatur, quibus uetitum est secũdis nuptijs benedicere: ob id, quod hæ non proprie sint sacramentũ unionis illius mysticæ, qua Christus unicus, unicæ suæ sponsæ Ecclesiæ coniungitur. can. quomodo. 31. quæst. 1. & de secundis nuptijs. ca. 1. & can. uir autem. Vbi dicitur: Vna costa a principio in unam uxorem uersa est. Et erit (inquit) duo in carne una. Non quod secundæ, tertiæ, aut etiam quartæ nuptiæ sint damnabiles: Cum Apostolus Christi eas admittat. magis tamen ex indulgentia q̃ ut laudandas ęstimet. Certe uetus Ecclesia non arbitrabatur secundas nuptias lasciuia uacare. Vide c. de his ex Concilio Neocęsarieñ. can hac ratione. qui ex Chrysostomo sumptus est. & c. quomodo. ex Hieronymo, 31. quęst. 1. Item Epiphanium libro 2. contra hæret. tomo 2. in hæresim Catharorum.

Porro liber habet, Coniuges adeo & ad eum modum unum esse hominẽ ut per nullam creaturam siue in cœlis siue in terris debeant unquam separari. Folio 121. Cum morte soluatur matrimonium, & non sit amplius in cœlo ullum coniugij uinculũ, uti Christus Mat. 22. testatur.

Cum in uniuersali Lateraneñ. Concilio, cui tam Orientalis q̃ Occidentalis Ecclesia (ut supra relatum est) interfuit, enumerentur & explicentur gradus prohibiti diserte, decretumq; sit, ut in Ecclesia catholica gradus illi ęstimentur tanq̃ prohibiti & illiciti. c. non debet, de consanguinitate & affinitate, Non potest solus clementiss. Princeps noster hac in re mutationem inducere.

Et tamen prodit liber ipsum uelle per impressionẽ euulgare quos gradus uelit prohibitos esse. Fol. 122. facie 1 & 2.

Tametsi a ueteri testamento, & canone Euaristi, non admodũ abhorreat ut proles non contrahant matrimonium absq; parentum licentia & uoluntate: non licet tamen clementiss. domino nostro præcipere statuereq; *ut omne matrimonium quod præter uoluntatem parentum, aut parentibus defunctis absq; consanguineorum uel tutorum consensum initur, deinceps non censeatur matrimonium legitimum, nec pro tali habendum. Quod fit in libro, Folio 122. facie 2.*

Cui sane canones fere omnes aduersantur, etiam qui ante annos mille fuerunt in usu. Quod si in re ista debeat ad normam canonis

Euariſti ulla fieri mutatio, neceſſe erit Euariſti Canonem illum ſumma moderatione renouari, uidelicet ne parẽtibus permittatur, ut proles forte a commodo & utili matrimonio prohibeãt, aut relinquãt contra eorum uoluntatem innuptas, aut certe ad ineptum aliquod (quod heu nimium ſæpe fit) matrimonium cogant. Ad hæc prorſus inauditum eſt, matrimonium ex arbitrio & uoluntate cognatorum primum ratũ uel irritum habendum eſſe; nec id periculo uacaret. Cum tali poteſtate prædditi cognati, aut tutores, occaſionem poſſent captare clientes ſuos in ætate nubili, non deſponſandi, aut ad nuptias qualeſcunque pro ſua libidine cogendi. Quod non modo durum & tolerabile, uerumetiam parum Chriſtianum foret.

Poſtremo forma coniungẽdi & benedicendi matrimonium ineuntes hactenus in Eccleſia Catholica uſitata, hoc libro in uniuerſo mutat.

DE VISITATIONE INFIRmorum, & ſacræ unctionis Sacramento.

Vnctio infirmorũ Sacramentum eſt Eccleſiæ.

QVanquam ſanctæ unctionis Sacramentum, ſicut in præcedentibus ex Euangelio Marci 6. & Epiſtola Iacobi 5. demõſtrauimus, Sacramentũ ſit Eccleſiæ Chriſtianæ. Quemadmodum etiam ab Eccleſiæ primordijs pro tali ſeruatum fuit, & cum orationibus ſalutaribus hucuſq; uſitatum, ſicuti ex ſanctis Patribus facilime demonſtrari poteſt. In quibus uide Chryſoſtomum libro 3. de Sacerdotio, Theophilactum in cap. 6. Marci. Hieronymum ad Ruſticum. & in Commentarijs in Marcum, quæ ei aſſcribuntur. Auguſtinum in libro de uiſitatione infirmorum. Innocentium Papam primum, qui ſeculo Auguſtini uixit. Gregorium, Bedam & alios: ut interim de uniuerſali traditione hactenus toto orbe Chriſtiano uſitata taceamus. Hoc unũ factum præterire non poſſumus, quod ſcribit Euſebius libro 9. Eccleſiaſt. hiſtoriæ, cap. 4. de diſcipulis beati Antonij, quibus cum oblatus fuiſſet homo, iam pridem membris omnibus, & præcipue pedibus aridus, unxerunt eum in nomine domini oleo, ſtatimq; confirmatæ ſunt plantæ eius. Cui ſimile eſt, quod ſcribit Sulpitius Seuerus in uita ſancti Martini, capite uigeſimoprimo. Qui oleo ſanctificato puellam quandam dira paraliſis ægritudine correptam, ut iam nullo ad humanos uſus corporis officio fungeretur, ſanitati reſtituit. Etiam ſi externa illa miracula noſtra ætate non fiant. Cum Sacramentum uirtutem intrinſecus operandi propterea non amittat.

Quæ ſit opinio libri de hac re.

Liber

Liber tamen Reforma. Sacramentū iſtud una cū orationibus, quæ hactenus in eius adminiſtratione pie dictæ ſunt, prorſus eliminat. Docet autem paſtores, infirmos certos & ſecuros reddere quo tuto & certiſſime credāt, omnia ſua peccata ab eis in Chriſtum translata, à Chriſto uero, prorſus ablata, & in nihilum redacta, atque ita non reſtare modo in conſpectu Dei iræ cauſam ullam, ſed meram gratiam, ſolatium, uitā & beatitudinem. Folio 113. facie prima.

Sancti Patres multis modis conſolati ſunt infirmos, ſed pie & Chriſtiane: non autem tam largis uerbis. Beatus Ambroſius in exhortatione ad pœnitentiam agendam, affirmare nōn audet, eum, qui in mortis articulo iaceat, & tūc demum uelit pœnitere, ſecure hinc diſcedere. Pro huiuſmodi dicit ſe polliceri non poſſe, quod neminem uelit deceptum. Agens (inquit) pœnitentiam dum ſanus eſt, & reconciliatus, ſi poſtea bene uixerit, ſecurus eſt. Agens uero pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, ſi exierit, an ſecurus hinc exeat, ego non ſum ſecurus.

In Commētarijs, qui feruntur eſſe Hieronymi in Pſalterium, in Pſal. 115. ita dicitur: Quicunq; ſanctus moritur, non uadit ad dominum ſecurus, martyr autem ſecurus uadit ad dominūm. Beatus pater Auguſtinus, ſicut Poſſidonius in uita eius narrat, docere ſolebat poſt perceptū baptiſmum, etiam laudatos Chriſtianos & Sacerdotes, abſq; digna & competenti pœnitentia, exire de corpore non debere. Quapropter & ipſe ante mortem ſuam (ut ille dicit) pœnitētiam egit. Antiquiſſimi Canones teſtantur, quod licet pœnitentibus (Hoc eſt, qui pœnitentiam publicam agebant) imminente morte reconciliatio & abſolutio (pœnitentia licet nondum impleta) non debuerit negari, neque item pœnitētia his qui petiuiſſent ad pœnitentiam recipi: Hoc tamen factum conditionibus & pactis, ut ſi ab infirmitate conualeſcerent, pœnitentiam implerēt. In Concilio Nicæno ſtatuitur, ut de his, qui recedunt e corpore antiquę legis Eccleſiaſticæ regula obſeruatur, ab Apoſtolis nimirum tradita. In quarto Concilio Carthaginen. cui beatus Auguſtinus præſens interfuit, decernitur, ut pœnitentes, qui reconciliationem & uiaticum Euchariſtiæ in infirmitate (dabatur enim in mortis articulo pœnitentibus Eucharistia, tanquam uiaticum itineris) acceperint, non credant ſe abſolutos ſi ſuperuixerint, ſine manus impoſitiōe, quam Epiſcopus poſt completam pœnitentiam facere ſolebat. Statuitur item, ut ſi pœnitētes caſu, uel in itinere, uel in mari mortui fuerint, ubi eis ſubueniri non poſſit, memoria eorum orationibus & oblationibus commendatur, can. 76. 77. 78. & 79.

Similia reperiuntur in Concilio Carthaginen. 2. Item in Concilio Martini Papæ, & Concilio Arauſicano, & canonibus Innocẽtij primi, Leonis Magni & Celeſtini. Si libet uide canonem Aurelius cum ſequentibus 26. q. 6. ubi habetur, præſertim in c. agnouimus. quomodo infirmi in ſuprema neceſſitate debeant conſolari.

Apparet autem libri authores iſta infirmorum certificatione uoluiſſe hoc tandem dictum & inſinuatum, *oratione pro defunctis nihil omnino opus eſſe, eosq; qui in ſupremi ſpiritus exhalatione crederent tantum, licet tempus uitæ ſuæ abſq; timore Dei peregerint, pœnitentiam autem ante mortis exitum nullam egerint, nõ debere ſibi de futura poſt mortem uita metuere, ſed euolare ſtatim ab ore ad cœlum.*

Eccleſia uero catholica ſtatim a diſſolutione corporis mortis huius, apud ſepulturam ſollicite & ex animo pro defunctis ſemper, etiã ab apoſtolorum temporibus, orauit. Sicut beatus Dionyſius in libro de Eccleſ. hierar. cap. 7. parte 2. & 3. teſtatur. Seruauit item uigilias nocturnas, legit pſalmos: unde Vigiliæ mortuorum initium ſumpſerunt. Solennes quoq; orationes fudit, quando corpus terræ commẽdabatur: unde adhuc Commendationis nomen habent. uti ex Nazianzeno oratione 81. & Hieronymo in uita Hilarionis cognoſci poteſt. Similiter pro defunctis obtulit ſacrificia ad altare: quod in præcedentibus multipliciter, præcipue ex Auguſtino demonſtratũ eſt, libro de cura pro mortuis gerenda. Item libro nono Confeſſionũ, capite 11. & 12. Item de uerbis Apoſtoli ſermone 32. & de octo quæſt. Dulcitij quæſt. 2. Sed & canon 79 quarti Concilij Carthaginẽn. iam allegatus, ad idem facit. Obſeruatos fuiſſe & Anniuerſarios dies, inuenitur apud Ambroſium de obitu Valentiniani. In Africano quodam Concilio c. 8. mandatur, ut quotidie fiat a meridie commendatio defunctorum pijs precibus.

De his omnibus libẽr nominatæ Reformationis nullam omnino mentionem facit, ſed æſtimat res ut apparet inutiles eſſe.

DE

DE COMMVNIBVS ALIIS Ecclesiæ exercitijs, nempe psallendi, orandi, legendi, & reliquis Cæremonijs.

Institutio orationũ & laudũ diuinarũ, quas septem Canonicas horas appellant.



Anonicarum precum, quas septem horas Canonicas appellãt, origo ex Patribus uetustissimis ostendi potest, ex Eusebio in Ecclesiast. historia. Similiter ex histo. Tripart. Ex Athanasio, Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, q̃ ambo preces illas suis nominibus ordine numerant; Nocturnas Matutinas. Ad Primã, Tertiam, Sextam, Nonam, Vespertinas & post cœnam preces.

Prior Chrysostomus in Episto. 1. ad Timoth. cap. 5. Alter Hieronymus de uirginitate seruanda ad Demetriadem. Beatus Ambrosius ad singulas horas hymnos composuit. Cæteros Patres silẽtio prẽterimus.

Iam cũ septem ille horæ Canonicæ uniformiter fere, per uniuersam Germaniæ nationẽ in Catholicis Ecclesijs obseruent̃, & in Cõcilijs aliquot ad seruandũ sint præceptæ, non potest clementiss. dñs noster solus eosdẽ de integro in formam aliã mutare, nisi forte cõperiatur in eis aliquid scripturæ sacræ & pietati non admodũ cõforme. Cuius restitutio pertinet ad Synodũ prouincialẽ. Toletanũ Conciliũ constituit, ut unaquæq; prouincia, & psallendi, & ministrandi parẽ consuetudinem habeat, ne quælibet nostra diuersitas schismatis errorẽ uideat̃ ostendere.

Constitutio libri de rebus istis.

Liber ordinat, ut in ciuitatibus diebus non festis, bis tantum in hebdomada fiant conuentus, in quibus Lectiones, Orationes, & Psalmi seruentur, hora & modis pro populi commoditate.

At quid autores libri mutationibus huiusmodi molianẽ, deprẽhendi potest ex ijs quæ habentur. Fol. 130. fa. 2. fol. 139. fa. 2. & fol. seq.

DE FESTIS DIEBVS.

ANte annos circiter mille celebrauit populus Christianus dies festos, q̃ hic enumeranẽ: q̃s deinde Conciliũ Lugdunẽse, ac postremo Grego. nonus in cap. fina. de ferijs p̃ceperũt celebrare.

Natiuitatis Christi.
Stephani.
Iohannis Euangelistæ.
Innocentum.
Circuncisionis.

Epiphaniæ.
Conuersionis Pauli.
Purificationis Mariæ.
Annunciationis.
Paschæ, cũ sequẽtibus diebus.
Ascensionis Domini.
Pentecostes cũ dieb. sequent.
Natiuitatis Iohannis Baptistę
Duodecim apostolorum. potissimum Petri & Pauli.
Sancti Laurentij.
Assumptionis Mariæ.
Decollationis Iohannis.
Natiuitatis Mariæ.
Michaelis.
Omnium sanctorum.
Sancti Martini.
Dedicationis Ecclesiæ.

At uero Reformationis liber paucorum dierum festorum præter dominicos meminit. Imo ordinat ut diebus apostolorum (festo tantum Petri & Pauli excepto) ab operibus non longius q̃s ad finitum sermonem cessetur. Postea permittit unicuiq; laborare curareq; negotia sua. Folio 124.

Sed hoc mirum, quod inter alia festa omittuntur Assumptionis & Natiuitatis Mariæ: quum tamen festum Assumptionis ante tempora Hieronymi & Augustini in Ecclesia Catholica solenniter celebrarentur: quod antiquæ homiliæ & sermones de isdẽ festis probant.

Nicephorus Grȩcus scriptor festum illud Θεοῦ κοίμησις appellat, hoc est, gratiosæ uirginis profectionem. nimirum e mundo ad superos. Vnde Theodorus Cyrus scripsit de hac festiuitate Tetrastichon in dormitionem θεοτόκου.

Si æquum est solennem agere diem Natalitium Iohannis Baptistæ, qui tantũ minister, nuncius & præcursor fuit Christi: Quanto æquius celebremus diem natalitiũ sanctissimæ uirginis Mariæ, quã Deus ab æterno in sanctissimã & immaculatissimã matrẽ unigeniti filij sui dñi & Dei nostri præordinauit? Æquum esse censemus ut dies illos quibus apostoli ab hoc seculo migrauerunt festos agamus: Quanto uero amplius diem illum quo nunquam satis laudata uirgo Maria secundum carnem obdormiuit, & haud dubium uel spiritus eius super omnes choros angelorum exaltatus est, celebremus?

Iam

Iam singulorum apostolorum dies ante Syricij antiqui illius Papæ tempora solenni cultu celebrabantur. De festo sancti Laurentij inuenitur apud beatum Augustinum super Iohannem tractatu 17. Reperitur quoq; præcipue apud Basilium, Chrysostomum, Cyprianum, Augustinum & alios patres, atq; etiã in Concilijs generalibus, quod in singulis quibusque locis, ubi sancti martyres per martyriũ glorioſe triumpharunt, aut ubi eorum seruantur corpora, debeant festa eorundem celebrari. Iam an liceat clementiſſ. principi nostro aduersus uniuersalem hanc ordinationẽ soli, nouam erigere, pruden ter expendendum arbitramur.

Ad hæc liber dicit, nos de nullo apostolorum aliquid certi habere amplius, q̃s in Euangelijs, Actis apostolorum, & proprijs eorum scriptis reperiatur. Folio 124. facie 1. Quod certe derogat authoritati & fidei plurimorum uetustiſſimorum patrum, & fide dignis Ecclesiasticarum rerum historiographis, Eusebio præsertim.

DE IEIVNIO ET DELEctu ciborum.

QVid præterea liber tradat de præcepto aut uoluntario ieiunio, de Quadragesima & delectu ciborum, iam supra indicauimus. Tantum de Quadragesima quomodo olim obseruata sit, & nunc debeat obseruari, Vide Theophilum Alexandrinum libro 1. Paschali. & libro 3. ubi clare inueniẽs illo etiam tempore carnibus uesci non licuisse. Hunc librum beatus Hieronymus trãstulit in linguam Latinam: Non decet (inquit) ieiunantes tempore agonis & prelij carnibus uesci. &c. Inuehitur in eos qui clausis ostijs occulte carnibus uescebantur & uinum bibebant. Quin & antiqui ueri Christiani extra Quadragesimam toto fere uitę tempore, ultro & iniussi a carnibus abstinuerunt. Vide Euseb. lib. 5. Eccle. historiæ cap. 1. ubi refert Blandinam martyrem inter tormenta pro Christianorum innocentia exclamasse: Multum erratis o uiri, quod putatis infantum uisceribus uesci eos, qui ne mutorum quidem animalium carnibus utuntur.

De obseruatione Quadragesimæ & puduettres.

DE ARCVLA PAVPERVM.

Liber uult ut passim Arculæ statuantur, quibus imponatur quicquid Fraternitates in penu seu ærario communi habent. Folio 127.

Iam quicquid fere Fraternitates habent, eo destinatum est, ut defunctorum pie & sancte habeatur memoria apud altare Domini. Vnde sicut Augustinus ait, salutare sacrificium dispensatur.

An

Añ uero liceat clementissimo domino nostro hæc alio conuertere, quã quo ultima testatorum uoluntate destinata sunt, prudẽter expendendũ.

DE SCHOLIS.

QVod deinde in libro Reforma. de Pedagogio Scholastico, & academia Bonnæ instituenda mouetur, triplicem ob causam nobis admodum graue est.

Primum ob id, quod ibi dicitur in ijs Scholis tradendam doctrinam, quæ in his quæ Religionis Christianæ sunt, doctrinæ huius libri consonet, Propterea quod eadem nihil sit aliud, quam uerus Ecclesiæ Catholicæ Christi sensus. Secundo, quod libelli quidam illis nominatim descripti, debeant adolescentibus prælegi.

Quos certe in his quæ Religionem nostram concernunt, habemus non immerito suspectos, ut quibus plurima insint, a Catholica doctrina dissonantia, & ijs quæ supra tradidimus, probauimusq;, plane contraria.

Ac tertio, quod liber ille dicat clementißimum principem nostrum, præceptori & famulis eius, uelle uicarias aliquot & præbendas pro stipendio assignare. Folio 128. facie 2. Academiam quoq; Bonnæ ita demũ utiliter institui & conseruari, si non tantum legentes stipendia sua, uerum etiam pauperes aliquot adolescentes uictum habeant, atq; in hũc usum monasterium aliquod conuertatur, quibus alioqui etiam nunc abutãtur, quod in plerisque Monasterijs uix quinque aut sex agant, nemini utiles, & magnas fundationes, dotes, gratis profligentes, ut idcirco decreuerit sua clementia intendere, efficereq;, quo hæc mutentur. Folio 133. fa. 2.

Iam uero non licẽt altari cuipiam operiendo nũdare alterum. Sicut beatus Apostolus dicit: Non faciamus mala, ut eueniant bona. Nec licet item de alieno largitiones facere.

Quo uero Concilium istud de extinguendis uicarijs, præbendis & Monasterijs, pro sustentatione præceptorũ, famulorum ac discipulorũ, nõ adeo indecẽs uideat, authores libri clementiss. principi nostro suggesserũt, *Collegia olim fuisse Scholas, ac postea dotata, atq; ita in Collegia paulatim succreuisse, uerũ cũ hoc male nunc cesserit, necessitatẽ postulare, ut Scholæ erigantur & foueantur. Folio 131. facie 1.*

Atqui

Atqui hæc persuasio non est conformis ueritati. Eusebius in Eccle siastica historia, in multis locis habet, q̃d Collegia ab Apostolorũ tem pore fuerint domus orationum siue dominica appellata, libro 8. cap. 1. & libro 9. capite 10. in Epistola Maximini pro Christianis .*Et indubi tatum est sicut beatus Rhenanus in Euseb. annotauit, quod olim Chri stiani Ecclesias & Collegia, quæ ad honorem Christi domini nostri ere xerunt, uocaruntq; dominica, ob id potissimum ædificauerint, quo po pulus ibidem, orationis, prædicationis, & administrationis Sacramen torum causa conueniret. Germanos q̃q; a uoce Latina (Dominicum) nomen, quo Cathredrales Ecclesias contractis quatuor syllabis in unã, ein Dhom uocant, & Canonicos Dhomherren, mutuasse. Quanquam uerum est, quod iuxta huiusmodi Collegia erectæ fuerint olim Scholę, quibus qui præficiebãtur, officiũ doctoris (de quo Paulus ad Ephe. 4.) obibant. Sicut Euseb. testatur libro 5. cap. 10. Modo appellantur Scho lastici. Quanquam prohdolor officio suo, non ita hac tempestate satis faciant.

*Verba legis quam tulit Maximinus p Christianis: Sed & orationũ domus .i. dñica sua, ut instaurẽt pro uoluntate sua p̃mittimus. Sane quo in oĩbus cumulatior habeatur hæc nostra largitio, etiã illud hac lege sancimus, ut si quæ domus, agri, uel quæ libet p̃dia ex Christianorũ bonis, antehac parentũ nostrorũ p̃ceptis ad fiscĩ ius fuerant sociata, si qua etiã ibi ab aliquo cõpetita sunt, uel si qua sunt distracta, aut dono in aliquem conlata, hæc oĩa in antiquum ius Christianorũ p̃cipimus reuocari, dominisq; proprijs uniuersa restitui, &c.

Si Collegia Scholæ tantum fuissent, uetus Ecclesia non ordinasset p singulis officijs, quæ a Paulo ad Ephes. enumerantur, exercendis peculiares ministros, Sicut beatus Ambrosius factum fuisse testatur: sed officio tantum doctoris dedisset successores. Iam autem uetus Ecclesia in Ecclesijs maioribus ordinauit Episcopos in locum Apostolorũ. In locum uero Prophetarum, Presbyteros, Canonicos, qui sacræ scripturæ mysteria inquirerent & exponerent: Habuit & alios uiros, nullis certis Ecclesijs alligatos, qui Euangelistarum munere fungerentur, & prædicarent uerbum Dei ubiuis. De quo uide Eusebium libro iam dicto 5. capite 10. Quod quidem officium rursus erigere aggressi sunt, Sancti patres Dominicus & Frãciscus. Habet denique & Pastores, gregibus quibusdam quos pascant, sicut olim, addictos. Pręter hos autem oĩes, fuerunt doctores, quales modo Scholastici esse deberent.

Nemo meliũs, quid initio fuerint Collegia, & ad quid præcipue ædificata, describit, imperatore Iustiniano, in Nouel. constitut. ut determinatus sit numerus Clericorum Maioris Ecclesiæ, neque non sanctissimarum Ecclesiarum, &cæt. Vbi refert in Regia urbe Constantinopoli, principio solum sacrosanctam Ecclesiam Maiorem fuisse, ac deinde constructas Ecclesias posteriores glorioſæ uirginis genitricis Mariæ, Sanctæ Helenæ, &c. In quibus Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Lectores, Cantores, & Ostiarij, suum quisque munus ad exercenda pietatis officia obirent. Contrahit Clerum Ecclesiæ maioris, qui plu

a rimus

rimus erat, in certum numerũ ut essent deinceps Presbyteri tantũ sexaginta, Diaconi centum, Subdiaconi nonaginta, Centum & decem Lectores, Cantores uiginti quinque, & Ostiariĳ centum. Quibus omnibus de uitæ necessariĳs ad honestatem prospectũ erat. In calce uero eius constitutionis ait, non minus sibi sacrosanctarum Ecclesiarum commoda, curæ esse, quam ipsam uitam.

Similia reperis sub titulo, Quomodo oporteat Episcopos & cæteros Clericos ad ordinationem perduci. & de expensis Ecclesiarũ, constitutione 6. Item sub titulo de Ecclesiasticis diuersis, capitulis, constitutione 123. legis, neminem de Ecclesiæ bonis uixisse, nisi fuisset ab Episcopo ordinatus, ad aliquod prædictorum ministeriorũ. Quod ipsum & ueteres Canones Latinæ Ecclesiæ testantur, can. futuram Ecclesiam 12. quæstione pri. ubi dicitur: A tempore Constantini uiri Religiosi, nõ solum possessiones & prædia quæ possidebant, sed etiam semetipsos domino consecrarunt, ædificantes Basilicas in suis fundis, in honorem sanctorũ Martyrum per ciuitates ac Monasteria innumera, in quibus cœtus dño seruientium cõueniret. Et quod præter Ecclesiastica ministeria (quarę gratia Collegia potissimũ fundata sunt) fuerunt etiã apud ea Scholæ, in quibus adolescentia institueretur, quę probatissimo Seniori, quem & magistrum doctrinæ & testem uitæ habebat, committebatur. Habes in can. omnis ętas, ead. quæstione & causa, e Concilio Toletano excerpto, ubi etiam indicatur, eam solam iuuentutem Ecclesiarum expensis olim educatam & institutam, quæ Ecclesiasticis ministris mancipata erat.

Scholæ apud Collegia.

Qui hanc ueteris Ecclesiæ successionem & traditionem habet cognitam, ei mos & ordo Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, quæ scholam Theologicam, & Pedagogium quoque sibi cohærentia habet, aliorũq; Collegiorum, quæ omnia (ut est Coloniæ tam primariĳ quam secundariĳ Cleri mos & ordo) Scholas suas iuxta se habent, non usque adeo improbabitur. Tantum si annuente Deo omnia officia & ministeria, sicut optime instituta sunt, recte obseruarentur. Atq; huc merito inuigilandum esset, quæ hauddubium foret omnium optima Reformatio.

DE COELIBATV SACERDOTVM.

Cælibes ad sacerdotiũ uocati non poterant olim ducere uxores.

ADhæc, quamuis negari non possit ab Apostolorum tempore, tam in Ecclesia Græcorum quam Latinorum, omnibus, qui in Celibatu existentes, se in Sacerdotium cotulissent, prohibitum fuisse postea ducere uxorẽ, sicut Canõ Apostolo-

Apostolorum decimus clare testatur, qui ita habet: Ex his qui cœlibes in Clerum peruenerunt, iubemus ut Lectores tantum, & Cantores si uelint nuptias contrahant, &c. Quod ex alijs quoque Patribus uetustissimis, & Concilijs latius demonstrari posset. Et ne unum quidem omino exemplum adferri queat aliter unquam Ecclesia Catholica consentiente factum.

Non assumebantur ad Sacerdotium qui duas uxores habuerunt.

Quamuis item nunquam auditum sit, & apud Græcos quidem ullũ ad Sacerdotium assumptum, qui duas uxores habuisset, sicut Tertullianus ad uxorem ait: Apostolus non sinit digamos præsidere. Quod, ut dicit Augustinus libro de bono Coniugali, cap. decimooctauo, acutius intellexerunt, qui nec eum qui Catechumenus, uel paganus, habuerit alterã ordinãdũ esse censuerũt. Agit enim hic nõ de eo, num sit pctm̃ alteram ducere uxorem, sed quid Ordinis Sacramẽto congruat. Nã quãuis in baptismo omnia peccata dimittãtur, licet etiam qui duas, alteram post alteram habuit uxores, non peccasset, Ius tamẽ Ordinationis Ecclesiasticæ amisit. Quod quidem ius, & si non ad hæc exigatur, ut si qs Christianus, requiritur tamen ad hoc, ut Ordinationis Ecclesiasticæ signum accipiat. De quo uide eundem Augustinum ex Apostolo Paulo strennue differentem, & hæc demonstrantem.

QVID REFORMATIONIS *prætensæ liber contra Catholicã hãc doctrinã ausit.*

Nihilominus tamen clementiss. dominus noster in Reformatinne illa, ijs qui Sacerdotio initiati sunt, potestatem facit ducendi uxores. Folio 134. facie secunda.

Constat in Ecclesia Græcorum maritum quidem, sed qui uirginem unam tantum uxorem duxisset, ad ministerium Ecclesiæ uocatum fuisse. Id quod & Latina Ecclesia olim etiam fecit: nunquam tamẽ Ecclesia Græca alicui permisit, post assumptum Sacerdotium uxorem ducere, & in ministerio nihilominus permanere. Tantum abest, ut priore defuncta, transitum concesserit ad nuptias secundas. Sed & Latina Ecclesia longe etiam ante beati Ambrosij tempora, his, qui in coniugio ad Sacerdotium assumebantur, cum eorum & uxorum suarum consensu ac uoluntate, legem talem innexuit, ut in Sacerdotio deinceps coniugali toro abstinerent. Sicut beatus Ambrosius in Epistola pri. ad Timoth. capite tertio nobis indicat, ubi illis Pauli uerbis, Si filios bene gubernauerint, & cæt. explicatis, addit: Sed de cætero ab usu fœminæ se cohi-

beant. Veteribus enim idcirco conceſſum eſt Leuitis & Sacerdotibus, uxores ad uſum habere, quia multum tempus ocio uacabant. Nunc autem omnes a conuentu fœminę abſtinere debent, ꝙa neceſſe eſt eos quotidie præſto eſſe in Eccleſia Dei, nec habere dilationem, ut poſt conuentum legitime purificentur, ſicut ueteres. Omni enim hebdomada offerendum eſt, etiam ſi non quotidie, peregrinis, incolis tamen uel bis in hebdomada. Et non deſunt qui prope quotidie baptizentur. Si enim plebis hominibus orationis cauſa ad tempus abſtinere ſe præcipit, ut uacent orationi, quãto magis Leuitis & Sacerdotibus? quos die noctuq; pro plebe ſibi commiſſa oportet orare. Mundiores ergo debent eſſe cæteris, quia actores Dei ſunt. Hactenus Ambroſius.

Amb. quotidie obtulit, ut teſtatur epiſt. 33. ad Marcellinã ſororem, lib. 5. Pro quibus ego, inquit, quotidie inſtauro ſacrificium.

Imo etiam Græcorum Eccleſia ibi præſertim, ubi Canonum obſeruationi indulgebatur, ita ſeruauit: quod teſtatur Epiphanius contra hæreſes libro 2. tomo pri. in Catharis: Reuera (inquit) non ſuſcipit ſancta Dei prædicatio, poſt Chriſti aduentũ eos, ꝙa nuptijs, mortua ipſorum uxore, ſecundis nuptijs coniuncti ſunt, propter excellentem Sacerdotij honorem & dignitatem. Et hæc certo, ſancta Dei Eccleſia cũ ſynceritate obſeruat. Sed aphuc uiuentem & liberos gignentem, unius uxoris uirum non ſuſcipit, ſed eum qui ſe ab una continuit, aut in uiduitate uixit. Diaconum, & Presbyterum, & Epiſcopum, & Hypodiaconũ, maxime ubi ſynceri ſunt Canones Eccleſiaſtici, &c. Hactenus ille.

Vtrum iam clementiſſ. domino noſtro permiſſum ſit, uniuerſalem & ab Apoſtolorum tempore receptam in Catholica Eccleſia traditionem hanc, præſertim, ut qui cœlibes in Sacerdotiũ aſſumpti ſunt, non ducant deinde uxores. Similiter, ut qui duas, unam poſt alterã uxores habuerunt, in Sacerdotio non admittantur, abrogare: bene & prudenter expendendum, maxime cum Sacerdotes in ordinatiõe ſua promittant ſe uelle ad inſtituta ſacrorũ Canonum uiuere, de quo uoto paulopoſt latius dicetur.

Præterea inficiari nemo poteſt Apoſtolũ Paulũ luculenter & expreſſe præcepiſſe, ne ad Eccleſiæ miniſteriũ aſſumeretur, qui duas habuiſſet uxores, quãtominus ei ꝙ iã Sacerdotiũ adeptus eſt, liceat duas, unã poſt alteram ducere uxores? Beatus Chryſoſt. (ut Patres reliquos breuitatis cauſa prætereamus) in caput 1. Epiſtolæ ad Titum, ita ait: Caſtigat Apoſtolus hoc ipſo etiam impudicos, dũ non eos permittit poſt ſecundas nuptias ad Eccleſię regimen, dignitatemque paſtoris aſſumi.

Manifeſte agit Sacerdos contra ſcripturã, qui defuncta uxore ſua ducit ſecundam.

Nam

Nam qui defunctæ uxori suæ beneuolentiam nullam seruasse deprehenditur: quo pacto hic Ecclesiæ præceptor esse optimus poterit? Imo quibus criminibus non subijcietur indies? Nostis enim profecto omnes, quod etsi per leges secundæ nuptiæ permittũtur, multis tamen ea res accusationibus patet. Nullam ergo occasionem præbere subiectis Præsulem uult. Quocirca hic ante omnia posuit, Si quis est sine crimine, hoc est: Si uita illius omnis immunis a culpa, si mores eius nemo carpere potuit.

DE REFORMATIONE ET restitutione Collegiorum.

Hic orditur liber ille nouas ordinare constitutiones de Collegijs, quæ non solum sunt nouitium quoddã & humanum commentum, absq; omni scripturæ sacræ fundamento: sed & antiquis canonibus, fundationibus & institutionibus Metropolitanæ, & aliarum ecclesiarum, plane compugnant. Præter unum istud q̃d initio liber dicit, *Si ad integrum debent personæ Collegiorum Reformari, oportebit ut omnes Collegiorum Præpositi, & quotquot eorum sunt membra, nempe sacerdotes, diaconi, subdiaconi, canonici, uicarij, denique & omnes Clerici, ad formam redeant & modum, quem canones nominibus istis & ministerijs præscribunt. Folio 136. facie 2.*

Hoc certe uerissimum & indubitatum est. Vtinam autem concedat Deus, ut talis aliqua Reformatio qualem canones exigunt, a Capite ad infima usq; membra, ordinate, & quomodo fieri decet, quæratur & instituatur. Hac enim constituta, quisquis deprehenderetur tunc aut ineptus, aut ad officium quod sibi incumbit peragendũ nõ satis uoluntarius, merito officio suo deponeretur, aut saltem Ecclesiasticis bonis non frueretur. Verum in locũ eius alij idonei & ad ministeria subeunda prompti, assumerentur. Quemadmodum non antiquis modo, sed & recentibus ultimisq; canonibus cõstitutum est, c. super inordinata. de prębend. & dignita. item ca. quia nonnulli. & quia relatum. de clericis non residen. *Optima ad reformãdum uia.*

Quod autem liber ille consequenter exigit, ut Capitulum Metropolitanum in his quæ ad doctrinam, Missas, sacramentorum administrationem, aliaq; Ecclesiæ ministeria & cæremonias pertinent, non aliter sẽ gerat q̃ præscribit liber iste Folio 137.

Hoc uero priori dicto ex diametro aduerſatur, Canones enim ſacri multipliciter condemnant ea quæ in libro prętenſæ illius Reformationis traduntur: nec ullo ferunt pacto ſacramentorum adminiſtrationem qualem liber ille exigit, multoq; aliter loquuntur de miniſterijs illis Eccleſiaſticis & cæremonijs, q̃ liber, uti iam ſupra copioſe demonſtratum eſt.

Quod aũt lib. uult ut Presbyteri Canonici oẽs ad curã animarũ, prædicationẽ, & ſacramentorũ adminiſtrationũ, ſimiliter Diaconi & Subdiaconi ad diſpenſationem Eleemoſynarum ſe conferant. Folio 136. fa. 2.

Rurſus canonibus ſacris non ſatis quadrat: Secundum canones em̃ ueteres, ad Epiſcopum ipſum pertinet prædicare & ſacramenta porrigere. Quinetiam antiquis canonibus conſtitutum eſt, ne qui presbyterorum populum doceant, hortentur, benedicant, cum precatione (Dominus uobiſcum) in Eccleſia ſalutent, baptizent, confirment, corpus porrigant & ſanguinem Domini, pœnitentiam imponant, reconcilientue pœnitentes, Epiſcopo pręſente. Omne enim iſtud eſſe Epiſcopi, & ad epiſcopale officium pertinere. Si tamen neceſſaria aliqua Eccleſiæ cauſa auocante, nequeat ipſe intereſſe, licebit presbyteris: non aliter tamen niſi ſpeciatim & expreſſe Epiſcopus mandauerit miniſterio perfungi. Quod ſi de proprio presbyterorum Canonicorũ officio loquendum ſit, ſcimus presbyterorũ Cathedraliũ Eccleſiarũ pręcipuũ fuiſſe officiũ quondã, ut ſacras ſcripturas diligenter perueſtigarent, & in Synodis una cum Epiſcopo, quomodo ſcriptura ſacra (diſſentione aliqua dogmatum incidente) intelligi deberet, explicarent. Et alias etiam cum Epiſcopo in cauſis Synodalibus uelut aſſeſſores decernere ſolebant. Vide Hieronymum ad Nepotianum, cuius uerba narrantur in c. Eſto. 95. diſtinct. Item ad Ruſticum Monachum. & c. Eccleſia. 16. quæſt. 1.

Presbyteri uero minorum Eccleſiarum', aut ſcripturas ſacras in Collegijs ſuis profeſſi ſunt & docuerunt, aut in eis aſſiduo exercitio aliter uerſati ſunt. Sed & Epiſcopus eorꝝ opa in p̃dicatiõibus nõnun quã utebaꝫ, quam q̃ non fuerit iſtud (licet lib. Reformat. eis hoc attribuat) proprium eorum officium. Sicut beatus Ambroſius teſtatur in caput quartum ad Epheſ. Siquidem prædicare fuit proprium munus eius, qui ex ipſis communibus omnium ſuffragijs in Epiſcopum fuiſſet aſſumptus. Alioqui Beatus Hieronymus, & eius ſimiles multi ſancti presbyteri, neceſſario prædicare debuiſſent, quod tamen non fecerunt.

In

In prima Clementis epistola legimus, beatum Petrum apostolum Episcopo præcepisse, ut uerbum Dei assidue doceret, nec mundi huius negotijs perplexus teneretur. Ligaret etiam & solueret quos diligenti inquisitione facta ligandos cognosceret aut soluendos. Presbyteris autem ut prospiciant cum primis, ne fornicationes in populo Christiano committantur. Atq; ut sint humani & misericordes erga omnes, sint hospitales. Et ut negotia si quæ inter fratres oriantur, dirimant & componant: procurent quoq; ne quis iniquis mensuris & ponderibus fraudetur, sicuti antea partim citauimus. Et diaconis ecclesiæ ut sint oculi Episcopi, circunlustrantes cum uerecundia actus totius Ecclesiæ, perscrutantes si quem uideant uicinum fieri præcipitio, ut hæc referant ad Episcopum, ut talis ab Episcopo commoneri possit. Negligentiores quoq;, & eos qui rarius ad audiendum uerbū Dei accedunt, commoneant & hortentur. Sed & eos qui secundū carnem ægrotant, perquirant sollicite, & plebi indicent de his, ac quæ necessaria sunt præbeant eis, cum Episcopi scientia: quod tamen etiā si clam fecerint, non peccabunt. De peregrinis quoq; similiter refouendis Episcopo suggerant. & cætera his similia quæ ad cultum Ecclesiæ & disciplinā eius pertinēt, Diaconis sint curæ. Talia Clemēs.

Fatemur Diaconos a sanctis apostolis in exordio Ecclesiæ designatos ad dispensandum esculenta seu uictum Ecclesiæ ministris, uiduis & pauperibus Statim uero post apostolorum tempora, fideliū numero crescente, Diaconorum officium huc etiam conuersum est, ut assidue Episcopis adessent, præcipue in officijs diuinis, quo ei in altaris sacrificio ministrarent.

Inde est quod legimus in historia beati Laurentij, eū dixisse ad beatum Sixtum, qui ad crucis martyrium ducebatur: Quo progrederis sine filio pater? Quo sacerdos sancte sine Diacono properas? Tu nunquam sine Diacono sacrificium offerre consueueras: Quid ergo in me displicuit paternitati tuæ? Nunquid degenerem me probasti? Experire certo utrum idoneum Diaconum elegeris, cui commisisti Dominici corporis & sanguinis dispensationem. Idem Prudentius in hymno indicat, ubi ita canit:

Hic primus e septem uiris
Qui stant ad aram proximi
Leuita, sublimis gradu,
Et cæteris præstantior.

Quod

Quod liber Reformationis urget dictū illud Hieronymi ad Heliodorum, Clerici pascunt gregem Christi, ego, utpote Monachus, pascor. Folio 136. facie 2. Non competit in Monachos huius temporis. Scimus Monachos ad tempora usq; Eusebij, Zozimi & Siricij, Monachos tantum, & non Clericos fuisse. Postea uero in Cenobijs alij in Presbyteros, alij in omnium ordinum Clericos ordinati sunt. ut patet in canone Hinc est etiam, 16. q. 1. Alioqui beatus pater Benedictus in Regula sua non prȩcepisset, ut Abbas fratribus suis daret benedictionem: cum hoc ad sacerdotes pertineat. Nec item Abbati lectionem Euangelij dicendam cum Collecta imposuisset: cum & hoc sit presbyterorum.

Item uult liber ut Capitulum Metropolitanum Ecclesijs Parrochialibus eidem Capitulo incorporatis, præficiat Pastores idoneos, qui uerbum Dei prædicent: quibus & de rebus necessarijs ad competentiam prouideat. Quod sane æquum foret & dignum.

Vt uero efficiant quo in talibus Parrochijs omnia lingua Teutonica peragantur, secundum Reformationis istius uoluntatem. Folio 137. Non est eorum, nec facere possunt, propter causas prædictas.

Similiter ut præter impensas in Pastores idoneos erogandos, erigant etiam scholas in omnibus Parrochialibus suis Ecclesijs, Pædagogosq; quos stipendijs conducant, præter ueterem consuetudinem, atq; ad hoc faciendum, uicarias aliquot extinguant. sicut folio 137. facie 2. exigitur.

Partim graue esset, partim etiam illicitum. Graue quidem propterea, ꝙ nunquam auditum sit unumquenq; Pastorem suis impensis debere in parochia sua erigere scholam. Illicitum autem, propter extinctionem Vicariæ. Vetus & canonicum dictum est, Non esse discooperiendum unum altare ut aliud cooperiatur. Vicarij habent institutiones suas, debentq; in Ecclesijs ad quas ordinati sunt Canonicis & Clericis primarijs in ministerio diuino opem ferre. ac uices eorum cantando, legendo, & similibus officijs supplere. ¶ Faxit autem Deus ut ad hoc suum munus adigantur. Sicubi uero necessariæ sunt scholæ, erigi debent sine damno aliarum Ecclesiarum, ab ijs quibus hoc imcumbit.

Sectarij uociferantur de scholarū restitutione, cum eas destruant.

Ante Sectariorum irruptionem erat inuenire apud Collegia scholas decem, ubi nunc uix una reperitur: nec audiebatur eo tempore de alimentis & Scholarium educatione quærela.

Neque item quod in libro Reformationis de octo præbendis sacerdotalibus instituitur, bene hærere potest; Vt quod duæ præbendæ assignari debeāt

debeant prædicãtibus duobus, qui choro non alligentur. Folio 137. & 139 facie prima. Duæ item Presbyteris duobus, (neq; enim uult liber Reformationis ut presbyteri Canonici deinceps ad Missarum multitudinem sicut hactenus factum est obligentur) ad hoc ordinandis, ut diebus Dominicis & festis maioribus Missæ celebrent officium, sacramentaq; dispensent. Ac duæ duobus alijs presbyteris, qui in scholis debeant docere. Reliquæ uero duæ cedant duobus legum Doctoribus, qui Collegio ipsi consilio adsint, negotiaq; eius temporalia expediant. Folio 138.

Talis enim ordinatio non modo fundationi Metropolitani Collegij, & consuetudini antiquæ, uerum etiam sacris canonibus conuenit. Quod si omnino necessarium uideatur, ut prædicationis officium ab Episcopo ad presbyteros Canonicos transferatur, magis conueniet ut singuli hebdomodatim suo quisq; ordine prędicēt, simulq; Missæ officium celebrent: quo æqualiter omnes choro atq; diuinis astringantur.

Apud Metropolitanam ecclesiam schola iam extat: curãdum tantum est, quo præbendæ ordinarie legentibus destinatæ, nullis alijs conferantur q̃ professoribus & docere uolentibus: aut ut fundetur pro legentibus stipendium. Habeatur Syndicus qui non sit Capitularis, sicut hactenus factum, atq; is secularia Capituli negotia curet, quo Presbyteri Canonici suum munus, quod solum curare merito deberent, tanto melius obire ualeant.

Item Metropolitanæ Ecclesiæ Præposito imponitur, ut intendentiã habeat ad Ecclesias & Scholas, bonaq; tam Ecclesiæ q̃ quæ Scholis destinata sunt pro necessitate administret. Folio 137. facie secunda.

Iam uero ad Præpositum non proprie pertinet respicere in scholas: cum hoc sit Scholastici. Administratio quoq; bonorum Capitularium, nequit siue Metropolitano Præposito, siue Prępositis alijs rursus permitti. Ante hac enim male cessit. Quamobrem clementiss. Principis nostri antecessores, magno labore Præpositos a capitulis hac in re separarunt. Nec ratio admittit, ut quæ iuramentis, pactis, & obligationibus confirmata sunt, tam leuiter dissoluantur.

Decano uero eiusdem Metropolitanæ Ecclesiæ committitur, ut diligenter prospiciat, quo omnia secundum illius libri ordinationem peragãtur. Folio 137. fa. 2 & fol. seq. Verum in hoc ei non parebitur.

Item ut prospiciat quo concionatores optimi designentur &c.

Quod potius ad Episcopale officium pertinet. Decanus enim Me-

tropolitanus, proprie Archipresbyter est ciuitatis. Quod uero sit ipsius officium, canones demonstrant.

Missæ priuatæ uicariorum in uniuersum abrogantur. Folio 138. fa. 2 Item liber causatur Vicariorum multitudinem, quæ ubi ordinatio libri ad effectum pertingeret, nullo usui sit profutura: adeoq; uult, ut Vicariorum pars sinatur paulatim emori: quo census eorum utilioribus rebus accõmodetur. Folio 138. fa. 2. Verum istud non est in clementiss. Principis nostri potestate. Causa uero quare hoc suadeant datur hæc, *quod ad nihil aliud commodent præcipue, q̃ ad cantandum & legendum.*

At uero, neq; malum, neq; contemnendum officium esset, si attente assidueq; laudes diuinæ cantarentur, & precibus in Ecclesia Deo supplicaretur. Ante annos mille Constantinopoli in una ecclesia plures q̃ centum Clerici ad hoc tantum officium ordinati & dotati fuerunt, sicut Iustinianus Imperator, uti diximus, in Nouellis testatur.

Iterum permittitur in libro Deformationis, Canonicis & Collegiorum membris uxores ducere, & nihilominus in Collegijs manere, præbendisq; tota uita frui. Folio 138. facie 2. & seq. Hoc quomodo conquadret canonibus sacris aut canonicali instituto, facilime dispicitur. *Vult deniq; liber ut eodem sicut in Metropolitana ecclesia modo seruetur etiam apud sanctum Gereonem, & in alijs quoq; Collegijs ad eundem fere modum. Folio 149. fac. 1.*

Verum Collegia per hoc querentur se grauari: nec ullo pacto cõsentient.

Item ut cætera Collegia minora in duos ordines partiantur, ita nimirum ut pars una sit Nobilium tantummodo: pars altera e ciuibus assumatur. Fol. 139. facie. 1.

Offa ad Nobilitatẽ & Ciues capiendos.

Sed neq; hoc cõsistere potest. Textus enim Iuris, ad normam scripturæ sacræ deliniatus, ita habet: Nos igitur attendentes, q̃ non generis, sed uirtutis nobilitas, uitæq; honestas, gratum Deo faciunt & idoneum seruitorem. Ad cuius regimen non multos secundum carnem nobiles & potentes elegit, sed ignobiles & pauperes: eo, quod non est personarum acceptio apud ipsum. Et uix ad culmina dignitatum, nedum ad præbendas uiri eminentis scientiæ ualeant reperiri, exceptionem huiusmodi (nempe quod cui prouisum erat, non fuerat carne nobilis) non duximus admittendam. ca. uenerabilis. de præb. & dignitatib. Quod tamen nolumus de Collegijs pro Nobilibus fundatis & dotatis accipi: Quæ æquum est ut eis permaneant, secundum priuilegia legitime obtenta, & libertates ipsorum.

Præ-

Præterea exigit liber conſcriptionem omnium quæ in theſauris eccleſiarum ſeruantur, utq; ſine clementiſſimi Domini noſtri & Ordinum patriæ deputatione, non debeant ab eccleſijs alienari. Folio 139. & ſeq.

At iſta æſtimatur nouatio quædam. Hactenus Ordines patrię ecclesiarum theſauris ſe non immiſcuerunt.

Poſtremo uult liber, ut annus quem Reſidentiæ appellant ſecundū qualitatem ſiue cōmoditatem uniuſcuiusq; loci & perſonæ moderationem accipiat, relaxeturq;. Folio 139. facie 2.

Quod ſane magnam diſſolutionem pareret, efficeretq;, ut pauci admodum in Collegijs inuenirentur, qui officij ſui rationem haberent, aut forte quale ſit intelligerent. quod nemo poſſit in Eccleſia rite gerere, quod non prius longa exercitatione, & diutinæ diſciplinæ aſſuefactione didicerit. Nec in Collegijs aliud ſtatui poteſt, q̄ ut cæteris paribus omnes ad paria onera alligentur.

DE PROPOSITA FORMA RE-nouandi Monaſteria, tam uirorum q̄ fœminarum.

SVb hoc titulo exigit liber *ut Monaſteria in doctrinā, cæremonijs & ordinationibus ſe libro illi conformant. Eccleſias quoq; parrochiales incorporatas & ſcholas, ſecundum libri formam inſtituant. Folio 140. fa. 1.*

Item clementiſſ. dominus noſter uendicat ſibi poteſtatem, præficiendi Eccleſiarum parrochialiū miniſterio, quotquot in Monaſterijs ad prædicandum aut regendum parrochias fuerint idonei: Et uult ut qui in Monaſteria aſſumuntur, polliceantur ſe uelle ſponte acquieſcere, ſi quando ad Eccleſiarum aut alia miniſteria neceſſaria requirantur. Folio 140. facie 1.

Verum ad hæc opus foret magna diſcretione. Sed & pars altera canonibus antiquis & patrum ſanctorum doctrinæ non conſonat. Vide Hieronymum ad Heliodorum. Cōcilium Chalcedoneñ. iubet Monachis quieti operā dare, obſeruare ieiunia & orationes, in locis quibus ſemel ſe Deo deuouerint permanentes: & neq; communicare Eccleſiaſticis neq; ſecularibus negocijs: niſi forte iubeantur propter urgentes neceſſitates ab ipſius ciuitatis Epiſcopo. c. qui uere 16 quæſt. 1. Item beatus Auguſtinus ad Eudoxiū: Exhortamur uos fratres (inquit) ut ſi qua opera ueſtra mater Eccleſia deſiderauerit, nec elatione auida ſuſcipiatis, nec blandiente deſidia reſpuatis. Et habetur c. uos autem, eadem quæſt. & cauſa.

Nec debent item Monachi ad officium clericatus, nisi eis testimonium Abbas suus dederit, ordinari. Si enim necesse fuerit Clericum de Monachis ordinari, cum consensu & uoluntate Abbatis, præsumat Episcopus. Quemadmodũ in Agateñ. Ilerdeñ. & Tarraconeñ. Concilijs sancitum est. & habetur in c. Monach. & c. cum pro utilitate. & c. seq. 16. quæst. 1. Debent autem tales Monachi, ubi ad Clericatus ordines peruenerint, non discedere a priori proposito. c. de Monachis, eadem quæst. & causa. At Monachi Apostatæ Cœnobiorũ suorum desertores, nullo pacto ad Ecclesiarum ministeria sunt assumendi. Sicut beatus pater Augustinus ad Aurelianum ait: Si desertores Monasteriorum ad militiam clericatus eligantur, uia datur seruis Domini, ut se putent erigi ad aliquid melius: cum facti fuerint deteriores. Etenim ipsis facilior lapsus, & ordini Clericorum fit indignissima iniuria: Cum ex his qui in Monasterio permanent, non nisi probatiores atq; meliores in Clerum assumere soleamus &c. c. can. legi epistolam, eadem quæst. & causa.

DE VOTIS MONASTICIS.

Liber iste Reformationis consultum putat, ut qui se mancipant Cœnobijs, uotis Monasticis, quæ substantialia uocantur, non alligentur deinceps, sed ab ijs liberentur. Folio 140. facie 1.

Asserit item clementiss. dominum causam non uidere, cur remorari debeat, aut uetare eos qui in monasterijs agunt, comperiunturq; ad parrochiarũ ministeria inepti, aut donũ monastice uiuẽdi nõ habere, aut alioqui ad hoc uitæ genus non uoluntarij, quo minus inde decedant: Verum quod in se est, ferre, ut ijdem (si uelint amici eos honeste fouere, aut Matrimonio iungere) uotis liberati, e Monasterijs cum subsidio aliquo dotalitio dimittantur, transferantq; se ad uitam Christianam communem illam: Eos autem qui uoluerint in Monasterijs permanere, necessaria uitæ sustentatione debere contentos esse. Folio 140.

Chrys. hom. 21. ad Theodorũ monachum, dicit nuptias monachorũ esse peiores adulterio.

Vtendum Monasterijs deinceps ad conseruationem studiorum honestarumq; personarum educationem. Assumendos quoque in Monasteria tam exiguo numero Monachos, ut de annuo censu aliquid exundet: quo hi qui inopia obstante Matrimonio iungi non possunt, inde quasi dote quadam iuuentur. Folio 140. facie 2.

Iam

Iam omne istud partim sacræ scripturæ, partim Conciliis antiquis. In uniuersum autem omnium Catholicorum Patrum doctrinæ, delatæque ad nos Apostolorum traditioni prorsus aduersatur.

Primum enim ex scripturis sacris antea probatum est, uota castitatis seu cœlibatus, obedientiæ item & paupertatis uoluntariæ, hoc est, omnis proprij abdicationem, quæ uota substantialia appellantur (dū tamen rebus perpensis deliberato consilio, uoluntarie fiant, ad hoc quo liberius, expeditiusque temporalium rerum minori cura Deo seruiatur) Christiana & pia esse uota. Quæ debeant tam mares quam fœminæ sub æternæ damnationis iudicio, quod alioqui incident, obseruare. Sicuti, q̃d ad primū, castitatē nimirꝝ attinet, uerbo illo Christi, Matth. 19. fit manifestum: Sicut Eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capere capiat. Deinde ex Apostoli dicto. 1. Corinthiorum septimo: Qui statuit in corde suo firmus, nō habens necessitatem, potestatem autem habens suæ uoluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare uirginem suam, bene facit. Item 1. Timoth. 5. Adolescētiores uiduas deuita. Cum enim luxuriatę fuerint, nubere uolunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.

De uoto castitatis, quod sit fundatū in Euangelio.

Iam ne quis putet, nouum esse intellectum istum Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ, referimus nos ad ueterem Ecclesiam, omnesque sanctos Patres.

Basilius ille magnus in eleganti de uirginitate libro, omnia hęc dicta de uotis intelligit. Dicit Christum clare & expresse modum indicasse, & formam uotorum illorum. Esaiam quoque, capite 56. prædixisse, quo modo in Christianismo futura exercendaque essent, ubi habet: Hæc dicit dominus Eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego uolui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis, locum, & nomen melius a filijs & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.

Basilius

Quem locum ibidem prolixe & pulchre explicat, & paulo antea in eas inuehitur, quæ uirginitatem domino professe, deinde a carnis uoluptatibus concitatæ, scortationis peccatū, nuptiarū nomine uelare uoluit, aitq̃, non ignorāt opinor, etiā si ignorantiā similēt, q̃ quę sponsi sui dexteram præterijt, necꝫ huius est sponsa, quem illegitime reliquit,

neque illius cui seipsam per affectum uicioſum adiunxit uxor reperiri poteſt.

Tunc enim legitime,& ſecundū diuinas ſcripturas nuptiæ fiunt,cum non affectus uoluptatis,neceſſitatem legis,ſed legis neceſſitas,uoluptatem præoccupauerit,ſicut fit quando nuptiarum neceſſitatibus(procreandorum liberorum cauſa,cogitatione præſumptis,legitima unio conſequitur. Vbi autem ab initio domino tantum ſe conſecrare per uirginitatem firmiter propoſuerunt, non poſſunt conſcientia bona nuptiæ iniri, uidelicet, quod carnis affectus non ſequatur prius illud propoſitum,ſed ab illo cui deuincta eſt,trahat animam ad ſua uitia.Nam opus quod ratio & lex in animo non præcedit, idipſum omnino illegitimū a conſcientia notatur. Proinde idem ille ex Apoſtolo ait: Mulier ligata eſt lege,quam diu uixerit uir ipſius,ſi uero mortuus fuerit,libera eſt, ut nubat:non ſimpliciter,ſed ſolum in domino, quoniam & quæ per mortem uiri libera facta eſt ad nuptias, non quia libera facta eſt ſimpliciter, ſed in domino nubere debet. At quæ ſeipſam domino ſemel deſponſauit,libera non eſt. (Non enim mortuus eſt uir eius, ut cui uelit nubere poſſit)uiuenteq; immortali uiro,adultera appellabitur,quæ mortalem propter affectus carnis,in domini thalamum ſuperinduxit.Nec inconuenienter quis de talibus Apoſtolicum illud pronunciauerit, quum inordinate ſe geſſerint contra Chriſtum nubere uolunt, habentes iudicium,quia fidem reprobauerunt,non nuptias,ſed adulterium ſequentes. Nullus igitur ſeruus ad tãtam impietatem ſtimuletur, ut herilem ſponſam contrectet:nullus adeo furioſus ſit ſacrilegus,ut impollutam ſacerdotem petulantibus manibus contingat. Nemo ad tantam dementiam deueniat,ut quum tantam pœnam ſacrilegis impendere uideat,non inanimata ex auri & argenti materia facta uaſa,ſed ipſa animata, & uiuentia donaria,prædatoria manu impure inuadat. Imo nemo ſit adeo impius, ut non inanima in templo uaſa, ſed ipſum domini templum, hoc eſt uirginis corpus,petulantiæ facibus barbarico more comburat, &c. In Pſalmum 44.dicit: Audiant quæ uirginitatem domino uouerunt, quod uirgines adducentur Regi. Virgines autem propinquæ exiſtentes,Eccleſiæ poſt ipſam ſequentes,& cæt.

1.Corinth.7.

1.Timoth.5.

Ingens crimen eſt uiolare uirginem Deo ſacratam.

Ambroſius.

Beatūs pater Ambroſius de uirginitate tres elegantes libros conſcripſit,præter quos inueniuntur apud eundem, & alia in hanc rationem peculiariter ſcripta,qualia ſunt: Exhortatio ad uirgines. Item inſtitutio uirginis.

Item

Item ad uirginem deuotam,& ad uirginem lapſam, & de Viduis deniq;. In quibus ſupradicta Euangelij,& Apoſtoli Pauli uerba, eodem quo Baſilius modo,accepit libro 3. de uirginitate allegat, quod Matth. 19.de Eunuchis dicitur,& poſt aliquanta ita ait: Qui nos uocant in culpam,quia nuptias prohibuimus illititas,uocent in eandem culpam,etiã Iohannem Baptiſtam. Quam enim cauſam habuit aliam ille martyrij, repetite animo.Cauſa illius paſſionis certe hæc fuit:Non licet (inquit)tibi eam uxorem habere. Si hoc de uxore hominis, quantomagis de uirgine conſecrata,Si hoc dictum eſt regi, quantomagis dicendum eſt priuatis? Imo uult beatus ille uir, ſacerdotes uel morte oblata,ſi ita neceſſe eſt,integritatis ſacrificium uendicare.

Nefariam eſt uelatam Deo uirginem ducere in uxorem.

Et poſt aliquanta,ſemper (inquit) ſpectauit ad gratiam Sacerdotum, iacere ſemina integritatis & uirginitatis ſtudia prouocare. Atque hoc Chriſtum docuiſſe.Nec nouum eſſe uirginitatis ſtudium,ſed a tempore etiam Apoſtolorum in Catholica Eccleſia in ſumma æſtimatione fuiſſe probat per Teclam, Pelagiam & alias uirgines. Ac tandem: Diſcite(inquit) quantas Alexandrina totiuſque Orientis & Affricana Eccleſia quotannis ſacrare uirgines conſueuerunt.Pauciores hic homines prodeunt,quam illic uirgines conſecrantur. Item in libro de inſtitutione uirginis, capite pri. dictum Pauli. 1. Corinth.7. intelligit de uirginitatis uoto,ubi & Euſebium laudat,quod Ambroſiam filiam uirginẽ obtulit Deo,quam ſe uelaſſe & conſecraſſe gloriatur.Similiter in libello ad uirginemlapſam, capi. 5. Et in libro de uiduis,locum illum,Melius eſt nubere quam uri,dicit pertinere ad non uelatas, nõdũ uoto obligatas,ſed liberas.Sic in cap.5.pri.Epiſto. ad Timoth.ubi dicitur:Habentes damnationẽ,quia primam fidem,&cæt.ait: Damnationi ſit obnoxius,qui ab hoc declinat,quod recte fecerat. Vide Chryſoſtomum in eundem locum, qui illic profecto uerum Monachatum deſcribit: atq; utinam concedat Deus, quo ad talem normam Monaſteria reformentur.Nihil opus eſt beatum Cyprianum,Caſſianum,Hieronymum,Auguſtinum citare,qui totos libros hac de re ſcripſerunt.

Chryſoſtomus.

Quamuis autem,quod forte poterat beato Cypriano epiſtola 11. libro pri.excidiſſe, & quod Auguſtinus de bono uiduitatis habet,plurima iactent, quaſi ſancti illi uiri Coniugium contra uota initum non diſſoluant. Hoc certe negare non poſſunt, Auguſtinum eodem in loco ita habere, plane non dubitauerim, lapſus & ruinas a caſtitate ſanctiore,quæ uouetur Deo,adulterijs eſſe peiores.

Inceſtũ committũt & peccatũ adulterio grauius, q Deo conſecratã uirginitatem carnali copula polluunt.

Et ad

Et adhuc sensum intelligit, quod 1. Timoth. 5. dicitur. At uero beatus martyr Cyprianus hūc casum incestū appellat. Et quas (inquit) pœnas incestis eiusmodi coniunctionibus cōminatur, &c. Sed et uerbum illud Christi, Matth. 19. Qui se castrauerunt, &c. in eadem epistola intelligit dictum de his, qui se uotis castrauerunt: atque ut apparet, hoc quod nobis obijcitur, non de uelatis uirginibus, sed de his tantum, quæ sponte extra Monasterium proposuerunt, uirginitatem suam Christo immaculatam conseruare. Idem facit in tractatu de habitu uirginum. Neque enim quæ in uirginibus illic damnat, unquam permissa fuerunt uirginibus sacratis, ueluti promiscua balnea adire, sed non uelatis tātum. Sunt etiam qui dicant beatum Augustinum non de uelatis loquutum: quoꝝ coniugia Magnus Basilius irrita & sacrilega æstimat.

Quod obedientiæ & paupertatis uotū in uerbo Dei fundentur.

Iam quod & reliqua duo uota, nempe paupertatis uoluntariæ, & obedientiæ, fundentur in uerbo Dei, Matt. 19. Si uis perfectus esse, &c. Item Apostoli Pauli Hebræorum 13. Obedite præpositis uestris, &c.

Idem Patres in libris iam nominatis, & alijs pleriscꝫ frequentius testantur. Præcipue Basilius in sermonibus exercitamentor. pietatis. Item in libro Constitutionum exercitator. ad eos qui communem in Cœnobio uitam degunt. Præsertim capite 18. 19. 22. 33. & 34.

Monasticorū uotorum solutio damnabilis.

Augustinus in Psal. 75. ait: Nemo positus in Monasterio frater dicat, Recedo de Monasterio: Neque enim soli qui sunt in Monasterio peruenturi sunt ad regnum cœlorum, & illi qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent. Respondetur ei: Sed illi non uouerunt, tu uouisti, tu respexisti. De die iudicij cum dominus minaretur, quid ait? Memento uxoris Loth. Quod de illa dixit, omnibus dixit. Vouete & reddite domino Deo uestro. Quia illa uxor Loth ad omnes pertinet. Et infra: Sed quid tibi dixerit Psalmus attende: non dixit, nolite uouere, sed uouete & reddite. Quia audisti reddite, non uis uouere. Ergo uouere uoles, & non reddere. Imo utrūque fac, unum sit ex professione tua, aliud ex adiutorio Dei perficietur. Aspice enim qui te ducit, & non respicies retro unde te educit.

Non esse uota irrita quæ fiant in iuuentute.

Ad hæc sancti Patres uolunt, quod quamuis nemo debeat stulte, leuiter aut temere, præsertim, qui per ætatem nondum sui ipsius habent cognitionem, tāta uouere, aut etiam talium uota recipere, atcꝫ ad Episcopum cum primis pertinere respectum ad hæc, nihilominus tamen in receptione talium uotorum, respiciendam potius esse fidem & uerecundiam, quam ætatem uouentium, ut testatur Basilius libro quæstionum

diffuse

diffuſe explicatar. quæſtion. 15. & Ambroſius libro 3. de uirginitate: Non ætas (inquit) reiicitur florentior, ſed animus examinatur. Et certe Teclam non ſenectus, ſed uirtus probauit. Atq; in hoc tandem conueniunt Patres, quod uota etiam iuniorum ligent. Vide Auguſtinū in loco prælegato, ubi dicit, Apoſtoli dictu, Iuniores uiduas uolo nubere, non intelligendum de his, qui ſe uotis obſtrinxerunt, &c.

Totum illud, multo adhuc antiquioribus & pluribus Patribus, imo omnium antiquiſſimis Concilijs generalibus, & Catholicæ Eccleſiæ uniuerſali, a tempore Apoſtolorum ſeruata traditione probari & confirmari poteſt.

Dionyſius Areopagita in Eccleſiaſt. Hierarch. capite 6. parte 2. deſcribit ritum Monaſticæ profeſſionis. Eccleſiaſtica item & Tripartita hiſtoria plurima teſtimonia dant, Monaſticæ, tam uirorum quam fœminarum inſtitutioni. Tripartita hiſtoria libro 7. capite 4. refert Iouinianum Chriſtianum Imperatorem Prætorianã legem tuliſſe, ut capitali ſententia plecterentur, qui ſacram uirginem nuptiali toro uiolare auderẽt, quã iuriſcõſulti habent in L. ſi qs non dicã rapere, C. de Epiſc. & Clericis. Concilium Carthagineñ. anathemate notat, damnatq; ſecundum Apoſtoli Pauli doctrinam ſacrarum uirginum corruptores. Idẽ facit Concilium uniuerſale Chalcedonenſe, & alia multa Concilia, quæ Gratianus cumulatim ad hanc concluſionem ſtatuendam congeſſit 27. quæſtione prima.

Leges capitali ſupplicio damnant uirginum ſacrarũ corruptores.

Atque ut ſummatim dicamus, in hanc ſententiam omnes concludunt, quod uota illa quãdo uoluntate libera fiunt, ſunt Chriſtianiſſima. Atq; inſuper ad ueram & Euangelicam uitam ducendam accommodatiſſima. Item, quod quemadmodum unuſquiſq; ante uotum in arbitrio habet, ut uouere poſſit aut abſtinere, ita poſt uotum ſemel factum, non ſolum capeſcere nuptias, ſed etiam ſi non nubatur, nubere uelle, damnatum ſit.

Conſequitur ex omnibus illis clementiſſ. domino noſtro, nullo pacto licere, ut annuat, ſinat, aut diſſimulet, Monachos & Nonnas uota Deo facta uiolare, multo minus ut conſtituat eis, qui profugij meditatione contra mandatum Dei reſpiciunt retro, perfidiæ lucrum & illecebras, utpote, dotem ſacrilegarum nuptiarum dandam. Cum uetent enim Canones, ne ijs quidem, qui ad Eccleſiæ miniſteria aſſumuntur, Monaſteria ipſa grauare, can. ne pro cuiuslibet. 16. quæſtione prima. Quanto amplius cauendum, ne deſertoribus & uotifragis grauentur,

quos multo iustius erat, protento crimine grauiori plectere uindicta. Consequitur item eundem dominum nostrum clementissimum prohibere non posse, quo minus uota deinceps, a uoluntarijs & exploratis recipiantur. Cæterum quid de hac re sacri Canones pronuncient, habes in can. hoc sanctum. 32. quæstione secunda, & in Ambros. libro tertio de uirginitate.

Denicq; & hoc consequitur, quod clementiss. dominus noster Apostatas seu desertores, Monachos & Nonnas tanquam sacrilegos, neque possit, necq; debeat ulla ratiõe sufferre. Nam ut Basilius ait libro quæst. diffuse Explicatar. quæst. 14. Apostolica regula manifesta est, iubens, ut nos subducamus ab omni inordinato, & non permisceamur ipsi ut confundatur, & cæt.

Postremo, quod liber exigit, ut Monasteria in Scholas, & educationem iuuentutis conuertantur, omnium sanctorum Patrum doctrinæ aduersatur.

Monasteria fuerũt semper officinæ cultus diuini.

Vide cum reliquis Chrysostomum in 1. ad Timoth. capit. 5. homilia 14. ubi ueterum Monachorum morem describit, aitq;: Monachi Matutinis precibus, hymnisq; peractis ad sanctarum scripturarum studia se conuertunt. Sunt qui libros scribere didicerunt, unusquisq; præstitum habet domicilium, silẽtio perpetuo studet. Sicq; nemine texente nugas, aut aliud aliquid loquente, Tertiam, Sextam, Nonam, Vespertinamq; consummãt Synaxim. Quippe quatuor in partes diem scindentes, impletis partibus singulis psalmodijs, atq; laudibus honorant Deũ. Et infra: Post cœnam rursus diuinis inseruiunt laudibus, sicq; (intellige post completorium) sobrij somnum capiunt, & cæt. Perlustra locum illum, & uide quam magnifice uitam talem prædicet, qui uero plura uoluerit de sententia ipsius aduersus institutiones nouæ istius Reformat. cognoscere, legat tres libros quos contra uituperatores uitæ Monasticæ conscripsit. Atque o utinam fauente & propitio Deo Monasteria omnia, imo & Parrochiæ atque Collegia, totaq; insuper Ecclesia, secundum sanctiss. uiri huius doctrinam reformarentur. Eademum restitutio laudatissima, Christianissimaq; profecto Reformatio foret.

Perora-

FINIS.

PERORATIO.

HI sunt Christianæ & Catholicæ Lector, defensionis & confutationis nostræ articuli, quam ob causas ineuitabiles in nostra præfatione recitatas, in lucem proferre sumus adacti, aduersus librum illum, quem Clementiss. dñs noster sub Reformatiõis nomine euulgauit. Volumusque seruatam nobis facultatem, hanc defensoriam nostram censuram (pro assertione autoritatis sanctæ Christianæ & Catholicæ Ecclesiæ Christi, in hac Diocœsi Colonien. magna festinatione congestam) contrahendi, extendendi, mutandi, emendandi, & declarandi. Quam te, qui ipsam animo Christiano, zeloque pio, beneuole es lecturus, noluimus: celare quo altiori cogitatione hanc rem prosequaris, ut tandem ueritas in lucẽ prodeat, ueraque Religio Reformatione Christiana & Catholica queat obtineri. Quod Christus dominus & Saluator noster concedat, cui est laus, honor, & gloria inæternum.

Amen.

SENTENTIA DELECTORVM PER VENERABILE CAPITVlum Ecclesiæ Colonienſis, de uocatione Martini Buceri.

REVERENDISS. DOMINO COLONIEN. non licuisse Martinum Bucerum (eo quo factum est modo) uerbi ministerio præficere.

VErbũ Dei docet, Neminem debere præfici ministerio uerbi, nisi cõuocata & cõsentiẽte Ecclesia. Oportere q̃que eũ qui præficiendus est unũ ex fratribus esse, quẽ Ecclesia eligat, & statuat in cõspectu Episcopi, petatq; eũ ut idoneũ ministerio p̃fici. Cui Legi & Petrus ipse, & cęteri Apostoli se subiecerunt, ut patet in designatione Apostoli Matthię, Act. 1. ubi Petrus cõuocata ecclesia, stãs in medio fratrum, cũ explicuisset causam cur necesse esset unũ ex discipulis accipere locum ministerij, unde p̃uaricatus excidit Iudas, subiecit: Oportet igit ut ex his uiris, q̃ nobiscum uersati sunt toto tempore &c. (& statim post) testẽ resurrectionis ejus, nobiscum fieri unũ ex istis. Et statue-

runt duos,& facta p̃catione,dederũt ſortes eorꝫ.Et cooptatus eſt ad numerꝫ &c. Itidem cap.ſexto,in deſignãdis Diaconis iuſſerũt Apoſtoli adeſſe multitudinẽ diſcipulorꝫ, & ut fratres circunſpicerent ex ſe uiros ſpectatę ꝓbitatis,qbus ipſi hoc negotiꝫ delegarent.Et cũ placuiſſet hic ſermo,corã tota multitudine elegerũt Stephanũ &c. Hic quoqꝫ ritus ꝓbatur cap. Act.xiij.xiiij.& xv.Et qdem ex hoc cap.xv. cõprobatur,nõ eſſe in poteſtate epiſcopi,ſi quę ſtio ſup uerbi miniſterio oriatur, ꝓ ſuo ſolius arbitratu ſtatuere, ſed cõuocata eccleſia,ac ne quidẽ quibuslibet cõmittere,præcepta apoſtolorꝫ perferre ad eccleſias:ſed uiros a tota eccleſia eligendos,qd faciant.Iam Martinus Bucerus aſſcitus eſt nedum nõ petentibus ſeu aſſentientibus Clero& populo,ſed ipſis plane inuitis,ut oſtendũt literę Capituli Colonienſis. Quęrela item Cleri, Vniuerſitatis quoqꝫ,& Senatus.Deinde Bucerus non eſt unus ex fratribus noſtris, ſed iamdudum declarauit ſe eſſe Anteſignanum aduerſariorum noſtrorum.

Secũdo uerbum Dei docet, oportere eum q̃ præficiẽdus eſt miniſterio, irreprehenſibilẽ eſſe. Oportere aũt & illũ teſtimoniũ habere bonũ ab ijs q̃ foris ſunt,ne in ꝓbrũ &laqueũ incidat calũniatoris. 1. Tim.3.Ex q̃ doctrina apoſtolica(nõ dubiũ)deſcẽdit mos apud Chriſtianos,ſemper(nam illi &Lampridius Aethnicus ſcriptor fert teſtimoniũ)obſeruatus,nẽpe, ut ſi quãdo q̃ ad miniſteriũ ordinãdi ſunt, eorꝫ nomina prius ꝓponant̃ palam,& moneat̃ populus,ut ſi qs quid habet cõtra Ordinandũ, id ꝓponat. Prępropere ergo, & nõ ſatis ad Apoſtolicã regulã accitus eſt Bucerus, prius q̃ ipſe ꝓponeret̃ Clero & populo,& eorũ iudicio cõprobaret̃ irreprehenſibilis. Qd̃ & obtinet quãlibet talis eſſet Bucerus. Nã & oportet illũ habere teſtimoniũ (ut ingt Apoſtolus) nõ ſolũ ab his q̃ intus ſunt,&c.& hoc p̃cedere debet. Quo magis iſtud obtinet,ubi multa ſunt manifeſta in Bucero, quæ nedum a præſenti, ſed & ab omni Eccleſia omniũ temporum ab apoſtolis in nos uſque deriuata repræhenduntur. Primũ, q̃ primam fidẽ irritã fecerit,infringendo uotũ Profeſſionis monaſticæ, & eo ipſo damnationẽ habeat,ſecũdũ apoſtolicã doctrinã. A qua eũ non excuſat . uel ætas , uel feruor naturæ:ſicut non excuſauit adoleſcentiores uiduas,quæ poſteaquã ſe obſtrinxiſſent ꝑpetuo Eccleſiæ miniſterio,luxuriatæ,in Chriſto nubere uoluerũt. Et ut uotũ ab illo emiſſum temerariũ fuerit,eo tñ non uacat repręhenſione, ſed potius temeritatis in re tanta cõmiſſa, & noĩs Dei in uanũ accepti iuſte inſimulat̃.Et ut ipſæ nuptiæ damnandę non fuerint,cõſtat tñ iuſte in eo damnari propoſiti fraudẽ,uoti fracti fidẽ. Itẽ non ſolũ ſuſceptionẽ a bono inferiori,ſed ruinã ex bono ſuperiori. Poſtremo recte damnari,q̃ continentiæ primã fidẽ irritã fecerit.quẽadmodũ Auguſt. habet in c.nuptiarũ. 27.quæſt.1.Deinde q̃ Monacham duxerit, in pari damnatione exiſtentem.

Initio Alexandri

1. Timo .3.

Si in hæc tempora incidiſſet Polycarpus dixiſſet, non dubium: Deus bone in quæ tempora me reſeruaſti, ut hæc audiam? Euſeb. Eccl.hiſt.lib.5.cap.20.

Tertio uerbũ Dei docet adſciſcendũ miniſterio, oportere eſſe uirũ uni us uxoris. 1. Tim. 3. & Titi. 1. q̃d Canones Apoſtolorꝝ, & Apoſtolici Patres in hoc uſq; tẽpus ſic intellexerũt, Vt ſecundis nuptijs copulatus, aut qui uiduã accepit, nõ poſſit eſſe ex numero eorꝝ, qui miniſterio ſacro deſeruiũt. Et Auguſt. rationẽ aſſignat, lib. de bono cõiugali, ca. 18. Quia (inqt) talis normã ſacramenti amiſit, ad ordinationis Eccleſiaſticę ſignaculũ neceſſariã. Et cõtextus ipſe Paulinæ Epiſtolæ ſatis declarat, hoc præceptũ ſic intelligendum eſſe, cũ poſtea cap. 5. iubeat nõ alias uiduas eligi ad miniſteriũ, q̃ quæ fuerint unius uiri uxores: q̃d neceſſe eſt intelligi de monogamis, q̃d antitheſis ipſa oſtẽdit. Nã q̃ digamę eſſe uolũt, a miniſterio excludunt. Alia q̃q; ſunt, q̃ (quod ad cõditionẽ p̃ſonæ attinet) in Bucero multi reprehendũt, q̃ adferre in p̃ſentiarũ nõ attinet.

Iam q̃d pertinet ad doctrinã. Expreſſim tuetur partes Lutheri hactenus dãnati, atq; adeo eã ipſe doctrinam profitet, quã dãnauit Põtifex, Imperator, Rex, & Status imperij, qui ſe catholicos uocãt, ut teſtant receſſus imperiales, q̃bus hactenus Reuerendiſſ. ſubſcripſit, q̃s & ſubiectis ſuis, ut a ſe & Capitulo ſuo receptos publicauit, & obſeruari p̃cepit. Inter cætera uero olim Bucerus nedũ a nr̃is, ſed & ab ipſo Luthero male audiuit, ob rẽ ſacramẽtariã & iconomachiã in multis cõcilijs dãnatas, & ut in cõciliatis articulis ferẽdus Cæſari uiſus fuerit Bucerus, dãnatus tñ eſt in nondũ cõciliatis. At uerbũ dñi iubet, ut adſciſcẽdus miniſterio habeat formã ſanorũ uerborꝝ. 1. Tim. 2. Et in eadẽ cũ Catholicis regula p̃maneat, Phil. 3. & uerbũ eius ſit irreprehenſibile. 1. Tim. 5. nullã occaſionẽ diſſentiõibus p̃bens, Rom. ult. aut ſciſſuris. 1. Corint. 1. nec ullam nouitatẽ ſapiat, quaſi aliud Euangeliũ introducere uideat̃; quod nõ eſt aliud, niſi quod conturbent̃ audientes, Galat. 1. & 2. In ſumma, nõ habet (quemadmodũ Apoſtolicę literæ uolũt) teſtimoniũ bonũ ab oĩbus: Quod q̃rela Sũmi Capituli, Cleri, Senatus & Vniuerſitatis declarant.

Quarto, Chr̃us explorari uult, p̃phetas prius q̃ admittant̃, idq; ex operibus eorꝝ. Mat. 7. Nunc incuſat̃ Bucerus a fructibus, q̃ ex eius doctrina Argẽtinę dimanarũt, ut ſunt inter alia ſeditioſa: deſtructio altariũ & imaginũ, abolitio Miſſæ, aliarũq; piarꝝ ceremoniarũ, extinctio oĩs ueteris cultus diuini, tã in Cathedrali q̃ Collegiatis Eccleſijs, ſuppreſſio oĩs Eccleſiaſticæ libertatis, monaſteriorũ denicq; utriuſq; ſexus hoĩm euerſio, & diſſipatio, & alia multa. Nec exiſtimat̃ adhuc, alia eſſe q̃ tum fuit mente. Quod in binis illis libellis ſub ſui noĩs inſcriptione Ratiſponæ Cæſari exhibitis, (quorꝝ primũ inſcripſit de emẽdãdis abuſibus. Alterꝝ Abuſuũ Eccleſiaſticorũ, & q̃ abuſus p̃cipue corrigẽdi ſunt) inter alia uelit, ut Eccleſię Cathedrales in meras Scholas rediganꝫ, nõ in q̃bus potiſſimũ inſtituant̃, q̃ illic alunt̃ ad Eccleſię miniſteriũ, ſed ſic ut deinde reipublicę ſeruire poſſint, q̃ſq; in eo gñe uitę, ad q̃d natus & inſtructus fuerit.

Item ut ex Cathedralibus Ecclesijs Canonici nobiles nõ Ecclesiasticis ministerijs, sed ciuilibus administrationibus præficiãtur, præsentibus tantum Canonicis, donec in pace moriantur, necessarijs uitæ alimentis relictis: quorum redditus postea trãsferantur tantum ad uerbi ministros.

Itidem uult, ut opes Collegiorum & Cœnobiorum diuidantur, sic ut pars cedat illis qui Ecclesiæ ministrabunt, id est, (ut ipse interpretatur) prædicantibus & scholis. Altera relinquatur ignauis Canonicis, donec morte discedant: postea trãsferenda ad eos, qui se ministerio uelint addicere.

Vult redigi præbendas ad inæqualitatem. Vult ut singulis statibus, per uniuersum Imperium liberum fiat sibi ministros quærere & constituere: quod tamen non plebis est, sed Episcoporum Officium, ex regula Apostolica, ad Tit. 1. & 1. Tim. iij.

Tribuit plebi nedum electionem, sed uult ut examini quoque interfit, & disciplinam curet, sibique iudicij partem uendicet.

Vult adiũgi Laicos Clericis recognoscẽdis redditibus ecclesiasticis.

Item ut Ecclesiæ singulæ suos habeant œconomos, defensores & uicedños Laicos, q̃ possessiones & totã rem alimentariã procurent.

Vult ut p̃mittat̃ ciuilibus Magistratibus potestas exigendi a ministris suum munus: q̃d tamen est Episcoporũ, nõ magistratuũ ciuiliũ.

Vult ut ciuilibus Magistratibus correctio uitiorũ Cleri, & cognitio causarũ ciuilium sup Clericos p̃mittatur. Breuiter, cõsulit, ut officium Principum & Magistratuũ secularium coërtionẽ habeat, tam in personas q̃ bona, & quascunq; res ecclesiasticas, secundũ ueteres Imperiales constitutiones.

Exosam denicq; habet Ecclesiasticã libertatem, q̃ Cleri Licentiam uocat, de qua etiam Clero adimenda libellum dicitur conscripsisse.

Hæc omnia quid portendant, & qualis hinc fructus sperandus sit, cogitandum relinquitur.

Quinto, uerbum Domini habet: Quomodo p̃dicabunt nisi mittantur? Atqui Bucerus nõ est legitime missus. Nã ecclesiam in q̃ baptizatus & ordinatus est, cũ suo Episcopo deseruit, & se in aliã ecclesiã, quę neq; Reuerẽdissimũ, neq; alios quoscunq; episcopos Germanię p̃ ueris Episcopis habet, recepit, ut missionẽ suam ex Reuerẽdissimi iussu, quem uerum Episcopum non agnoscit, tueri non possit. Et sic uidetur sibijpsi sumere honorem, & se propria authoritate ingerere contra uerbum Dei. Hebreor. 5.

Sexto, uerbum Dei monet omnes ministros, ut ministerium suum adimpleant. 1. Timot. 4. Et ne unus alterius ouile inuadat. Sed Bucerus ministerium quod Argentinæ suscepit (nedum deseruit, sed & alioq; Pastoq; parochias eis inuitis, nulliscq; causis (quur illis suo officio sit inter-

dicendū)prę uijs, multo minus p Canonicā ſententiā depoſitis, inuadit.

Septimo, Pontifex declarauit, & Imperator deſignauit Bucerum hæreticum, & etiamnum utriuſque ſententia nullo legitimo Concilio retractata ſubſiſtit: Vtrique Clerus & Populus Colonieñ. eſt ſubiectus. Reſpicit ergo in uerbum Dei, quod habet, Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correctionem, deuita. ad Titum 3.

Octauo, uerbum Dei mandat uitari excōmunicatos: quo magis uetat aſſciſci eos miniſterio, donec cenſura inflicta, Eccleſiaſtica authoritate laxetur. Sed Bucerus perinde ut Lutherus per Pontificem excommunicatus dicitur, nondum Eccleſiæ reconciliatus.

Nono, ſpiritus per Eccleſiā probandi & dijudicādi ſunt. 1. Iohan. 4. Nec ſtatim ſingulis permittendum eſt, ſcripturas pro ſuo arbitratu interpretari. 2. Pet. ult. ſed ad communem Eccleſiæ conſenſum recurrēdū eſt, quæ eſt uniuerſalis teſtificatio Spiritusſancti, columna & firmamentum ueritatis. 1 Timoth. 3. Probandus ergo prius erat Buceri ſpiritus, quam expoſitioni uerbi Dei in hac diocœſi deſtinaretur.

Poſtremo, uerbum domini uult ordinem eſſe in Eccleſia, inferiores præpoſitis obedire, & maioribus parere, in his quæ non ſunt contra legem Dei. Romanus Pontifex (cui Reuerendiſſ. ut Archiepiſcopus iure iurando obſtrictus eſt, præſertim in tuendis Canonibus Apoſtolicis, & quatuor generalium Conciliorū) ſimiliter Cæſar, cui Reuerendiſſ. ut Princeps Elector obedientiam debet, prohibent, atque adeo omnes Imperij Receſſus (quibus Reuerendiſſ. uti obediens & Catholicus princeps ſubſcripſit, & præſertim Ratiſponenſis, anno 41. editus, uetant, ne uſpiam in terra Catholicorum, alterius partis homines miniſterio Eccleſiarum adſciſcantur: ſed qui ex hac parte ſunt, ſalua tamen abuſuum reformatione) expectent iudicium, uel concilij, uel proximi Comitij. Ergo cum utrunq; iamdudum ſit indictum, ac etiam iam cœptū, & interea donec alterum eorum de hac tanta re diſpiciat, Reuerendiſſ. omnino poſſit, per alium ex fratribus noſtris, qui ex hac parte nobiſcū pie uerſatus, nobiſque percognitus ſit, miniſterium uerbi curare. Idcirco nō licuit gratiæ ſuæ Reuerendiſſimę nō expectato iudicio Synodi ſeu Comitij, Anteſignanum ex aduerſarijs, contra ſuorum ſuperiorū mandata, miniſterio uerbi præficere. Nec hinc, niſi Reuerendiſſ. animū mutet (quod ut fiat deuotiſſime petitur & ſperatur) aliud expectādum fuerit, quam ut quemadmodum Reuerendiſſ. in hac parte contrait mandatis Pontificis & Cæſaris ſuorum ſuperiorum, ita futurum, ut ſui inferiores, qui nolint ab obedientia Pontificis & Cæſaris, in licitis & honeſtis, ad Eccleſiæ unitatem, quæ firmiter tuenda & uindicāda eſt (ut Cyprianus ait) retinendam, libenter deſciſcere, gratiæ quoque ſuæ Reuerendiſſ. obedientiam detrectent.

Et quamuis hæc abunde ſuffecerint, tamen quum & ſacrorum canonum, maxime illorum apoſtolicorũ, quatuor etiam primorũ uniuerſalium aliorũq; uetuſtiſſimorũ Cõciliorũ, deniq; Eccleſiaſticę cõſuetudinis & moris, per omnia tempora & loca recepti, non ſit leuis authoritas, nempe, cum hic cõſenſus innitatur authoritati uerbi, quo Chriſtus promittit, ſi duo uel tres fuerint congregati in nomine ſuo, ſe futurum in medio eorum, & ſi duo uel tres conſenſerint de aliqua re ſuper terram, id quoq; coram ſe ratum fore: item omnia in Eccleſia ordine & decenter agi oportere, ac teſtetur ſcriptura, Paulum & Sylam perambulaſſe Syriam & Ciliciã, præcipientes cuſtodire præcepta apoſtolorum & ſeniorum, nimirum in Cõcilio Hieroſolymitano conſtituta. Act. 15. Deniq; contentioſos, nolentes obtemperare Eccleſiaſticis cõſtitutionibus, reiiciat Paulus: Si quis (inquit) uult cõtentioſus eſſe, nos talem conſuetudinẽ non habemus, neq; Eccleſia Dei. 1. Corint. 11. Et laudet illic Apoſtolus (ubi de huiuſmodi Eccleſiaſticis ordinibus agit) Corinthios, quod per omnia ipſius memores fuerint, & præcepta ſua (ſicut tradidit eis) tenerent. Et concludat caput hiſce uerbis: Cætera (inquit) cum uenero diſponam. Ex re fore arbitrabimur aliquot quoq; uetuſtiſſimos canones, & Cõciliorũ decreta huc adferre: p̃ſertim cũ Bucerus ipſe in ſuis libellis paſſim uindicet ueterẽ canonum authoritatẽ, ut merito ſtet illis canonibus, q̃s ipſe ex apoſtolica traditione dimanaſſe alicubi fatetur. Iuxta uerbũ Domini: Ex ore tuo te iudico. &c. Et, Ex uerbis tuis iuſtificaberis, & ex uerbis tuis condemnaberis, &c.

Initio Bucerus in libello quem inſcripſit Abuſuum Eccleſiaſticorum, ipſe tradit, ueteres canones ad apoſtolicã regulam requirere, ut nemo in ſacrum miniſterium aſſumatur, niſi probatus teſtimonio & aſſenſu Cleri & plebis. Requirere item ordinationẽ eius, qui Epiſcopi officio fungi uelit, ſubſcriptionẽ Clericorẽ honoratorum teſtimonium, Ordinis cõſenſum & plebis. Et ait Leonẽ teſtari hæc ſic obſeruari, ab iis qui patrum regulas norunt, & apoſtolicæ autoritatis normam ſequunt. Simile eſt quod ex Gregorio adfert: proindeq; grauẽ abuſum eſſe iudicat, Si quis inuitis & nõ petentibus detur. Et nullã rationem pati, ut inter miniſtros habeantur, qui nec a Clericis ſint electi, nec a plebibus expetiti.

Paulo poſt in titulo de Examine, Ad miniſterium ullum admitti uetat, niſi examinatione præcedente: quæ fieri debeat coram tota eccleſia, ut quicunq; aliquid contra deſignatum habeat, id proferat. Et huc citat canonẽ 9 Cõcilij Niceni, & c. 51. Concilij Carthag. Cyprianum quoq; in epiſt. 4. libri 1. quæ ipſo teſte ſcripturæ teſtimonijs probat diuina autoritate deſcendere, ut miniſter plebe pręſente ſub oĩm oculis deligat̃, utq; dignus atq; idoneus publico iudicio cõprobetur.

Deniq; titulo sequẽti de Ordinatione & Cõcilio Nicẽno, Chalcedonensi, Carthaginensi, & Sardicẽn. probat, neminem ad ministerium ordinandum esse, nisi qui post legitimam explorationem inuentus fuerit, nedum ad ministerium idoneus, sed & plane inculpatus. Bucerus itaq; suæ sese sententiæ subijciat, & patiatur legem quam ipse fert.

Secundo ab Apostolis in hæc usq; tempora nunquã permissum fuit in ulla Ecclesia Græca uel Latina, iam ad Clerum prouectis matrimonio iungi, nisi tantum Lectoribus & Cantoribus, ut habet Canon Apostolorum 27. secundum ordinem ueteris translationis.

Iam si Bucerus sine iuditio & permissu Ecclesiæ diuersum morem introducere uult, audiet ex Paulo: Nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. 1. Corint. xi.

Tertio, Canon Apostolorũ 13. decernit, Vt si quis Clericus a cõmunione segregatus, seu nondum in communionem receptus, ad aliã profectus ciuitatem, sine commẽdatitijs literis sui Episcopi receptus fuerit, eum tam eum qui recipit, q̃ qui recipitur, communione priuãdos esse.

Quarto, Can. Apostolorum. 33. cauetur, Vt si quis presbyter ab Episcopo suo segregatus fuerit, hunc non licere ab alio recipi. cui subscribit Nice. ca. 5. & Anthioch. c. 6.

Quinto, Canone Apostolorũ 14. uetatur, ne quis propria parochia derelicta, alienã insiliat aut inuadat, licet cogatur a pluribus, nisi maxima utilitate exigente: ac ut tum quidẽ hoc nõ pertentet a semetipso, sed demum multorum Episcoporum iuditio & exhortatiõe maxima. Deinde capit. 15. cauetur, Vt si quis presbyter aut quibet de numero Clericorum, relinquens propriam parochiam pergat ad alienam, & omnino demigrans p̃ter uoluntatẽ sui Episcopi in aliena parochia cõmore, ẽ hũc porro in ministerio publico Ecclesię nõ esse sustinẽdũ, utpote inquietudinis reũ. Et huic Canoni subscribit Cõciliũ Nice. c. 16. Deniq; Canõ Apostolorũ 16. Episcopũ (adquẽ talis accesserit) & p̃ nihilo hoc reputantẽ, ueluti peruersi ordinis magistrũ cõmuniõe priuari iubet. Et Cõcilio Chalcedonẽn. c. 5. & 10. magno serio prohibent Clerici trãsmigrare de ciuitate ad ciuitatẽ, & Cano. 13. cauẽt, nõ oportere peregrinos Clericos sine cõmendatitijs literis sui p̃prij Episcopi ministrare. & c. 20. Eũ q̃ alienũ clericũ susscipit, a cõmuniõe suspẽdi oportere. Deniq; c. 23. remittẽdos esse alienos clericos, q̃uis inuitos, eo unde uenerũt, ne p̃turbationes trãquillitati Ecclesiasticę inferãt, & diuersorũ domos corrũpant.

Sexto, Canone Apostolorũ xxxiij. iterum cauetur, ne ullus peregrinorũ presbyterorum sine commendatitijs susscipiat epistolis: Etsi eas obtulerint attentius discuti oportere, nec prius susscipi tales quã inuenti fuerint p̃dicatores pietatis: sin minus, excludendos a cõmunione & uiuẽdi cõsuetudine. Cui subscribit ca. vij. Cõcilij Antioch.

Septimo,

Septimo, can. xvi. Cõcilij Chalcedoneñ. Diaconiſſam q̃ ſe miniſterio Eccleſiæ cõtradidit, & poſtea nuptijs tradiderit, inferentẽ iniuriam gratiæ Dei, anathema eſſe, cum eo q̃ eidem copulatur, declarat, Et can. ſeq. continetur, Virginem quę ſe Domino conſecrauit, ſimiliter & monachum, non licere nuptialia iura contrahere, quod ſi hoc inuenti fuerint perpetrantes, excommunicandos.

Octauo, qui citra ſui epiſcopi cõſenſum ſeculariũ magiſtratuũ familiaritate, aut fauore & impreſſione populari Eccleſiæ miniſteriũ ſibi uſurpat, is ſe oĩi deinceps miniſterio indignum & minus idoneum reddit: ut cõprobat Canon Apoſtolorum xxxi. & xxxij. quibus ſubſcribit Concilium Antioch. C. 5. Iam Bucerus contra ſui epiſcopi uoluntatẽ impreſſione ſeculari Argentinæ Cathedrã occupauit.

Nono, ſi habenda eſt ratio iudicij p̃ Pontificem & Cæſarẽ promulgati, uetat Canon Apoſtolorũ xlv. haberi cõmunionem etiam orationis cum Bucero. Poſſent huc ſexcẽti alij Canones adferri, q̃ Bucero miniſteriũ adimunt, ſed nõ eſt operæpretium uiſum: ſufficit & iure diuino & humano cõſtare, neminem perducendũ eſſe ad Clerum, niſi ſciente & cõſentiente Clero & populo, præuio iudicio. Et ſi deſignatus alicuius inhabilitatis in ſimuletur, tãtiſper differendam eſſe miniſterij functionẽ, donec publico iudicio abſoluat̃. Et certe ordo ualde p̃poſterus fuerit, quẽ prius admouere miniſterio, & demũ poſtea cognoſcere uelle, num admotus ſit idoneus. Quoniã uero intelligimus Reuerendiſſ. dñm noſtrum uelle ordines ſuę diocœſeos ob hãc cauſam cõuocare, & illic Bucerũ ſiſtere, ut q̃ uelint cum eo differere poſſint. Exiſtimamus nos, neq; Capitulo Eccleſiæ maioris, neq; ulli Theologo aut Clerico, aut etiã Laico licere cũ Bucero publice, p̃ſertim corã Laicis, in cauſa Religionis cõgredi, ſeu ullã diſputationem cum eo ſuſcipere. Vetat em̃ nos Paulus uerbis cõtendere cũ peruicacibus, q̃d ad nihil hoc conmodet, niſi ad ſubuerſionem audientiũ. Et Canonicæ ſimul & Ciuiles ſanctiones diſtricte p̃hibent, ne publice corã Laicis tractet̃ aut diſputetur de fide uel religione, q̃d ex hoc p̃ſidiæ & tumultus occaſio oriatur: q̃ & pronunciant eũ iniuriã facere Reuerendiſſimis ſynodis, q̃ ſemel iudicata & recte depoſita reuolue re, & publice diſputare contenderit, magnis pœnis cõtemptoribus huius Canonicæ legis ſubdendis. Præterea, cum res Religionis, conſentiente etiã Reuerendiſſ. dño noſtro ſuſpenſa ſit, ad Cõcilium, aut ſaltẽ ad inſtans Comitiũ, nõ licebit quicq̃ interea nouare aut attentare, id q̃d & receſſus Ratiſponeñ. anno xli. p̃mulgatus diſerte p̃hibet.

S' tractandũ eſt, tractare in Eccleſia didici. Si conferendum de fide, ſacerdotũ debet eſſe iſta collatio. Dum uolũt quidam intra Palatiũ de fide iudicare, id egerunt, ut circunſcriptionibus illa ſyncera Epiſcoporũ iudicia de fide, mutarentur. Ambroſius epi. 32. ad Valent. & 33 ad Marcellinam ſororem. lib. 5. Vide Acta Concilij Chalced. & l. Nemo Clericus, de ſum. Trinitate & fi. Catbol.

Hoc ſcriptũ eſt Reuerendiſſimo, uolenti ex uerbo Dei edoceri, ſibi non licuiſſe Bucerum miniſterio Eccleſiæ præficere, a Capitulo ſuo, Sabbato, tertia Februarij, anno 1543. cum literis ſupplicibus tranſmiſſum.

INDEX EORVM DE
quibus in hoc libro agitur.

De doctrina Ecclesię catholicæ, & in q̃ illa contineatur fol. 1.
De uero intellectu sacræ scripturę fol. 3
De Sũma prædicationis Euangelicæ fol. 4
De Reliquijs peccati Originalis, & qd post baptismũ ꝓprie ꝓ peccato accipiendũ sit fol. 4
De discrimine Veteris & Noui testamẽti fol. 7
De timore seruili fol. 9
De Pœnitentię prædicatione fol. 10
De Iustificatione hominis fol. 11
Per quas causas iustificemur fol. 13
De duplici fiducia siue certitudine habẽda fol. 14
De bonis Operibus fol. 15
De Præmio & retributione bonorũ operũ fol. 16
De Catholica Ecclesia fol. 17
De Oratione Christiana fol. 18
De Veneratione Sanctorum fol. 20
Quare & q̃modo Sancti sint uenerandi. fol. 21
Desideria nostra quomodo Sancti ꝓcipiãt. fol. 23
De Inuocatione Sanctorũ ad intercedendum pro nobis fol. 23
De Cultu & ueneratione uerarũ Reliquarũ fol. 26
De Imaginibus fol. 27
De Ieiunio Cristiano fol. 31
De Catholica administratione Sacramentorum. fol. 32
De Administratiõe Sacramenti Baptismi fol. 34
Adiuratio & benedictio creaturarum non est recens inuentio fol. 35
De Sacramento Cõfirmationis fol. 41
De Sacramento Corporis & sanguinis Christi & eius administratione fol. 42
De Conseruando Sacramento Eucharistiæ pro infirmis præcipue fol. 43
Vbi Sacramentũ Eucharistiæ debeat consecrari fol. 44
De ueneratione dignissimi Sacramenti Eucharistiæ fo. 44
De communione sub utraq;, uel altera specie tantum fol. 45
An debeant omnes præsentes huic Sacramento communicare fol. 49
De mixtura calicis cum aqua fol. 54
De Sacrificio Missæ fol. 54
De nomine Missa fol. 56
Missa constat quatuor partibus fol. 57
In missa quatuor sacrificia offerri fol. 58
De Prima oblatione Missæ quæ est panis & uini fol. 58
De oblatione alia q̃ est gratiarũ actionis fol. 59
De cõsecratione Eucharistiæ & tertio Missæ sacrificio fol. 63
De Memoria defunctorũ in Christo fol. 67
De quarto Missæ Sacrificio quo tota Ecclesia offertur fol. 70
De applicatione sacræ Missæ fol. 70
De Opere operato fol. 71
De Antiquitate & dignitate sacri Canonis Missæ. fol. 72
An sine prece Cationica Ecclesiæ consecretur Sacramentum fol. 73
Canon Missæ fol. 77
De Sacramento Pœnitentiæ, & eius administratione fol. 80
De Secreta Cõfessione & absolutiõe. fol. 80
De Satisfactione pœnitentium fol. 84
De Excommunicatione fol. 86
De Suffraganeo Diœcesis Colonien sis fol. 88
De Sacramento Ordinationis sacrę, q̃ liber Reformationis uocat institutionẽ Pastorũ. fol. 89
De Sacramento Matrimonij fol. 91
De uisitatione Infirmorum & sacræ unctionis Sacramento fol. 93
De communibus alijs Ecclesiæ exercitijs, nempe psallendi, orandi, legendi & reliquis Cæremonijs fol. 95
De festis diebus fol. 95
De Ieiunio & delectu ciborum fol. 96
De Arcula Pauperum Ibidem.
De Scholis, fol. eodem
De Cœlibatu Sacerdotum fol. 97
De Reformatiõe & restitutione Collegiorũ. fo. 99
De proposita forma renouandi Monasteria tam virorum quam fœminarum fol. 102
De Votis Monasticis fol. 102
Peroratio fol. 106
Sententia Delectorum ꝓ uenerabile Capitulum Ecclesiæ Colonien. de uocatione Martini Buceri. fol. 106

FINIS INDICIS.

INTERPRES LECTORI.

TYpographo rudes chartas & uix legibiles, quas me Latine e libro Germanico ꝓnunciante, exceptor uocis Notarius cõscripserat, neq; pũctis rite dispositis, neq; characteribus accurate satis deformatis, rapiente ad plum, immaturãq; uersionẽ excudente, poterã querinõ factã mihi ptãtem cõmodiora aptioraq; uerba durioribus quibusdã substituendi, ac si quid obscurius dictũ fuisset, quæ lia sunt plurĩa, clarius interpretandi. Non offendi tñ, percurso postmodũ libro impresso, tam enormes mendas ut uideret editio (quanq̃ intẽpestiua) intolerabilis: in quo certe Typographi diligentiam admodum probo. Idcirco quod ad translationẽ attinet, proposui editione secunda quædã cõmodius reddere. At quę in hac editione obiter deprehendimus, corrigenda sunt ut sequitur. In quo Correctorio prior numerus foliũ, litera a colũnã primã, b secũdã, numerus subsequens lineã demonstrat.

Folio 2. a. linea 25. usitatos. 3 a 2 ueritate. 5 b 16 ꝓficiẽdũ. 6 b 31 Patricianus. 9 a 24 decimo. Ac quod. 10 a 31 nõ Moysen rursus. 11 a 1 cõsulit: 11 b 3 de iustificatiõe hõis. 12 a 5 apponendũ. 14 a 11 uirtutũ q̃ oẽs. 17 b 14 habẽdos ac uincula. 18 a 22 meminit, ꝙ sc̃. 19 b 17 Itẽ, quũ dñs. Ibidẽ li. 25 Basilius uero. Ibidẽ li. penultĩa, post cõsecrationẽ Theotocõ ita. Fol. 20 b 9 ut intelligãt eẽ unũ cũ eo. Ibidẽ li. 12 q̃d ꝓ. Fol. 21 a 9 uniti, & ipi nobiscũ, & nos cũ ipsis corpus unũ in Chõ sumus Idcirco docuit &c. Ibid. lin.

26 mortuos ſctōs,ſicut. Ibid.lin.30 dormientibꝰ.Nō inqt emortuis.Atq; hac. Fol.21 b lin penultīa, optīos. 22 b 1 teſtimoniorū.Ibid.lin.15 imploro. 23 b 22 Canonē. 24 a 2 martyres.Ibid.8 dele cum.12 renū. Fol.25 b lin.añ penult.ullos,atq; adeo facere tm̄ ſcd'm. 27 a 34 honoremus. 28 b 6 regrit. Ibid. 29.q̄ in ſctīs ſuis deus. Ibid.in fine,Athanaſiꝰ. Fol 32 b 1 Longo. Ibid.lin.pen.diſcretione. Fol.35 a 27 eodē modo ſit demolitus. Quodq; is uir tam inſignis fuerit, ut uictoribus. Fol 35 b 12 adiurent. 36 a 8 ſalita.9 innuit. Fol.37 a 4 nares mentis Ibid.lin.20 polliceanť. Fol. 38 b 9 Cuiꝰ q̄dē forma Ion ge p̄ceſſit. Fol.41 a 36 Vnxit (inquit)eū deus ſpū ſctō. 43 a 33 ſeruari ꝓ infirmis. 44 a 34 Dñs Ieſus in qua nocte tradebať. 45 a 25 Vetus certe eccleſia. Ibid lin.añ pen fabrefactas admodū extulit.Le q̄. Fol.45 b 1 loco Cęterū,lege,In ſumma.Ibid.lin.11.urgeamꝰ.lin 15 porrigere & accipere,Eſt.Fol.46 a 30 ratione. b 10 magno illo.lin.30 Præterea ob eadē. Fol.48 a 34 Neq; uero.b 23 lōgo. Fol.49 a 6 ab iecerint. lin.23 morē. b 6 interna.9 aſſociāt. Fol.50 a 18 Ad hoc ut cōmunicet. 51 a 20 Vbi ſic inquit, Nō ab. 52 b 4 intra priuatas.Ibid.10 Nullis cōtra cōſcientiā criminibus obnoxij,arceāt a Miſſa.lin. 21 infirmitate deterriti auſint. Fol.56 b 8 repſentēmꝰ.lin 9 toti. Fol.57 a lin.añ pen.unio,q̄d ſane fuit ſacrificiū gr̄arū actionis dñi. 58 a 1 miniſtrū. lin.añ pen.ope q̄dē externo. Fol. 59 b 2 Nō in munera panis & uini,ut adhuc ſunt mera & ſimplicia ſigna tm̄,ſed ut paulo poſt a facta cōſecratiōe erūt ue rum corpus & ſanguis dñi nr̄i Ieſu Chr̄i. Ibid lin.30 q̄ q̄dminimū. Fol. 61 a 13 illos. lin penult.u ne ramur(o dñe)beariſſimæ. Fol.61 b 24 etiā illis erigamus. 62 a 27 facere ſctōrū in ſacrificio. b 6 ad id q̄d ipſi eſtis Ibid lin.28 Primū em̄ petimus,ut nobis diuinā ſuā pacē,q̄ diu hic in terris hæremꝰ lar giat.item certe lōge maximā,q̄ ab ijs &c. Fol.63 a 25 ꝓ gratā,lege rationabilē.Ibi lin.26 ſanguis fiat dilectiſſimi filij tui dñi nr̄i Ieſu Chr̄i.Ibi.lin.32 teſtať. Qm̄ ſp reſeruatæ in corpore plagę ſalutis hūa næ exigāt p̄tiū,Eccleſia &c. Fo.64 a 2 impetrauit,Accepit em̄ ipa remiſſionē pēt ōrū p nomē eiꝰ q̄ cre dit in eū. Fo.66 a 29 acceptēť. 67 a 3 ſuæ,qm̄ ſcꝫ illa memori mēte tractať,& cōmemoratione exerceť, ad eū modū q̄ ipſe iuſſit,q̄d &c. 69 b 25 prīo.Deniq;,In quo(ut in q̄ habitat oīs plenitudo diuinitatis corporaliť,ad Coloſſ.2)deo p̄r &c. 70 b lin.añ pen q meruit. lin ult.decimoquarto,q̄d ipſa in ſolē nibus orationibꝰ &c. 71 a 5 Ad hęc docet. lin.11 ſufficere diluendis pctīs. lin añ penult. offerreť. b 16 utentis,hoc eſt ut ipſi interp̄tanť,ſolū externū opus ſacerdotis,q̄ecūq; demū id ſit,tametſi nulla bo na mentis cogitatio acceſſerit. lin.20 in ſacrificio altaris. Fo.72 b 2 centonū.lin 19 Syracuſanū,quem eo detorquerit,nō.Ibi.lin.26 ut p̄cē(intelligit Canonē)quā Scholaſticus, nimirū uir aliqs eccleſiaſti cus,in rebus ſacris apprime & inſignit uerſatus. Fo.73 a 36 reſpondemus. b 2 anteq̄ corpꝰ ſuū diſci pulis. fo.74 a lin.ult p̄cē q̄q; (intelligit Canonē)adiungere. b 3 ſanctę & canonicę oīonis in ſacrifi cio.Ibi.lin 32 nec deū ſ. poblata inuocāt. Fo. 75 a 18 Artemonitis. 80 a 16 Ibi Reformationis liber. lin.25 cōmunicatos,Vbi tm̄ eccleſia. Fo 82 a 21 Atq; ideo. 33 cōfiteri. lin.penul.Matthæi. b 14 Paulo & uiriſq; uſum,ſic ingens. Ibid.27 reſiſtit.Ideo eccleſia. 84 b 21 modū. 85 a 11 inigtate mea,hoc eſt ut illū in priſtinū decorē reſtituat. 86 a 8 Deniq; q̄d ſatisfactio. lin.pen erunt ſoluta. b 12 Atq; ideo. Ibid.lin.17 (poſt fraternā correptionē ſecreto his factā). 87 a 17 ſiue in coīone ſacramentorū, ſiue in cibo.Ibid.25 excōicāť. b 7 forte in urcum ſeu municipium,ubi tota plebs excōicata eſt.Ibid lin.31.Pa tres uero magno. 88 a 16 Cum tm̄ ad epiſcopum.lin.32 prīo ſolꝰ. b 19 ubi ſuſceperint pniam 89 b 34 in inſcriptione epiſt. 90 a 3 cuiuſdā Cōfeſſoris. b 25 inuectum eſt,ut ipſi aiunt,q̄lis ſit unctio.lin.ult. cōformanť,Intelligi haud dubium inť alia uolunt cōiugium. 91 a 9 Iam ne qs exiſtimet hæc uerba tm̄ ſpectare ad cōiugium Adæ & Euæ,Chr̄s dñs.lin.32 ꝓmittit. b 3 ſiue Iudęorū,q̄ matrimonium.lin. 34.Secundo,cum matrimonium. 92 a 14 ſegregator. 93 a 8 Et erunt. b 10 intolerabile.Ibid.lin.añp. reſtituit.Nec refert q̄d externa. 95 a 18 eaſdē. b 26 celebrareť,q̄d antiquę homilię & ſermōes de eodē feſto cōprobāt. 96 b 10 cōſenſus.& lin.11.illic. 97 b 21.cōmittebat,habes in. 98 a 16 Vr ſi q̄s. 99 a 18 Collegiorū p̄lati. b 8 adminiſtrationem.lin.10 id rurſus canonibus.lin.25 explicarent, Vtq; cum epi ſcopo in cauſis ſynodalibus uelut aſſeſſores decernerent.Vide Hiero. Fo.100 b 26 Vicariæ. lin 35 ad modum grauis q̄rela. 101 a 2 parentheſis tota,ponenda eſt poſt hęc uerba, ſacramentaq; diſpenſent. b 10 At uero hoc neq; malum. 102 a 13 aliud cōmode ſtatui poteſt. b 32 Vtendum Monaſteriꝭs dein ceps tm̄ ad cōſeruationem ſtudiorū. 103 a 12 Sunt Eunuchi.lin.pe.uolunt. b 3 repiri pōt, Tunc em̄(ut ſubdit)legitīæ. lin.7 Vbi autem aīæ. lin.9 ſequať illic ꝓpoſitum legis cōiugalis,ſed. 104 a 34 plurimum iactent. b 11 quarū. lin.33 habet. 105 a 5 Apoſtoli dictum,Iuniores. b 9 Baſilius de his ait.

Theofori's

